


Wiener Stadt-Bibliothek.

17755 | 2. 182 A



Reithuber.

fol. 24556

Johnston

SELECTA  
LATINAE ORATIONIS  
EXEMPLARIA.



VOLUMEN II.

Venale est albis ( 52 kr M. Conv. )  
2 fl. 10 kr. W. W.)  
in charta densata ( 58 kr. M. Conv. )  
2 fl. 25 kr. W. W.)

---

VINDOBONAE.  
IN LIBRARIA C. R. AD ST. ANNAE.  
IN PLATEA JOANNIS.

---

1821.

Longum est iter per praecepta; breve et efficax  
per exempla. *Seneca.*



# I. Elegia.

*Ex Albio Tibullo.*

In armorum inventores.

*Lib. I. 10.*

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?  
Quam ferus, et vere ferreus ille fuit!  
Tunc caedes hominum generi, tunc proelia nata.  
Tunc brevior dirae mortis aperta via est.  
At nihil ille miser meruit: nos ad mala nostra  
Vertimus, in saevas quod dedit ille feras.  
Divitis hoc vitium est auri; nec bella fuerunt,  
Faginus adstabat quum scyphus ante dapes.  
Non arces, non vallus erat; somnumque petebat  
Securus varias dux gregis inter oves.  
Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristitia nossem  
Arma, nec audissem corde micante tubam.  
Nunc ad bella trahor, et jam quis forsitan hostis  
Haesura in nostro tela gerit latere.  
Sed patrii servate Lares: aluistis et idem,  
Cursarem vestros quum tener ante pedes:  
Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos,  
Sic veteris sedes incoluistis avi.  
Tunc melius tenuere fidem, quum paupere culti  
Stabat in exigua ligneus aede Deus.  
Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,  
Seu dederat sanctae spicea sarta comae.  
Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat,  
Postque comes parum filia parva favum.  
At nobis aerata, Lares depellite tela:  
Hostis erit plena rustica porcus hara.  
Hanc pura cum veste sequar, myrtoque canistra  
Vincta geram, myrto vinctus et ipse caput.

Sic placeam vobis: alius sit fortis in armis,  
 Sternat et adversos Marte favente duces:  
 Ut mihi potanti possit sua dicere facta  
 Miles, et in mensa pingere castra mero.  
 Quis furor est, atram bellis arcessere mortem?  
 Imminet, et tacito clam venit illa pede.  
 Non seges est infra, non vinea culta, sed audax  
 Cerberus, et stygiae navita turpis aquae.  
 Illic perscissisque genis ustoque capillo  
 Errat ad obscuros pallida turba lacus.  
 Quam potius laudandus hic est, quem prole beatum  
 Occupat in parva pigra senecta casa.  
 Ipse suas sectatur oves, at filius agnos,  
 Et calidam fesso comparat uxor aquam.  
 Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,  
 Temporis et prisca facta referre senem!  
 Interea pax arva colat. Pax candida primum  
 Duxit araturos sub juga curva boves.  
 Pax aluit vites, et succos condidit uvae,  
 Funderet ut nato testa paterna merum.  
 Pace bidens vomerque vigent: at tristia duri  
 Militis in tenebris occupat arma situs.  
 At nobis, pax alma, veni, spicamque teneto:  
 Perpluat et pomis candidus ante sinus.

Ad Messalinum, quod in collegium Quindecim-  
 virorum cooptatus fuerat.

*Lib. II. 5.*

**P**hoebe fave: novus ingreditur tua templa sacerdos;  
 Huc, age, cum cithara, carminibusque veni.  
 Nunc te vocales impellere pollice chordas,  
 Nunc, precor, ad laudes flectere verba meas.  
 Ipse triumphali devinctus tempora lauro,  
 Dum cumulant aras, ad tua sacra veni.  
 Sed nitidus pulcherque veni; nunc indue vestem  
 Sepositam; longas nunc bene pecte comas.  
 Qualem te memorant, Saturno rege fugato,  
 Victori laudes concinuisse Jovi.  
 Tu procul eventura vides: tibi debitus augur  
 Scit bene, quid fati provida cantet avis  
 Tuque regis sordes: per te praesentit haruspex,  
 Lubrica signavit quum deus exta notis.

Te duce romanos nunquam frustrata Sibylla est.

Abdita quae senis fata canit pedibus.

Phoebe, sacras Messalinum sine tangere chartas

Vatis, et ipse, precor, quid canat illa, doce: *a*)

Haec dedit Aeneae sortes, postquam ille parentem

Dicitur et raptos sustiruisse Lares.

Nec fore credebat Romam, quum moestus ab alto

Ilion ardentem respiceretque deos. *b*)

(Romulus aeternae nondum formaverat urbis

Moenia, consorti non habitanda Remo.)

Sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccae,

Et stabant humiles in Jovis arce *c*) casae.

Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbrae,

Et facta agresti lignea falce Pales:

Pendebatque vagi pastoris in arbore votum,

Garrula silvestri *d*) fistula sacra deo;

Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo;

Nam calamus cera jungitur usque minor.

At qua Velabri regio patet, ire solebat

Exiguus pulsa per vada linter aqua.

Impiger Aenea, volitantis frater Amoris

Troia qui profugis sacra vehis ratibus,

Jam tibi Laurentes adsignat Jupiter agros;

Jam vocat errantes hospita terra Lares.

Illic sanctus eris, quum te Veneranda Numjci

Unda deum *e*) coelo miserit indigetem.

Ecce super fessas volitat Victoria puppes:

Tandem ad Trojanos diva superba venit.

Ecce mihi lucent rutulis *f*) incendia castris;

Jam tibi praedico, barbare Turne, necem.

Ante oculos Laurens castrum, murusque Lavini est,

Albaque ab Ascanio condita Longa duce.

Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas,

Dum licet: hinc magnae jam locus urbis erit.

Roma, tuum nomen terris fatale regendis,

Qua sua de coelo prospicit arva Ceres,

Quaque patent ortus, et qua fluitantibus undis

Solis anhelantes abluit amnis equos.

Troja quidem tum se mirabitur, et sibi dicet

Vos bene tam longa consuluisse via.

Vera cano; sic usque sacras innoxia lauros *g*)

Vescar, et aeternum sit mihi virginitas.

Haec cecinit vates, et te sibi, Phoebe, vocavit,

Jactavit fusa sed caput ante coma:

Quidquid Amalthea, quidquid Mermessia dixit,  
 Herophile Phoebo grata quod admonuit:  
 Quasquæ Aniena sacras Tiburs per flumina sortes  
 Portavit, sicco pertulit inque sinu.  
 Hæc fore dixerunt, belli mala signa cometen;  
 Multus ut in terras deplueretque lapis;  
 Atque tubas, atque arma ferunt crepitantia coelo  
 Audita; et lucos præcinuisse fugam.  
 Ipsum etiam solem defectum lumine vidit  
 Jungere pallentes nubilus annus equos.  
 Et simulacra deum lacrimas fudisse tepentes,  
 Fataque vocales præmonuisse boves.  
 Hæc fuerint olim, sed tu jam, mitis Apollo,  
 Prodigia indomitis merge sub æquoribus,  
 Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis,  
 Omine quo felix et sacer annus erit.  
 Laurus, io, bonâ signa dedit: gaudete coloni:  
 Distendet spicis horrea plena Ceres:  
 Oblitus et musto feriet pede rusticus uvas,  
 Dolia dum magni deficientque lacus.  
 At madidus Baccho sua festa Palilia pastor  
 Concinet: a stabulis tunc procul este lupi!  
 Ille levis stipulae solennes potus acervos  
 Accendet, flammâ transilietque sacras:  
 Et foetus matrona dabit, natusque parenti.  
 Oscula comprehensis auribus eripiet.  
 Nec taedeat avum parvo advigilare nepoti,  
 Balbaque cum puero dicere verba senem.  
 Tunc operata deo pubes discumbet in herba,  
 Arboris antiquae qua levis umbra cadit;  
 Aut e veste sua tendet umbracula sertis  
 Vincita, coronatus stabit et ipse calix.  
 At sibi quisque dapes, et festas exstruet alte  
 Cespitibus mensas, sespitibusque torum.  
 Pace tua pereantque arcus, pereantque sagittæ,  
 Phoebe, modo in terris erret inermis amor:  
 Ut Messalinum celebrem, quum præmia belli  
 Ante suos currus oppida victa feret.  
 Ipse, gerens lauros, lauro devinctus agresti  
 Miles, io, magna voce, triumphæ, canet.  
 Tunc Messala meus pia det spectacula turbæ,  
 Et plaudat curru prætereunte pater.  
 Adque; sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli:  
 Sic tua perpetua sit tibi casta soror.

- a) Tibullus vati Cumanæ hoc tribuit, quod secundum alios Sibylla Erythraea Aeneae, e patria fugienti, promiserat.
- b) Sequitur elegans de Roma vetere digressio, quae in opere poetico sublimiori locum saepe cum virtute habet.
- c) *Jovis arx* est Capitolium.
- d) *Silvestris deus* hoc loco non est Silvanus sed Pan, cui Syrix seu garrula fistula sacra fuit.
- e) Vide Liv. 1. 2. Aeneas in proelio ad Numicum, secundum alios in Numico cecidit; unde Numicus Aeneae sacer dictus est. Vide etiam Ovid. Metam. Lib. XIV. v. 600. sqq.
- f) Virgilius contrarium adserit, sc. castra Trojanorum a Rutulis esse incensa. Cl. Heynio Tibullus videtur indicare Ardeam, quam Aeneas incendio deleverat. Vide Ovid. Metam. Lib. XIV. v. 573. sqq.
- g) Lauro hanc inesse virtutem putabant veteres, ut quicumque ea vescuntur, vaticinentur. Quae immodice lauros edebant, non raro satis cum periculo, hinc addidit, *innoxia h. v. quin mihi noceat.*

## Vota pro recuperanda corporis sanitate.

## Lib. III. 5.

Vos tenet, Etruscis manat quae fontibus unda,  
 Unda sub aestivum non adeunda canem,  
 Nunc autem sacris Bajarum maxima lymphis,  
 Quum se purpureo vere remittit humus:  
 At mihi Persephone nigram denuntiat horam.  
 Immerito juveni parce nocere, dea.  
 Non ego tentavi, nulla temeranda virorum, a)  
 Audax laudandae sacra docere deae.  
 Nec mea mortiferis infecit pocula succis  
 Dextera, nec cuiquam tetra venena dedit;  
 Nec nos sacrilegos templis admovimus ignes;  
 Nec cor sollicitant facta nefanda meum;  
 Nec nos, insanæ meditantès jurgia linguae,  
 Impia in adversos solvimus ora deos.  
 Et nondum cani nigros laesere capillos,  
 Nec venit tardo curva senecta pede.  
 Quid fraudare juvat vitem crescentibus uvis?  
 Et modo nata mala vellere poma manu?  
 Parcite, pallentes undas quicumque tenetis,  
 Duraque sortiti tertia regna dei,  
 Elysios olim liceat cognoscere campos,  
 Lethaeamque ratem, Cimmeriosque b) lacus:

Quum mea rugosa pallebunt ora senecta,  
 Et referam pueris tempora prisca senex.  
 Atque utinam vano nequidquam terrear aestu  
 Languent ter quinos sed mea membra dies.  
 At vobis Tuscae celebrantur numina lymphae,  
 Et facilis lenta pellitur unda manu.  
 Vivite felices, memores et vivite nostri,  
 Sive erimus, seu nos fata fuisse volent.  
 Interea nigras pecudes promittite Diti,  
 Et nivei lactis pocula mixta mero.

a) Sacris Cibeles, seu Bonae deae, interesse nefas erat viro.

b) *Cimmerius lacus*, fretum inter Calpen et Abylen, quo patet iter ad inferos. Ab hoc freto septentrionem versus usque ad pontum Euxinum tota regio veteribus erat Cimmeria.

*Ex Sexto Aurelio Propertio.*

De Urbe Roma. a)

*Lib. IV. 1.*

Hoc quodcunque vides, hospes, qua maxima Roma est  
 Ante Phrygem Aeneam collis et herba fuit.  
 Atque ubi Navali stant sacra palatia Phoebos, b)  
 Evandri profugae concubuerunt boves.  
 Fictilibus crevere deis haec aurea templa,  
 Nec fuit opprobrium facta sine arte casa.  
 Tarpejusque Pater nuda de rupe c) tonabat,  
 Et Tiberis nostris advena bubus erat:  
 Quo gradibus domus ista Remi d) se sustulit olim,  
 Unus erat fratrum maxima regna focus.  
 Curia praetexto quae nunc nitet alta senatu,  
 Pellitos habuit, rustica corda, patres.  
 Buccina cogeat priscos ad verba Quirites.  
 Centum illi in prato saepe senatus erat.  
 Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro,  
 Pulpita solennes non oluere crocos. e)  
 Nulli cura fuit externos quaerere divos.  
 Quum tremere patrio pendula turba sacro.  
 Annuaque accenso celebrare Palilia foeno,  
 Qualia nunc curto lustra novantur equo. f)  
 Vesta coronatis pauper gaudebat asellis:  
 Ducebant macrae vilia sacra boves.  
 Parva saginati lustrabant compita porci:  
 Pastor et ad calamos exta litabat ovis,

Verbera pellitus setosa movebat arator,  
 Unde licens Fabius sacra Lupercus habet. g)  
 Nec rudis infestis miles radiabat in armis;  
 Miscebant usta proelia nuda sude.  
 Prima galeritus posuit praetoria Lucmo,  
 Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves.  
 Hinc Titius, Ramnesque viri, Luceresque h) coloni:  
 Quatuor hinc albos Romulus egit equos.  
 Quippe suburbanæ parva minus urbe Bovillae,  
 Et qui nunc nulli, maxima turba Gabi;  
 Et stetit Alba potens, albae suis omine nata,  
 Hac, ubi, Fidenas longe erat ire, via.  
 Nil patrium, nisi nomen, habet romanus alumnus,  
 Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam.  
 Huc melius profugos misisti, Troja, penates.  
 O quali ducta est Dardana puppis ave!  
 Tam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam  
 Laeserat abiegni venter apertus equi;  
 Quum pater in gnati tremulus cervice pependit,  
 Et verita est humeros urere flamma pios.  
 Tunc animi venere Deci, Brutique secures,  
 Vexit et ipsa sui Caesaris arma Venus.  
 Arma resurgentis portans victricia Trojae  
 Felix terra duos cepit, Iule, deos.  
 Si modo Avernalis tremulae cortina Sibyllae  
 Dixit Aventino rura pianda Remo:  
 Aut si Pergameae sero rata carmina vatis  
 Longaevum ad Priami vera fuere caput.  
 Vertite equum, Danaï: male vincitis. Iliæ tellus  
 Vivet; et huic cineri Jupiter arma dabit.  
 Optima nutricum nostris lupa Martia rebus,  
 Qualia creverunt moenia lacte tuo!  
 Moenia namque pio conor describere versu:  
 Heu mihi, quod nostro parvus in ore sonus.  
 Sed tamen exiguo quodcumque in pectore rivi  
 Fluxerit, hoc patriæ serviat omne meae.  
 Ennius hirsuta cingat sua dicta corona.  
 Mi folia ex hedera porrige, Bache, tua,  
 Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,  
 Umbria romani patria Callimachi.  
 Scandentes si quis cernet de vallibus arces, i)  
 Ingenio muros aestimet ille meo.  
 Roma fave, tibi surgit opus: date candida cives  
 Omina, et inceptis dextera cantet avis,

Sacra diesque canam et cognomina prisca locorum:  
 Has meus ad metas sudet oportet equus.  
 Dicam: Troja, cades, et Troia Roma resurges;  
 Et maris et terrae longa pericla canam.  
 Quo ruis imprudens vaga dicere facta Properti? *k)*  
 Non sunt ab dextra condita fila colo.  
 Aversis Charisin cantas: aversus Apollo  
 Poscitur invita verba pigenda lyra.  
 Certa feram certis auctoribus; aut ego vates,  
 Nescius aerata signa movere pila,  
 Me creat Archytæ soboles Babylonius Horos, *l)*  
 Horos, et a proavo ducta Conone domus.  
 Di mihi sunt testes, non degenerasse propinquos,  
 Inque meis libris nil prius esse fide.  
 Nunc pretium fecere deos, et fallitur auro  
 Jupiter, obliquae signa iterata rotæ. *m)*  
 Dixi ego, quum geminos producet Arria natos,  
 (Illa dabat natis arma vetante deo)  
 Non posse ad patrios sua pila referre penates.  
 Nempe meam firmant nunc duo busta fidem.  
 Quippe Lupercus, equi dum sauciâ protegit ora,  
 Heu! sibi prolapso non bene cavit equo.  
 Gallus at in castris credita signa tuetur,  
 Concidit ante aquilæ rostra cruenta suæ.  
 Fatales pueri, duo funera matris avaræ:  
 Vera; sed invito contigit ista fides.  
 Hoc neque arenosum Libyæ Jovis explicat antrum,  
 Aut sibi commissos fibra loquuta deos:  
 Aut si quis motas cornicis senserit alas:  
 Umbra neque hæc magicis mortua prodit aquis:  
 Adspicienda via est coeli, versusque per astra *n)*  
 Trames, et ab zonis quique petenda fides;  
 Felicesque Jovis stellæ, Martisque rapacis,  
 Et grave Saturni sidus in omne caput, *o)*  
 Quid moveant pisces, animosaque signa leonis,  
 Laetus et Hesperia quid capricornus aqua.  
 Exemplum grave erit Calchas: namque Aulide solvit  
 Ille bene haerentes ad pia saxa rates.  
 Idem Agamemnoniæ ferrum cervice puellæ  
 Tinxit, et Atrides vela cruenta dedit.  
 Nec rediere tamen Danai; tu diruta fletum  
 Supprime et Euboicos, respice, Troja, sinus.  
 Næplius *p)* ultores sub noctem porrigit ignes,  
 Et natat exuviis Graecia pressa tuis.

Victor Cilide, rape nunc, et delige vatem,  
 Quam vetat avelli veste Minerva sua. g)  
 Hactenus historiae. Nunc ad tua devehor astra:  
 Incipe tu lacrimis aequus adesse novis.  
 Umbria te notis antiqua penatibus edit.  
 Mentior? an patriae tangitur ora tuae?  
 Qua nebulosa cavo rorat Mevania r) camp-  
 Et lacus aestivis intepet UMBER aquis.  
 Scandentisque arcis consurgit vertice murus,  
 Murus, ab ingenio notior ille tuo.  
 Ossaque legisti, non illa aetate legenda,  
 Patris, et in tenues congeris ipse Lares.  
 Nam tua quum multi versarent arva juvenci,  
 Abstulit excultas pertica tristis s) opes.  
 Mox, ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,  
 Matris et ante deos libera sumta toga:  
 Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,  
 Et vetat insano verba tonare foro.  
 At tu finge elegos, fallax opus: haec tua castra:  
 Scribat ut exemplo cetera turba tuo.

- e) In hac elegia, quam Cl. Heyne unam ex nobilissimis appellare nullus dubitat, fingit Propertius, se, quum rerum romanarum originem atque incrementa vellet carmine persequi admonitum a quodam Babylonio, astrorum perito, ut, intra ingenii sui gyrum consistens, luderet tantum elegos.
- b) Aedes Palatina post pugnam navalem ad Actium Phoëbo dedicata.
- c) Nondum erat Capitolium exstructum.
- d) Ista domus Remi, ad quam per gradus ascendendum fuit olim, de canna straminibusque etiam nunc conspicienda, satis ampla et magnifica tunc temporis fuit Romulo et Remo.
- e) Solebat haec croci expressio fieri per fistulas latentes.
- f) Non fuit illis temporibus cura per magnifica Palilia lustrationem suam renovare, per qualia nunc id solet fieri, nempe per *equum curtum*, i. e. equo aut caeso, aut cauda privato.
- g) Principatus in Lupercalibus erat honos genti Fabiae perpetuus. Lupercalia convenere cum nostris Bacchanalibus. *Lupercus* proprie *Pan*.
- h) *Tatius* et *Titius* a Tatio, rege Sabinorum; *Ramnes* a Romulo; *Luceres* a Lucumone, qui Remulo, contra Sabinos auxilio venerat.
- i) *Arx* saepe ponitur pro monte.

- k) Poëtam loquentem hic interrumpit Babylonius, qui jam usque ad finem elegiae loquens inducitur. *Aversis χάρισιν* i. e. gratiis.
- l) *Horos* et *Conon* celebres mathematici, i. e. Astronomi, seu potius Astrologi.
- m) *Rota* est zodiacus circulus; cujus signa sunt *iterata* i. e. duplicata, quoniam sex ad Boream, totidemque ad Austrum cernuntur.
- n) Astrologi retulerant Jovis et Veneris stellas inter benignas (*ἀγαθοποιούς ἀστέρας*) Martis autem et Saturni inter maleficas stellas (*κακοποιούς ἀστέρας*) quum Mercurius esse *ἑπικοινωνος* seu communis, qui se seu bonis seu malis adt commodat.
- o) *Via caeli* est cursus astrorum; *versus per astra trames* est zodiacus.
- p) Nauplius Palamedem, filium suum, Ulyxis scelere occisum ulturus, in monte Caphareo, scopulis cincto, ignes excitarat: ut Graeci praeda onusti domum reduces, portum esse putantes, naufragium hic facerent. Fecerunt naufragium.
- q) Ajax, Oilei filius, Cassandram vatem, Priami filiam, quae, Troja eversa, ad Minervae adyta confugerat, a deae simulacro per vim rapuit. Hic sceleris poenas dedit.
- r) *Mevania*, Propertii patria, urbs Umbriae ad fluvium Clitumnum (hodie *Clitunno*) prope Apenninos.
- s) *Pertica tristis*: quia post bellum Philippicum maxima pars agrorum, Augusto jubente, militibus addicta est.

### Arethusa ad Lycotam.

#### Lib. IV. 3.

Haec Arethusa suo mittit mandata Lycotae;  
 Quum toties absis, si potes esse meus.  
 Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,  
 Haec erit e lacrimis facta litura meis.  
 Aut si qua incerto fallet te litera tractu,  
 Signa meae dextrae jam morientis erunt.  
 Te modo viderunt iteratos Bactra per ortus,  
 Te modo munito Sericus hostis equo.  
 Hibernique Getae, pictoque Britannia curru,  
 Ustus et eoo a) decolor Indus equo.  
 Quae mihi deductae fax omen praetulit, illa  
 Traxit ab everso lumina nigra rogo.

Et stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis  
 Viitta data est: nupsi non comitante deo.  
 Omnibus heu portis pendent mea noxia vota:  
 Textitur haec castris quarta lacerata tuis.  
 Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum,  
 Et struxit querulas rauca per ossa tubas.  
 Dignior obliquo funem qui torqueat Oeno, *b)*  
 Aeternusque tuam pascat, aselle, famem.  
 Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?  
 Num gravis imbelles atterit hasta manus?  
 Diceris et macie vultum tenuisse: sed opto  
 E desiderio sit color ille meo.  
 Noctibus hibernis castrensia pensa laboro,  
 Et Tyria in radios vellera ducta suos.  
 Cogor et e tabula pictos ediscere mundos,  
 Qualis et haec docti sit positura dei:  
 Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes,  
 Quot sine aqua Parthus millia currat eques:  
 Quae tellus sit lenta gelu, quae putris ab aestu,  
 Ventus in Italiam qui bene vela ferat.  
 Adsidet una soror curis, et callida nutrix  
 Dejerat, hiberni temporis esse moras.  
 Romanis utinam patuissent castra puellis:  
 Essem militiae sarcina fida tuae:  
 Nec me tardarent Scythiae juga, quum pater altas  
 Africus in glaciem frigore nectit aquas.  
 Nam mihi quo, Poenis si purpura fulgeat ostris.  
 Crystallusque *c)* suas ornet aquosa manus?  
 Flore sacella tego, verbenis compita velo,  
 Et crepat ad veteres herba sabina focos.  
 Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno,  
 Seu voluit tangi parca lucerna mero:  
 Illa dies hornis caedem denuntiat agnis,  
 Succinctique calent ad nova lucra popae. *d)*  
 Ne precor, adscensis tanti sit gloria Bactris,  
 Raptave odorato carbasa lina duci:  
 Plumbea quum tortae sparguntur pondera fundae,  
 Subdolos et versis increpat arcus equis.  
 Sed tua perdomitis Parthae telluris alunis  
 Pura triumphantes hasta *e)* sequatur equos!  
 Armaque quum tulero portae votiva Capenae,  
 Subscribam: *Salve grata puella viro.*

*a) Eous equus, i. e. aurora, seu oriens.*

- b) *Ocnus*, ( $\delta\kappa\upsilon\sigma$  pigritia) pigritiæ causâ ad hanc poëtam, cuius poëta hic meminit, fuit damnatus.  
 c) *Annulus*, cum crystallo splendente, pro quavis gemma.  
 d) *Popæe*, qui hostias immolarant, et inde lucrum fecerant.  
 e) *Hasta pura* (hasta lignea, non obducta aere) donati sunt illi, qui fortitudinæ bellicæ inclauerunt.

## De pugna navali ad Actium.

Lib. IV. 6.

Sacra facit vates, sint ora faventia sacris  
 Et cadat ante meos icta juvenca focos.  
 Serta Philetæis certent Romana corymbis,  
 Et Cyrenæas urna ministret aquas. a)  
 Costum molle date, et blandi mihi turis honores,  
 Terque focum circa laneus orbis eat.  
 Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris  
 Tibia Mygdoniis libet eburna cadis.  
 Ite procul fraudes, alio sint aëre noxæ,  
 Pura novum vati laurea mollit iter.  
 Musa, Palatini referamus Apollinis aedem: b)  
 Res est, Calliope, digna favore tuo.  
 Caesaris in nomen ducuntur carmina: Caesar  
 Dum canitur, quaeso, Iupiter ipse vaces.  
 Est Phoebi fugiens Athamana c) ad litora portus,  
 (Qua sinus Ioniae murmura condit aquae,)  
 Actia Julææ pelagus monumenta carinae,  
 Nautarum votis non operosa via.  
 Huc mundi coiere manus; stetit æquore moles  
 Pineæ, nec remis aequa favebat avis, d)  
 Altera classis erat tenero damnata Quirino, e)  
 Pilaque feminea turpiter apta manu.  
 Hinc Augusta ratis plenis Jovis omine velis,  
 Signaque jam patriæ vincere docta suæ.  
 Tandem acies geminos Naereus lunarat in arcus:  
 Armorum radiis picta tremebat aqua.  
 Quum Phoebus linquens stantem se vindice Delon,  
 (Nam tulit iratos mobilis ante Notos)  
 Adstitit Augusti puppem super, et nova flamma  
 Luxit in obliquam ter sinuata facem.  
 Non ille attulerat crines in colla solutos,  
 Aut testudineæ, carmen inerme lyrae:  
 Sed quali adspexit Pelopeum Agamemnona vultu,  
 Egessitque avidis Dorica castra rogis:

Aut qualis flexos solvit Pythona per orbés  
 Serpentem, imbelles quem timuere lyrae,  
 Mox ait, o Longa mundi servator ab Alba, g)  
 Auguste, Hectoreis cognite major avis:  
 Vince mari, jam terra tua est, tibi militat arcus,  
 Et favet ex humeris hoc onus omne meis.  
 Solve metu patriam, quae nunc, te vindice freta,  
 Imposuit prorae publica vota tuae.  
 Quam nisi defendes, murorum Romulus augur  
 Ire Palatinas non bene vidit aves. h)  
 Et nimium remis audent, proh turpe! latinis,  
 Principe te, fluctus regia vela pati.  
 Nec te, quod classis centenis remiget alis,  
 Terreat: invito labitur illa mari.  
 Quodque vehunt prorae Centauros saxa minantes;  
 Tigna cava, et pictos experiere metus,  
 Frangit et attollit vires in milite causa:  
 Quae nisi justa subest, excutit arma pudor.  
 Tempus adest; committe rates; ego temporis auctor  
 Ducam laurigera Julia rostra manu.  
 Dixerat, et pharetrae pondus consumit in arcus,  
 Proxima post arcus Caesaris hasta furit.  
 Vincit Roma fide Phoebi, dat femina poenas,  
 Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.  
 At pater Idalio i) miratus Caesar ab astró:  
*Sum deus; en nostri sanguinis ista fides.*  
 Prosequitur cantu Triton, omnesque marinae  
 Plauserunt circa libera signa deae.  
 Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci,  
 Hoc unum, jusso non moritura die.  
 Di melius! quantus mulier foret una triumphus,  
 Ductus erat per quas ante Jugurtha vias?  
 Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod ejus  
 Una decem vicit missa sagitta rates.  
 Bella satis cecini: citharam jam poscit Apollo  
 Victor, et ad placidos exiit arma choros.  
 Candida nunc molli subeant convivia luco,  
 Blanditaeque fluant per mea colla rosae.  
 Vinaque fundantur prelis elisa Falernis,  
 Terque lavet nostras spica Cilissa k) comas.  
 Ingenium potis irritat musa poetis:  
 Bacche, soles Phoebó fertilis esse tuo.  
 Ille paludosos memoret servire Sicambros,  
 Cepheam hic Meroën; fuscaque regna canat;

Hic referat serò confessum foedere Parthum, *l*)  
 Reddat signa Remi, mox dabit ipse sua.  
 Sive aliquid pharetris Augustus parcat eois.  
 Differat in pueros ista tropaea suos. *m*)  
 Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas;  
 Ire per Euphratem ad tua busta licet.  
 Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec  
 Injiciat radios in mea vina dies.

- a*) *Corymbi*, uvæ hederarum, pro corona hederacea. *Cyrenaeus* i. e. Callimachus natus Cyrenis, et *Philetus*, poetæ elegiaci graeci nobiles  
*b*) Dedicatam ab Augusto in victoriae Actiæ memoriam.  
*c*) Ora Epiri, ubi Actium promontorium ad mare Ionium.  
*d*) i. e. fortuna.  
*e*) Antonio.  
*f*) Apollo, Agamemnoni ob Chryseiden patri non redditam iratus, peste punivit graecos.  
*g*) Augustus ab Albanorum regibus genus suum ducere voluit.  
*h*) Romulus in Monte Palatino aves augurium vidit.  
*i*) *Idalium astrum*, seu stella crinita, in quam Julius Caesar transformatus dicebatur.  
*k*) *Spica Cilissa*, (Ciliciens Narde) est crocus, vel potius oleum crocinum. Spica dicitur, ratione capillosi floris, in Cilicia nascentis.  
*l*) *Sicambri*, populi Germania (Westphalen) de quibus triumphatum est: *Meroë* insula Nili: Candace Aethiopum regina victa: *Parthi* signa Romana, quae in Crassi clade abstulerant, reddiderunt.  
*m*) Cajus, filius Augusti adoptivus, accinxerat se ad expeditionem Parthicam.

### Ad Paulum. *a*)

#### Lib. IV. 12.

**D**esine, Paule, meum lacrimis urgere sepulcrum;  
 Panditur ad nullas janua nigra preces.  
 Quum semel infernas intrarunt funera leges;  
 Non exorato stant adamante viae.  
 Te licet orantem furvae deus audiat aulae,  
 Nempe tuas lacrimas litora surda bibent.  
 Vota movent superos; ubi potitor aera recepit,  
 Obserat herbosos lurida porta agros.  
 Sic moestae cecinere tubae, quum subdita nostrum  
 Detraheret lecto fax inimica caput.

Quid mihi conjugium Paulli, quid currus avorum  
 Profuit? aut famae pignora tanta meae?  
 Num minus immites habui Cornelia Parcas?  
 En sum, quod digitis quinque levatur, onus,  
 Damnatæ noctes, et vos, vada lenta, paludes,  
 Et quaecumque meos implicat unda pedes;  
 Immatura licet, tamen huc non noxia *b)* veni.  
 Det pater *c)* hic umbræ mollia jura meae.  
 Aut si quis posita iudex sedet Aecus urna,  
 In mea sortita vindicet ossa pila.  
 Adsideant fratres, juxta Minoia sella, et  
 Eumenidum intento turba severa foro.  
 Sisyphæ mole vaces; taceant Ixionis orbes:  
 Fallax Tantaleo corripiare liquor.  
 Cerberus et nullas hodie petat improbus umbras,  
 Et jaceat tacita lapsa catena sera.  
 Ipsa loquor pro me, si fallo, poena sororum *d)*  
 Infelix humeros urgeat urna meos.  
 Si cui fama fuit per avita tropæa decori,  
 Afra Numantinos *e)* regna loquuntur avos.  
 Altera maternos exaequat turba Libones. *f)*  
 Et domus est titulis utraque fulta suis  
 Mox ubi jam facibus cessit praetexta maritis,  
 Vixit et acceptas altera vitta comas:  
 Jungor, Paulæ tuo sic discessura cubili.  
 In lapide hoc, *uni nupta fuisse*, legar.  
 Testor majorum cineres tibi, Roma, colendos,  
 Sub quorum titulis Africa tonsa jaces,  
 Et Persen *g)* proavi simulantem pectus Achillis,  
 Quique tuas proavus fregit, Achille, domos:  
 Me neque censurae legem moluisse; nec ulla  
 Labe mea vestros erubuisse focos,  
 Non erat exuviis tantis Cornelia damnum:  
 Quin erat et magnæ pars imitanda domus.  
 Nec mea mutata est aetas: sine crimine tota est:  
 Viximus insignes inter utramque facem.  
 Mi natura dedit leges a sanguine ductas,  
 Ne possem melior iudicis esse metu.  
 Quaelibet austeras de me ferat urna tabellas;  
 Turpior adsessu non erit ulla meo.  
 Vel tu, quæ tardam movisti fune Cybellem  
 Claudia *h)*, turritæ cara ministra deae;  
 Vel cui, commissos quum Vesta reposceret ignes,  
 Exhibuit vivos carbasus alba *i)* focos.  
*Select. Exempl. Vol. II.*

Nec te, dulce caput, mater Scribonia laesi.  
 In me mutatum quid, nisi fata, velis?  
 Maternis laudor lacrimis urbisque querelis,  
 Defensa et gemitu Caesaris ossa mea.  
 Ille sua nata dignam vixisse sororem  
 Increpat: et lacrimas vidimus ire deo.  
 Et tamen emerui generosos vestis honores,  
 Nec mea de sterili facta rapina domo.  
 Tu Lepide, et tu Paulle, h) meum post fata levamen  
 Condita sunt vestro lumina nostra sinu.  
 Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem;  
 Consule quo facto tempore rapta soror.  
 Filia tu specimen censurae nata paternae,  
 Fac teneas unum, nos imitata, virum.  
 Et serie fulcite genus; mihi cymba volenti.  
 Solvitur aucturis tot mea fata malis.  
 Haec est feminei merces extrema triumphii;  
 Laudat ubi emeritum libera fama rogum.  
 Nunc tibi commendo, communia pignora, natos.  
 Haec cura et cineri spirat inusta meo.  
 Fungere maternis vicibus, pater, illa meorum  
 Omnis erit collo turba ferenda tuo.  
 Oscula quum dederis tua flentibus, adjice *matris*;  
 Tota domus coepit nunc onus esse tuum.  
 Et si quid doliturus eris, sine testibus illis;  
 Quum venient, siccis oscula falle genis.  
 Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges:  
 Somniaque in faciem credita saepe meam.  
 Atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,  
 Ut responsurae singula verba jace.  
 Seu tamen adversum mutarit janua lectum,  
 Sederit et rostro cauta noverca toro:  
 Conjugium, pueri, laudate et ferte paternum:  
 Capta dabit vestris moribus illa manus.  
 Nec matrem laudate nimis; collata priori  
 Vertet in offensas libera verba suas.  
 Seu memor ille mea contentus manserit umbra,  
 Et tanti cineres duxerit esse meos;  
 Discite venturam jam nunc sentire senectam,  
 Caelibus ad curas nec vacet ulla via.  
 Quod mihi detractum est, vestros accedat ad a nnos  
 Prole mea Paullum sic juvet esse senem.  
 Et bene habet; nunquam mater lugubria sumsi;  
 Venit, in exsequias tota caterva meas.

Causa perorata est: flentes me surgite testes,  
 Dum pretium vitae grata rependit humus.  
 Moribus et coelum patuit: sim digna merendo,  
 Cujus honoratis ossa vehantur equis.

- a) In hac elegia, quam omnium elegiarum principem reginam eruditi vocandam putant, inducitur umbra Corneliae, filiae Scipionis et Scriboniae, et L. Aemilio Paulo censori nuptae, loquens lugentem maritum solatura.  
 b) Mortem praecocem propter commissum aliquod scelus in diis immitti credebant.  
 c) Pluti.  
 d) Danaïdom.  
 e) Scipio Africanus cepit Numantiam.  
 f) *Libones*, materni avi aequales sunt celebritate paternis.  
 g) *Perses*, ultimus Macedonum rex, qui se ab Achille ortum gloriabatur, a L. Aemilio Paulo victus et in triumpho ductus est.  
 h) *Quinta Claudia*, Cybeles ministra, de violata pudicitia falso suspecta, navem cum simulacro Matris Idaeae zona sacra adhibita, traxit.  
 i) Ignis Vestae sacer incuria Aemiliae vestalis extinctus, per injectam carbasum albam denuo exarsit.  
 k) Corneliae filii.

Ex P. Ovidio Nasone.

Lib. I. 3.

Quum subit illius tristissima noctis imago,  
 Quae mihi supremum tempus in urbe fuit:  
 Quum repeto noctem; qua tot mihi cura reliqui:  
 Labitur ex oculis nunc quoque gutta meis.  
 Jam prope lux aderat, qua me discedere Caesar  
 Finibus extremæ jusserat Ausoniae.  
 Nec spatium nec mens fuerat satis apta parandi;  
 Torpuerant longa pectora nostra mora.  
 Non mihi servorum, comites non cura legendi,  
 Non aptae profugo vestis opisve fuit.  
 Non aliter stupui, quam qui, Jovis ignibus ictus,  
 Vivit et est vitae nescius ipse suae.  
 Ut tamen hanc animi nubem dolor ipse removit,  
 Et tandem sensus convaluere mei:  
 Adloquor extremum moestos abiturus amicos,  
 Qui modo de multis unus et alter erant.

Uxor amans flentem flens acrius ipsa tenebat,  
 Imbre per indignas usque cadente genas.  
 Nata procul Lybicus aberat diversa sub oris,  
 Nec poterat fati certior esse mei.  
 Quocumque adspiceres, luctus gemitusque sonarunt;  
 Forma que non taciti funeris intus erat.  
 Femina virque, meo pueri quoque funere moerent:  
 Inque domo lacrimas angulus omnis habet,  
 Si licet exemplis in parvo grandibus uti,  
 Haec facies Trojae, quum caperetur, erat.  
 Jamque quiescebant voces hominum canumque,  
 Lunaque nocturnos alta regebat equos;  
 Hanc ego suspiciens, et adhuc Capitolia cernens,  
 Quae nostro frustra juncta fuere Lari:  
 Numina vicinis habitantia sedibus, inquam,  
 Jamque oculis nunquam templa videnda meis:  
 Dique relinquendi, quos urbs habet alta Quirini,  
 Este salutati tempus in omne mihi!  
 Et quamquam sero clypeum post vulnera sumo,  
 Attamen hanc odiis exonerate fugam;  
 Caelestique viro, qui me deceperit error,  
 Dicite, pro culpa ne scelus esse putet:  
 Ut quod sentitis, poenae quoque sentiat auctor.  
 Placato, possum non miser esse, deo.  
 Hac prece adoravi superos ego, pluribus uxor,  
 Singultu medios impediens sonos:  
 Illa etiam ante Lares sparsis prostrata capillis,  
 Contigit extinctos ore tremente focos:  
 Multaque in adversos effudit verba Penates,  
 Pro deplorato non valitura viro.  
 Jamque morae spatium nox praecipitata negabat,  
 Versaque ab axe suo Parhasis arctos erat.  
 Quid facerem? blando patriae retinebar amore:  
 Ultima sed jussae nox erat illa fugae.  
 Ah quoties aliquo dixi properante: *Quid urges?*  
*Vel quo festines ire, vel unde, vide.*  
 Ah quoties certam me sum mentitus habere  
 Horam, propositae quae foret apta viae.  
 Ter limen tetigi, ter sum revocatus, et ipse  
 Indulgens animo pes mihi tardus erat.  
 Saepe vale dicto rursus sum multa loquutus,  
 Et quasi discedens oscula summa dedi:  
 Saepe eadem mandata dedi, meque ipse fefelli,  
 Respiciens oculis pignora cara meis.

Denique quid propero? Scythia est, quo mittimur, inquam,  
 Roma relinquenda est; utraque justa mora est,  
 Uxor in aeternum vivo mihi viva negatur,  
 Et domus et fidae dulcia membra domus:  
 Quosque ego dilexi fraterno more sodales,  
 O mihi Thesea pectora juncta fide!  
 Dum licet amplectar, numquam fortasse licebit  
 Amplius; in lucro est, quae datur hora mihi.  
 Nec mora, sermonis verba imperfecta relinquo,  
 Amplectens animo proxima quaeque meo.  
 Dum loquor et flemus; coelo nitidissimus alto,  
 Stella gravis nobis, Lucifer ortus erat.  
 Dividor haud aliter, quam si mea membra relinquam:  
 Et pars abrumpi corpore visa suo est.  
 Sic doluit Priamus tunc, quum in contraria versus  
 Ultiores habuit proditionis equus.  
 Tum verò exoritur clamor, gemitusque meorum,  
 Et feriunt moestae pectora nuda manus;  
 Tum vero conjux, humeris abeuntis inhaerens,  
 Miscuit haec lacrimis tristia dicta meis:  
*Non potes avelli, simul hinc, simul ibimus ambo,  
 Te sequar, et conjux exsulis exsul ero.*  
*Et mihi facta via est, et me capit ultima tellus:*  
*Accedam profugae sarcina parva rati,  
 Te jubet e patria discedere Caesaris ira,  
 Me pietas: pietas haec mihi Caesar erit.*  
 Talia tentabat, sicut tentaverat ante:  
 Vixque dedit victas utilitate manus.  
 Egredior sive illud erat sine funere ferri,  
 Squalidus, immissis hirta per ora comis.  
 Illa dolore mei tenebris narratur obortis  
 Semianimis media procubuisse domo:  
 Utque resurrexit, foedatis pulvere turpi  
 Crinibus, et gelida membra levavit humo:  
 Se modo, desertos modo deplorasse Penates,  
 Nomen et erepti saepe vocasse viri:  
 Nec gemuisse minus, quam si nataeve, meumve  
 Vidisset structos corpus habere rogos:  
 Et voluisse mori, moriendo ponere sensus,  
 Respectuque tamen non periisse mei.  
 Vivat, et absentem, quoniam sic fata tulerunt,  
 Vivat, et auxilio sublevet usque suo.

**N**unc ego Triptolemi cuperem conscendere currus  
 Misit in ignotam qui rude semen humum:  
 Nunc ego Medae vellem frenare dracones,  
 Quos habuit fugiens arce, Corinthe, tua:  
 Nunc ego jactandas optarem sumere pennas,  
 Sive tuas, Perseu, Daedale, sive tuas;  
 Ut, tenera nostris cedente volatibus aura,  
 Adspicerem patriae dulce repente solum,  
 Desertaeque domus vultus, memoresque sodales,  
 Caraque praecipue conjugis ora meae.  
 Stulte, quid haec frustra votis puerilibus optas?  
 Quae non ulla tibi fertque, feretque dies.  
 Si semel optandum est, Augusti numen adora,  
 Et quem laesisti, rite precare deum.  
 Ille tibi pennasque potest currusque volucres  
 Tradere; det redditum, protenus ales eris.  
 Si precer haec (neque enim possum majora precari)  
 Ne mea sint, timeo, vota modesta parum.  
 Forsitan hoc olim, quum jam satiaverit iram,  
 Tunc quoque sollicita mente rogandus erit.  
 Quod minus interea est, instar mihi muneris ampli;  
 Ex his me jubeat quolibet ire locis.  
 Nec coelum nec aquae faciunt, nec terra nec aurae:  
 Hei mihi! perpetuus corpora languor habet.  
 Seu viuant artus aegrae contagia mentis,  
 Sive mei causa est in regione mali:  
 Ut tetigi pontum vexant insomnia, vixque  
 Ossa tegit macies, nec iuvat ora cibus.  
 Quippe per auctumnum percussis frigore primo  
 Est color in foliis, quae nova laesit hiems:  
 Is mea membra tenet, nec viribus adlevor ullis,  
 Et nunquam queruli causa doloris abest  
 Nec melius valeo, quam corpore, mente: sed aegra est  
 Utraque pars aequae, binaque damna ferro.  
 Haeret et ante oculos, veluti spectabile corpus  
 Adstans, fortunae forma videnda meae.  
 Quumque locos, moresque hominum, cultusque sonosque  
 Cernimus; et quid sim, quid fuerimque subit:  
 Tantus amor necis est, querar ut de Caesaris ira,  
 Quod non offensas vindicet ense suas.  
 At quoniam semel est odio civiliter usus,  
 Mutato levior sit fuga nostra loco.

## Ex Ovidii Heroidibus.

## Dido Aeneae.

Sic, ubi fata vocant, udis abjectus in herbis  
 Ad vada Maeandri concinit albus olor.  
 Nec, quia te nostra sperem prece posse moveri,  
 Adloquor: adverso movimus ista deo.  
 Sed merita et famam, corpusque animumque pudicum  
 Quum male perdiderim: perdere verba leve est.  
 Certus es ire tamen, miseramque relinquere Dido:  
 Atque idem venti vela fidemque ferent.  
 Certus es, Aenea, cum foedere solvere naves,  
 Quaeque ubi sint, nescis, Itala regna sequi.  
 Nec nova Carthago, nec te crescentia tangunt  
 Moenia, nec sceptro credita summa tuo.  
 Facta fugis, facienda petis: quaerenda per orbem  
 Altera, quaesita est altera terra tibi.  
 Ut terram invenias, quis eam tibi tradet habendam?  
 Quis sua non notis arva tenenda dabit?  
 Quando erit, ut condas instar Carthaginis urbem,  
 Et videas populos altus ab arce tuos?  
 Te lapis et montes, innataque rupibus altis  
 Robora, te saevae progenuere ferae:  
 Aut mare, quale vides agitari nunc quoque ventis;  
 Quo tamen adversis fluctibus ire paris.  
 Quo fugis? obstat hiems; hiemis mihi gratia prosit:  
 Adspice, ut eversas concitet Eurus aquas.  
 Quod tibi maluerim, sine me debere procellis:  
 Justior est animo ventus et unda tuo.  
 Non ego sum tanti, quamvis merearis, inique!  
 Ut pereas, dum me per freta longa fugis.  
 Exerces pretiosa odia, et constantia magno,  
 Si, dum me careas, est tibi vile mori.  
 Jam venti ponent; strataque aequaliter unda  
 Caeruleus Triton per mare curret equis.  
 Tu quoque cum ventis utinam mutabilis esses!  
 Et, nisi duritia robora vincis, eris.  
 Quid? si nescieris, insana quid aequora possint?  
 Expertae toties tam male credis aquae?  
 Ut pelago suadente etiam retinacula solvas,  
 Multa tamen latus tristitia pontus habet.  
 Nec violasse fidem tentantibus aequora prodest,  
 Perfidiae poenas exigit ille locus.

Perdita ne perdam, timeo, noceamve nocenti,  
 Neu bibat aequoreas naufragus hostis aquas.  
 Vive, precor: sic te melius, quam funere perdam:  
 Tu potius lethi causa ferare mei.  
 Finge, age, te rapido, (nullum sit in omine pondus!)  
 Turbine deprende: quid tibi mentis erit?  
 Protenus occurrent falsae perjuria linguae,  
 Et phrygia Dido fraude coacta mori.  
 Conjugis ante oculos deceptae stabit imago  
 Tristis, et effusis sanguinolenta comis.  
 Quidquid id est: *totum merui, concede*; dicas,  
 Quaeque cadent, in te fulmina missa putes.  
 Da breve saevitiae spatium pelagique tuaeque;  
 Grande morae pretium tuta futura via est,  
 Nec mihi parcat, puero parcat Iulo.  
 Te satis est titulum mortis habere meae.  
 Quid puer Ascanius: quid dī meruere Penates!  
 Ignibus ereptos obruet unda deos,  
 Sed neque fers tecum: nec, quae mihi, perfide, jactas,  
 Presserunt humeros sacra paterque tuos.  
 Omnia mentiris; neque enim tua fallere lingua  
 Incipit a nobis, primaque plector ego.  
 Si quaeras, ubi sit formosi mater Iuli? *a)*  
 Occidit a duro sola relicta viro.  
 Haec mihi narraras. An me movere? Merentem  
 Ure; minor culpa poena futura mea est.  
 Haec mihi mens dubia est, quin te tua numina damnent,  
 Per mare, per terras septima jactat hiems.  
 Fluctibus ejectum tuta statione recepi,  
 Vixque bene audito nomine, regna dedi.  
 His tamen officiis utinam contenta fuisset,  
 Et mihi conjugii fama sepulta foret!  
 Exige laese pudor poenas, violate Sichaeo, *b)*  
 Ad quem, me miseram! plena pudoris eo.  
 Est mihi marmorea sacratus in aede Sichaeus,  
 Adpositae frondes velleraque alba tegunt.  
 Hinc ego me sensi noto quater ore citari:  
 Ipse sono tenui dixit: *Elissa c) veni*.  
 Nulla mora est, venio: venio tibi debita conjux;  
 Sed tamen admissi tarda pudore mei.  
 Da veniam culpae; decepit idoneus auctor;  
 Invidiam noxae detrahit ille meae.  
 Diva parens, seniorque pater pia sarcina nati,  
 Spem mihi mansuri rite dedere viri.

Si fuit errandum, causas habet error honestas :  
 Adde fidem, nulla parte pigendus erit.  
 Durat in extremum, vitaeque novissima nostrae  
 Prosequitur fati, qui fuit ante, tenor.  
 Occidit internas conjux mactatus ad aras,  
 Et sceleris tanti praemia frater habet:  
 Exsul agor; cineresque viri patriamque relinquo,  
 Et feror in duras, hoste sequente, vias.  
 Adplicor his oris, fratrique elapsa fretoque,  
 Quod tibi donavi, perfide, litus emo.  
 Urbem constitui, lateque potentia fixi  
 Moenia, finitimis invidiosa locis.  
 Bella tument: bellis peregrina, et femina tentor;  
 Vixque rudes portas urbis et arma paro.  
 Mille procis placui, qui me cupiere, querenes,  
*Nescio quem d) thalamis praeposuisse suis.*  
 Quid dubitas, vinctam gaetulo tradere Iarbae? e)  
 Praebuerim sceleri brachia nostra tuo.  
 Est etiam frater, cujus manus impia possit  
 Respergi nostro, sparsa cruore yiri.  
 Pone deos, et quae tangendo sacra profanas:  
 Non bene coelestes impia dextra colit.  
 Si tu cultor eras elapsis igne futurus;  
 Poenitet elapsos ignibus esse deos.  
*Sed jubet ire deus!* Vellem vetuisset adire,  
 Punica nec Teucris pressa fuisset humus.  
 Hoc duce, nempe deo, ventis agitaris iniquis,  
 Et teris in rapido tempora longa freto.  
 Pergama vix tanto tibi erant repetenda labore,  
 Hectore si vivo, quanta fuere, forent.  
 Non patrium Simoënta petis; sed Tibridis undas.  
 Nempe ut pervenias, quo cupis, hospes eris.  
 Utque latet, vitatque tuas abstrusa carinas,  
 Vix tibi continget terra petita seni.  
 Hos potius populos in dotem, ambage remissa,  
 Accipe, et advectas Pygmalionis opes,  
 Ilion in Tyriam transfer felicius urbem,  
 Inque loco regis sceptrata sacrata tepe.  
 Si tibi mens avida est belli, si quaerit Iulus,  
 Unde suo partus Marte triumphus eat:  
 Quem superet, ne quid desit, praebëbimus hostem,  
 Hic pacis leges, hic locus arma capit.  
 Tu modo, per patrem fraternaue tela, sagittas,  
 Perque fugae comites, Dardana sacra, deos!

(Sic superent, quoscumque tua de gente reportas,  
 Mars ferus, et damni sit modus ille tui,  
 Ascaniusque suos feliciter impleat annos,  
 Et senis Anchisae molliter ossa cubent!)  
 Parce, precor, domui, quae se tibi tradit habendam.  
 Quod crimen dicis, praeter amasse, meum?  
 Non ego sum Phthias, magnisque oriunda Mycenis:  
 Nec steterunt in te virque paterque meus.  
 Si pudet uxoris; non nupta, sed hospita dicar:  
 Dum tua sit Dido, quidlibet esse feret.  
 Nota mihi freta sunt Afrum frangentia litus:  
 Temporibus certis, dantque negantque viam.  
 Quum dabit aura viam, praeebebis carbasa ventis:  
 Nunc levis ejectam continet alga ratem.  
 Tempus ut observem, manda mihi; certius ibis:  
 Nec te, si cupies, ipsa manere sinam.  
 Et socii requiem poscunt, laniataque classis  
 Postulat exiguas semirefecta moras.  
 Pro meritis, et siqua tibi debebimus ultra,  
 Pro spe conjugii tempora parva peto:  
 Sin minus, est animus nobis effundere vitam.  
 In me crudelis non potes esse diu.  
 Adspicias utinam, quae sit scribentis imago!  
 Scribimus; et gremio troicus ensis adest:  
 Perque genas lacrimae strictum labuntur in ensem,  
 Qui jam pro lacrimis sanguine tinctus erit.  
 Quam bene conveniunt fato tua munera nostro!  
 Instruis impensa nostra sepulera brevi.  
 Anna soror, soror Anna, meae male conscia culpa,  
 Jam dabis in cineres ultima dona meos.  
 Nec, consumpta rogis, inscribar Elissa Sichaei:  
 Hoc tamen in tumuli marmore carmen erit:  
*Fraebuit Aeneas et causam mortis et ensem:*  
*Ipsa sua Dido concidit usa manu.*

a) Creusa.

b) Sichaeus, prior Didonis maritus, Herculis sacerdos Tyri,  
 ob divitiarum famam a Pygmalione interfectus.

c) Elissa, Dido.

d) Virum ignotum a me eligi et sibi praeponi querebantur

e) Gaetulia regio est in media prope Africa.

## Hypermnestra Lynceo.

**M**ittit Hypermnestra de tot modo fratribus uni:  
 Cetera, nuptarum crimine, turba jacet.  
 Clausa domo teneor, gravibusque coërcita vinclis.  
 Est mihi supplicii causa, fuisse piam.  
 Quod manus extimuit jugulo demittere ferrum,  
 Sum rea: laudarer, si scelus ausa forem.  
 Esse ream praestat, quam sic placuisse parenti.  
 Non piget, immunes caedis habere manus.  
 Me pater igne licet, quem non violavimus, urat;  
 Quaeque aderant sacris, tendat in ora faces;  
 Aut illo jugulet, quem non bene tradidit, ense;  
 Ut, qua non cecidit vir nece nupta cadam;  
 Non tamen, ut dicant morientia, *poenitet*, ora,  
 Efficiet. Non sum, quam piget esse piam.  
 Poeniteat sceleris Danaum, saevasque sorores.  
 Hic solet eventus facta nefanda sequi.  
 Cor pavet admonitu temeratae sanguine noctis;  
 Et subitus dextrae praepedit ossa tremor.  
 Quam tu caede putes fungi potuisse marito,  
 Scribere de facta non sibi caede timet;  
 Sed tamen experiar. Modo facta crepuscula terris;  
 Ultima pars lucis, primaque noctis erat;  
 Ducimur Inachides magni sub tecta Pelasgi;  
 Et socer armatas accipit ipse nurus.  
 Undique collucent praecinctae lampades auro:  
 Dantur in invitos impia tura focos.  
 Vulgus, *Hymen, Hymenace*, vocant: fugit ille vocantes.  
 Ipsa Jovis conjux cessit ab urbe sua.  
 Ecce mero dubii, comitum clamore frequentes,  
 Flore novo madidas impediētē comas, a)  
 In thalamos laeti, thalamos sua busta, feruntur;  
 Strataque corporibus funere digna premunt.  
 Jamque cibo vinoque graves somnoque jacebant,  
 Securumque quies alta per Argos erat:  
 Circum me gemitus morientum audire videbar  
 Et tamen audibam; quodque verebar, erat.  
 Ut leni Zephyro fragiles vibrantur aristae;  
 Frigida populeas ut quatit aëra comas:  
 Aut sic, aut etiam tremui magis. Ipse jacebas:  
 Quaeque tibi dederam vina, soporis erant.  
 Excussere metum violenti jussa parentis;  
 Erigor, et capio tela tremente manu.

Non ego falsa loquor: ter acutum sustulit ensem,  
 Ter male sublato decidit ense manus.  
 Admovi jugulo, sine me tibi vera feteri,  
 Admovi jugulo tela paterna tuo:  
 Sed timor et pietas crudelibus obstitit ausis.  
 Castaque mandatum dextra refugit opus,  
 Purpureos laniata sinus, laniata capillos,  
 Exiguo dixi talia verba sono:  
*Saevus, Hypermnestra, pater est tibi: fassa parentis*  
*Effice, germanis sit comes iste suis,*  
*Femina sum et virgo, natura mitis et annis;*  
*Non faciunt molles ad fera tela manus.*  
*Quin age, dumquo jacet, fortes imitare sorores;*  
*Credibile est, caesos omnibus esse viros.*  
*Si manus haec aliquam posset committere caedem;*  
*Morte foret dominae sanguinolenta suae.*  
*Quo meruere necem, patruelia regna tenenda,*  
*Quae tamen externis danda forent generis?*  
*Finge, viros meruisse mori: quid fecimus ipsae?*  
*Quo mihi commisso non licet esse piae?*  
*Quid mihi cum ferro? quo bellica tela puellae?*  
*Aptior est digitis lana colusque meis.*  
 Haec ego: dumque queror, lacrimae sua verba sequuntur.  
 Deque meis oculis in tua membra cadunt.  
 Dum forte evigilas, sopitaque brachia jactas,  
 Paene manus telo saucia facta tua est.  
 Jamque patrem famulosque patris, lucemque timebam.  
 Expulerant somnos haec mea dicta tuos:  
*Surge, ago, Belide, de tot modo fratribus unus:*  
*Nox tibi, ni properas, ista perennis erit.*  
 Territus exurgis: fugit omnis inertia somni.  
 Adspicis in timida fortia tela manu.  
 Quaerenti causam: *Dum nox sinit, effuge*, dixi.  
 Dum nox atra sinit, tu fugis, ipsa moror.  
 Mane erat, et Danaus generos ex cede jacentes  
 Dinumerat. Summae criminis unus abes.  
 Fert male cognatae jacturam mortis in uno:  
 Et queritur facti sanguinis esse parum.  
 Abstrahor a patriis pedibus; raptamque capillis  
 (Haec meruit pietas praemia) carcer habet.  
 Scilicet ex illo Junonia permanet ira;  
 Quo bos ex homine est, ex bove facta dea. *δ)*  
 At satis est poenae, teneram mugisse puellam.  
 Nec modo formosam posse placere Jovi.

Adstitit in ripa liquidi nova vacca parentis,  
 Cornuaque in patriis non sua vidit aquis;  
 Conatoque queri, mugitus edidit, ore:  
 Territaque est forma, territa voce sua.  
 Quid furis, infelix? quid te miraris in umbra?  
 Quid numeras factos ad nova membra pedes?  
 Illa Jovis magni pellex metuenda sorori,  
 Fronde levas nimiam cespitibusque famem.  
 Fonte bibis, spectasque tuam stupefacta figuram:  
 Et ne te feriant, quae geris, arma, times.  
 Quaeque modo, ut possis etiam Jove digna videri,  
 Dives eras; nudâ nuda recumbis humo.  
 Per mare, per terras, cognataque flumina curris;  
 Dat mare, dant amnes, dat tibi terra viam.  
 Quae tibi causa fugae? quid Io freta longa pererras?  
 Non poteris vultus effugere ipsa tuos.  
 Inachi, quo properas? Eadem sequerisque, fugisque;  
 Tu tibi dux comiti, tu comes ipsa duci.  
 Per septem Nilus portus emissus in aequor  
 Exit insanæ pellicis ora bovis.  
 Ultima quid referam, quorum mihi cana senectus  
 Auctor? dant anni, quod querar, ecce, mei.  
 Bella pater patruusque gerunt! regnoque domoque  
 Pellimur: e) ejectos ultimus orbis habet.  
 Ille ferox solus solio sceptroque potitur:  
 Cum senè nos inopi turba vagamur inops.  
 De fratrum populo pars exiguissima restas,  
 Quique dati letho quaeque dedere, fleo.  
 Nam mihi, quot fratres, totidem periire sorores.  
 Accipiat lacrimas utraque turba meas.  
 En! ego, quod vivis poenae crucianda reservor.  
 Quid fiet sonti, quum rea laudis agar?  
 Et consanguineae quondam centesima turbæ  
 Infelix, uno fratre manente, cadam.  
 Et tu, si qua pia, Lynceu, tibi cura sororis,  
 Quaeque tibi tribui munera, dignus habes:  
 Vel fer opem, vel dede neci; defunctaque vita  
 Corpora furtivis insuper adde rogis.  
 Et sepeli lacrimis perfusa fidelibus ossa:  
 Scriptaque sint titulo nostra sepulcra brevi:  
*Exsul Hypermnestra, pretium pietatis iniquum,*  
*Quam mortem fratri depulit, ipsa tuit.*  
 Scribere plura libet, sed pondere lassa catenæ  
 Est manus, et vires subtrahit ipse timor.

- a) Sponsi vino capti, et titubantes comitibus strepentibus stipati, coronam, quae ligabat comas, habuere e floribus recentibus contextam.  
 b) Juno odit puellas Argivas, ex quo tempore Io placuit Jovi, quorum filius est Epaphus; ex Epapho natus est Belus priscus, pater Danaï et Aegypti.  
 c) Aegyptus Danaum regno spoliatur.

## II. Carmina Lyrica.

*Ex Q. Horatio Flacco.*

Ad Maecenatem.

*Lib. I. 1.*

Maecenas, atavis edite regibus, a)  
 O et praesidium et dulce decus meum:  
 Sunt, quos curriculo pulverem Olympicum  
 Collegisse juvat: metaque fervidis  
 Evitata rotis, palmaque nobilis  
 Terrarum dominos evēhit ad deos;  
 Hunc, si mobilium turba Quiritium  
 Certat tergeminis tollere honoribus;  
 Illum, si proprio condidit horreo,  
 Quidquid de Libycis b) verritur areis;  
 Gaudentem patrios findere sarculo  
 Agros, Attalicis c) conditionibus  
 Numquam dimoveas, ut trabē Cypria  
 Myrtonum pavidus nauta secet mare.  
 Luctantem Icaris d) fluctibus Africum  
 Mercator metuens, otium et oppidi  
 Laudat rura sui: mox reficit rates  
 Quassas, indocilis pauperiem pati.  
 Est, qui nec veteris pocula massici, e)  
 Nec partem solido demere de die  
 Spernit: nunc viridi membra sub arbuto  
 Stratus, nunc ad a. ae lene caput sacrae.  
 Multos castra juvant; et lituo tubae f)  
 Permistus sonitus, bellaque matribus

Detestata; manet sub Jove frigido  
 Venator, tenerae conjugis immemor,  
 Seu vita est catulis cerva fidelibus,  
 Seu rupit teretes marsus g) aper plagas.  
 Me doctarum hederæ præmia frontium  
 Dis miscent superis; me gelidum nemus,  
 Nympharumque leves cum satyris chori  
 Secernunt populo: si neque tibus  
 Euterpe cohibet, nec Polyhymnia  
 Lesboum refugit tendere barbiton.  
 Quod si me lyricis vatibus inseres:  
 Sublimi feriam sidera vertice.

- a) *Maecenas* a regibus *Hetruriae* deduxit genus.  
 b) *Libya*, pars *Africae Aegyptio* contermina, frumenti fertilis-  
 sima.  
 c) *Attalus III. Pilometor*, rex *Pergami*, tantis floruit opibus,  
 ut earum heredem non alium, quam *populum romanum*  
 esse voluerit. Hinc magnifica et splendida quaeque dicun-  
 tur *Attalica*.  
 d) *Mare Myrtoum et Icarium* sunt partes maris *Aegaei* seu  
*Archipelagi*.  
 e) Vinum *massicum*, quod a *Massico* monte ad *Sinuessam* in  
*Campania* nominabatur, erat e generosissimis.  
 f) *Tuba* sono gravi excitabat pedites, *lituus* acuto clangore  
 equites.  
 g) Apud *Marsos*, *Sabinis* adfines, plurimae fuerunt silvae,  
 in quibus venatio frequens.

## Ad Augustum Caesarem.

## Lib. I. 2.

Jam satis terris nivis a), atque dirae  
 Grandinis misit pater, et rubente  
 Dexteræ sacras jaculatus arces, b)  
 Terruit urbem,  
 Terruit gentes, grave ne rediret  
 Seculum *Pyrrhae*, nova monstra questae,  
 Omne quum *Proteus* pecus egit altos  
 Visere montes:  
 Piscium et summa genus haesit ulmo,  
 Nota quae sedes fuerat columbis;  
 Et superjecto pavidæ natarunt  
 Aequore *damae*.

Vidimus flavum Tiberim, retortis  
 Litore Etrusco violenter undis,  
 Ire dejectum monumenta regis,  
 Templaque Vestae:  
 Iliæ e) dum se nimium querenti  
 Jactat ultorem, vagus et sinistra  
 Labitur ripa, Jove d) non probante, u-  
 xorius amnis,  
 Audiet cives acuisse ferrum,  
 Quo graves Persae e) melius perirent,  
 Audiet pugnas, vitio parentum  
 Rara juventus.  
 Quem vocet divum populus ruentis  
 Imperi rebus? Prece, qua fatigent  
 Virgines sanctae minus audientem f)  
 Carmina Vestam?  
 Cui dabit partes scelus expiandi  
 Jupiter? Tandem venias, precamur,  
 Nec candentes humeros amictus,  
<sup>nive</sup> Augur Apollo.  
 Sive tu mavis, Erycina ridens,  
 Quam Jocus circumvolat, et Cupido,  
 Sive neglectum genus et nepotes  
 Respicias Auctor: g)  
 Heu, nimis longo satiate ludo!  
 Quem juvat clamor, galeaeque leves,  
 Acer et Mauri peditis cruentum  
 Vultus in hostem.  
 Sive mutata juvenem figura  
 Ales in terris imitaris, almae  
 Filius h) Majae, patiens vocari  
 Caesaris ultor:  
 Serus in coelum redeas, diuque  
 Lactus intersis populo Quirini;  
 Neve te nostris vitiis iniquum  
 Ocyor aura  
 Tollat, Hic magnos potius triumphos,  
 Hic ames dici i) Pater atque Princeps;  
 Neu sinas Medos equitare inultos,  
 Te duce, Caesar.

a) Nivium ingens copia Tiberis eluvionem fecerat. Hoc prodigium a diis, in Caesaris occisi ultionem, immissum putabatur.

- b) *Sacrae arses*, Jovis aedes in Capitolio. Magnam fuisse Jovis iram credebant, quum neque aedi sibi sacrae pepercit.
- c) *Ilia*, Amulii jussu in Tiberim praecipitata, huic fluvio nupta fingitur.
- d) *Jove non probante*; quia hanc ultionem fata reservarunt Augusto.
- e) *Graves Persae*, i. e. Parthi; a Medis enim ad Persas, a Persis ad Parthos transiit regnum. Dicuntur *graves* ob Crassi cladem.
- f) *Minus audientem carmina*, prae ira, tum ob effusum sanguinem sibi cognatum, tum ob violatam religionem, quia Caesar erat summus pontifex.
- g) *Apollo, Venus et Mars* jam in bello Trojano stabant a Trojanorum partibus.
- h) Augustus 19 annorum erat, quum Julius Caesar occisus est; comparatur cum Mercurio, qui et deus ingeniosissimus, et symbolum pulchritudinis juvenilis habebatur.
- i) Augustus tres egit triumphos, his ovans ingressus est urbem: nullotamen magis laetatus est honore, ut ait Suetonius, quam quum ab universis *Pater patriae* est salutatus.

Ad navem, qua Virgilius Athenas proficiscens  
vehebatur.

Lib. I. 3.

*te*  
Sic de Diva potens Cypri,  
Sic fratres Helenae, a) lucida sidera;  
Ventorumque regat pater,  
Obstrictis aliis, praeter Iapyga, b)  
Navis, quae tibi creditum  
Debes Virgilium: finibus Atticis  
Reddas incolumem, precor;  
Et serves animae dimidium meae.  
Illi robur, et aes triplex  
Circa pectus erat, qui fragilem truci  
Commisit pelago ratem  
Primus, nec timuit praecipitem Africum  
Decertan em Aquilonibus,  
Nec tristes Hyadas, c) nec rabiem Noti; d)  
Quo non arbiter Adriae  
Major, seu ponere vult freta.  
Quem mortis timuit gradum,  
Qui siccis oculis mostra natantia,  
*Select. Exempl. Vol. II.*

Qui vidit mare turgidum, et  
 Infames scopulos alta Ceraunia?  
 Nequidquam deus absceidit  
 Prudens oceano dissociabili  
 Terras: si tamen impiae  
 Non tangenda rates transiliunt vada.  
 Audax omnia perpeti  
 Gens humana ruit per vetitum nefas.  
 Audax Iapeti genus  
 Ignem fraude mala gentibus intulit.  
 Post ignem aetheria domo  
 Subductum, macies et nova febrium  
 Terris incubuit cohors:  
 Semotique prius tarda necessitas  
 Lethi corripuit gradum.  
 Expertus vacuum Daedalus e) aëra  
 Pennis non homini datis.  
 Percurrit Acheronta Herculeus labor.  
 Nil mortalibus arduum est.  
 Coelum ipsum petimus stultitia; neque  
 Per nostrum patimur scelus  
 Iracunda Jovem ponere fulmina.

- a) Castor et Pollax mare a piratis liberarunt: hinc a Neptuno potestatem navigantibus opitulandi adepti sunt. Quorum sidera, quum simul adparent, salutaria putabantur: noxia vero, quum solitaria.
- b) *Iapyx*, i. e. *Favonius*, proprie, ventus e Calabria, quae etiam Iapygia dicta est, ab Iapyge, Daedali filio, Nordwestwind.
- c) Septem stellae, in fronte Tauri collocatae, dicuntur, a voce graeca *ὕστν pluere*, hyades, quia pluvias secum ferunt.
- d) *Notus*, Südwestwind, nomen habet a voce graeca *νότις humor*.
- e) *Daedalus*, faber Atheniensis ingeniosissimus, qui primus malum, antennas et vela navi dederat.

## Ad Sextium.

Lib. I. 4.

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni,  
 Trahuntque siccas machinae carinas:  
 Ac neque jam stabulis gaudet pecus aut arator igni,  
 Nec prata canis albicant pruinis.

Jam Cytherea chorus ducit Venus imminentē Iunā ;  
 Junctaeque nymphis gratiae decentes  
 Alterno terram quatunt pede, dum graves Cyclopum  
 Vulcanus ardens urit officinas. a)  
 Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire b) myrto ;  
 Aut flore, terrae quem ferunt solutae.  
 Nunc et in umbrosis Fauno c) decet immolare lucis,  
 Seu poscat, agna, sive malit, hoedo.  
 Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas,  
 Regumque turres. O beate Sexti,  
 Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.  
 Jam te premet nox fabulaeque manes ;  
 Et domus exilis Plutonia. Quo simul mearis ;  
 Non regnā vini sortiēre talis. d)

a) Ver in Italia calidius, quam apud nos: hinc jam cudentur fulmina, aestate sequenti vibranda.

b) Impedire, *πυκάζειν* constringebant tempora coronis suaveolentibus: quia hoc modo ebrietatem capitisque dolores aut impedire aut discuti opinabantur.

c) Faunus idibus Februariis placabatur, ut gregibus, qui tum ad pascua agi coeperant, esset propitius.

d) Eligebant veteres regem epularum sorte, seu talorum jactu:

## Ad Manutium Plancum.

Lib. I. 7.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen  
 Aut Ephesum, a) bimarisque Corinthi  
 Moenia; vel Baccho Thebas; vel Apolline Delphos  
 Insignes, aut Thessala Tempe.  
 Sunt quibus unum opus est; intactae Palladis arces  
 Carmine perpetuo celebrare, et  
 Undique decerptam fronti praeponere olivam.  
 Plurimus in Junonis honorem  
 Aptum dicit equis Argos ditiesque Mycenae.  
 Me nec tam patiens Lacedaemon,  
 Nec tam Larissae percussit campus opimae,  
 Quam domus Albunae b) resonantis,  
 Et praeceps Anuio; ac Tiburni lucus, et uda  
 Mobilibus pomaria rivis.  
 Albus ut obscuro deterget nubila coelo  
 Saepe Notus, neque parturit imbres  
 Perpetuos: sic tu sapiens finire memento  
 Tristitiam, vitaeque labores

Molli, Plance, meo: seu te fulgentia signis  
 Castra tenent, seu densa tenebit.  
 Tiburis umbra tui. Teucer Salamina *qj* patremque  
 Quum fugeret, tamen uda Lyaeo  
 Tempora populea fertur vinxisse corona,  
 Sic tristes adfatus amicos:  
*Quo nos cumque feret melior fortuna parente,*  
*Ibimus, o socii comitesque.*  
*Nil desperandum Teucro duse, et auspice Teucro.*  
*Certus enim promisit Apollo*  
*Ambiguam tellure nova Salamina futuram.*  
*O fortes, pejoraque passi*  
*Mecum saepe viri, nunc vino pellite curas:*  
*Cras ingens iterabimus aequor.*

- a) *Rhodos* clara a signo solis, inter septem mundi miracula numerato: et ab eloquentia. *Mitylene*, metropolis Lesbis patria Alcaei et Pittaci, qui erat e numero septem sapientum. *Ephesi* in Ionia celeberrimum. Dianae templum, per Herostratum in cineres versum. *Corinthus* metropolis Achaiae in Peloponneso. *Thebae* in *Boeotia* Bacchi et Herculis patria.
- b) *Albunear*, quae aliis *Leucothea* dicitur, nymphae nemus et templum erat sacrum Tibure ad Anienem, (hodie Tivoli) quod conditum fertur a Tiburno, seu Tiburto, et Catilo, Amphiarai filiis.
- c) *Salamis* (hodie *Coluri*) urbs et portus (*Goifo di Engia*) maris Aegaei. Cetera ex Homero et mythologia sunt notissima.

## Ad Mercurium. a)

Lib. I. 10.

**M**ercuri, facunde nepos Atlantis,  
 Qui feros cultus hominum recentum  
 Voce formasti catus, et docorae  
 More palaestrae:  
 Te canam magni Jovis et deorum  
 Nuntium, curvaeque lyrae parentem:  
 Callidum, quidquid placuit, jocoso  
 Concere furto.  
 Te, boves olim nisi reddidisses  
 Per dolum amotas puerum minaci  
 Voce dum terret, viduus pharetra  
 Risit Apollo.

Quin et Atridas, duce te, superbos  
 Ilio dives Priamus relicto,  
 Thessalosque ignes et iniqua Trojae  
 Castra fefellit:

Tu pias laetis animas reponis  
 Sedibus; virgaque levem coërces  
 Aurea turbam, superis deorum  
 Gratus et imis.

- a) Hymnus celebrans idibus Majis laudes Mercurii, quae pe-  
 tuntur, 1. a genere Mercurii, 2. ab ipsius meritis de gene-  
 re humano, 3. a muneribus, quibus fungebatur, 4. a rebus  
 inventis, 5. ab ipsius ingenio.  
 b) Muneribus apud superos et inferos fungens, dictus est  
 Ἐπιμῆρ κοινὸς (*Mercurius communis*.)

## Ad Leuconoën.

Lib. I. 11.

**T**u ne quaesieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi  
 Finem di dederint, Leuconoë, nec Babylonios a)  
 Tentaris numeros. Ut melius, quidquid erit, pati!  
 Seu plures hiemes, seu tribuit Jupiter ultimam,  
 Quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare  
 Tyrrhenum! Sapias, vina liques; et spatio brevi  
 Spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida  
 Aetas. Carpe diem, quam minimum credula postero.

- a) *Babylonii numeri*, die Nativitatis. *Stellungen*. Babylonii  
 seu Chaldaei fallaci se plurimum dabant Astrologiae,

## Ad Augustum.

Lib. I. 12.

**Q**uem virum aut herōa lyra, vel acri  
 Tibia sumis celebrare, Clio?  
 Quem deum? Cujus recinet jocosa  
 Nomen imago,  
 Aut in umbrosis Heliconis oris,  
 Aut super Pindo gelidove in Haemo?  
 Unde vocalem temere insequutae  
 Orphea silvae,  
 Arte materna rapidos morantem  
 Fluminum lapsus, celeresque ventos.

Blandum et auritas fidibus canoris

Ducere quercus.

Quid prius dicam solitis parentis  
Laudibus, qui res hominum ac deorum,  
Qui mare et terras, variisque mundum  
Temperat horis?

Unde nil majus generatur ipso,  
Nec viget quidquam simile aut secundum  
Proximos illi tamen occupavit

Pallas honores.

Proeliis audax, neque te silebo  
Liber, et saevis inimica virgo  
Belluis; nec te metuende certa

Phoebe sagitta.

Dicam et Alciden, puerosque Ladae,  
Hunc equis, illum superare pugnis  
Nobilem; quorum simul alba nautis

Stella refulsit:

Defluit saxis agitatus humor;  
Concidunt venti; fugiuntque nubes,  
Et minax (nam sic voluere) ponto

Unda recumbit.

Romulum post hos prius, an quietum  
Pompili regnum memorem, an superbos  
Tarquini *a*) fasces, dubito, an Catonis

Nobile lethum;

Regulum et Scauros *b*) animaeque magnae  
Prodigum, Poeno superante, Paullum *c*)  
Gratus insigni referam camena

Fabriciumque?

Hunc, et in comitis Curium capillis  
Utilem bello tulit, et Camillum  
Saeva paupertas, et avitus apto  
Cum lare fundus.

Crescit occulto velut arbor aevo  
Fama Marcelli *d*). Micat inter omnes  
Julium sidus *e*), velut inter ignes

Luna minores.

Gentis humanae pater atque custos,  
Orte Saturno, tibi cura magni  
Caesaris fatis data, tu secundo

Caesare regnes.

Ille seu Parthos Latio imminentes  
Egerit justo domitos triumpho

Sive subjectos Orientis oris

Seras et Indos:

Te minor latum reget aequus orbem,

Tu gravi curru quaties Olympum,

Tu parum castis inimica mittes

Fulmina lucis.

- a) Non Tarquinius Superbi, ultimi Romanorum regis; sed vel Tarquinius Prisci, qui fasces ab Hetruscis mutuatus est, vel L. Tarquinius Collatini, qui, regibus exactis, cum L. Junio Bruto primus honestatus est superbis fascibus, ceu signo potestatis consularis.
- b) *Scauri* duo praecipue memoratu digni sunt: *M. Aemilius Scaurus Hortensius*, qui, utut pauper, consul creatus: de Liguribus triumphavit; censor stravit viam Aemiliam; multo tempore princeps senatus fuerat, filiamque suam Aemiliam Pompejo Magno despondit. *M. Scaurus*, prioris filius.
- c) sc. in proelio ad Cannas.
- d) *M. Marcellus*, filius C. Marcelli et Octaviae, sororis Augusti, mortuus est aetatis vicesimo, Augusti gener et successor designatus.
- e) Stella crinita, in quam Caesar occisus transiisse putabatur.

### Ad Navem.

*Lib. I. 14.*

O navis a), referent in mare te novi b)  
 Fluctus? o! quid agis? fortiter occupa  
 Portum. Nonne vides, ut  
 Nudum remigio latus,  
 Et malus celeri saucius Africo,  
 Antennaeque gemant? ac sine funibus  
 Vix durare carinae  
 Possint imperiosius  
 Aequor? Non tibi sunt integra lintea,  
 Non di c), quos iterum pressa voces malo:  
 Quamvis Pontica pinus,  
 Silvae filia nobilis,  
 Jactes et genus et nomen inutile. d)  
 Nil pictis timidus navita puppibus  
 Fidit. Tu, nisi ventis  
 Debes ludibrium, cave.  
 Nuper sollicitum quae mihi taedium,  
 Nunc desiderium, e) curaque non levis,  
 Interfusa nitentes  
 Vites aequora Cycladas. f)

- a) Navi comparatur respublica, bellis civilibus agitata.  
 b) Devicto Sexto Pompejo, bellum inter Augustum et M. Antonium jam jam exarsurum minitabatur.  
 c) Dii, quorum imagines in puppibus erant pictae, sceleribus et flagitiis, a morte J. Caesaris perpetuis, irati, non audient preces.  
 d) Nolite confidere generi a Marte petito, magnisque, quos Rōma olim habuit, viris, qui reipublicae flagitiis contaminatae tantum proderunt, quantum prodesse solent, mari tumido, puppes picturis ornatae.  
 e) Post mortem Bruti et Cassii, sub quibus Horatius tribunus militaverat, respublica interitura videbatur. Sub Augusto spes adiulget serenior.  
 f) Mare Aegaeum, in quo Cyclades procul conspiciuntur navis periculosum scopulis et procellis.

## Nerei Vaticinium de Trojae excidio. a)

Lib. 1. 15.

Pastor quum traheret per freta navibus  
 Idaeis Helēnen perfidus hospitam,  
 Ingrato celeres obruit otio

Ventos, ut caneret fera  
 Nereus fata. *Mala ducis avi domum,*  
*Quam multo repetet Graecia milite,*  
*Conjurata tuas rumpere nuptias*

*Et regnum Priami vetus.*

*Eheu! quantus equis, quantus adest viris*  
*Sudor! Quanta moves funera Dardanae*  
*Geni! Jam Galeam Pallas et aegida,*  
*Carrusque et rabiem parat.*

*N quidquam Veneris praesidio ferox*  
*Pectus caesariem, grataque feminis*  
*Imbelli cithara carmina divides.*

*Nequidquam thalamo graves*  
*Has'as, et colami spicula Gnosii*  
*Vitabis, strepitumque, et celerem sequi*  
*Ajacem. Tamen, heu serus! adulteros*  
*Crines pulvere collines*

*Non Laertiadem, exitium tuae*  
*Genis, non Pylum Nestora respicis?*  
*Urgent impavidi te Salaminus*  
*Teucer, te Sthenelus sciens*

*Pugnae, sive opus est imperitare equis,  
Non auriga piger. Merionem quoque  
Nosces. Ecce! furit te reperire atrox*

*Tyðides, melior patre:*

*Quem tu, cervus uti vallis in ultera  
Visum parte lupum graminis immemor,  
Sublimi fugies mollis anhelitu;*

*Non hoc pollicitus tuae!*

*Iracunda diem proferet Ilio,  
Matronisque Phrygum classis Achillei,  
Post certas hiemes uret Achaicus*

*Ignis Pergameas domos.*

- a) Oda haec est allegorica. Sub persona Paridis latet Antonius, qui se totum luxuriae dedit et Cleopatrae, reginae Aegypti, cui idem fatum, quod Achilles Paridi et Priami regno, nunc Augustus minitabatur.

Ad Dianam et Apollinem. a)

*Lib. I. 21.*

*Chorus juvenum et chorus puellarum.*

*Ch. juv.* **D**ianam tenerae dicite virgines:

*Ch. puell.* Intonsum, pueri, dicite Cynthium: b)

*Ch. uterque* Latonamque supremo  
Dilectam penitus Jovi.

*Ch. juv.* Vos laetam fluviis et nemorum comâ,  
Quaecumque aut gelido prominet Algido,  
Nigris aut Erymanthi  
Silyis aut viridis Cragi:

*Ch. puell.* Vos Tempe c) totidem tollite laudibus,  
Natalemque, mares, Delon Apollinis,  
Insignemque pharetrâ  
Fraternaque humerum lyrâ.

*Ch. juv.* Hic bellum lacrimosum. *Ch. pu.* hic miseram famem  
Pestemque, *Ch. ut.* a populo et principe Caesare, in  
Persas d) atque Britannos  
Vestrâ motus aget prece.

- a) Hymnus ad Apollinem et Dianam, religioso ut videtur, usui destinatus, alternis canendus a puerorum et puellarum nobilium choro. Jani putat hoc carmen, quum fame et pestilentia Romani essent attriti, factum esse ad Apollinem

- et Dianam, quum conservatores populi Romani, tum numina averunca et salutaria, ἀποτροπαια, ἀλεξίκακα; nondum domitis Britannis, signis nondum receptis a Parthis.
- b) *Cynthus*, mons in Delo insula altissimus, Apollinis et Dianae locus natalis.
- c) *Algidus*, in Latii regione Tusculana. *Erymathus*, in Arcadia. *Cragus*, pars Tauri in Lycia, montes Dianae venatrici sacri. *Tempe*, cum multis aliis nemoribus, Apollini dicata.
- d) *Persae* sunt Parthi, a Crassi internecione romanis timendi.

## Ad Virgilium.

Lib. I. 24.

Quis desiderio sit pudor aut modus  
 Tam cari capitis? Praecepit lugubres  
 Cantus, Melpomene, a) cui liquidam pater  
     Vocem cum cithara dedit.  
 Ergo Quinctilium perpetuus sopor  
 Urget, cui Pudor, et justitiae soror,  
 Incorrupta Fides, nudaque Veritas,  
     Quando ullum inveniet parem?  
 Multis ille bonis flebilis occidit;  
 Nulli flebilior, quam tibi Virgili.  
 Tu frustra pius, heu! non ita creditum,  
     Pocis Quinctilium deos.  
 Quod si Threicio blandius Orphea  
 Auditam moderere arboribus fidem;  
 Non vanae redeat sanguis imagini,  
     Quam virga semel horrida,  
 Non lenis precibus fata recludere,  
 Nigro compulerit Mercurius gregi.  
 Durum! sed levius fit patientia,  
     Quidquid corrigere est nefas.

a) *Melpomene* (μέλπομαι, cano) non tantum tragoediae, sed omni cantui lugubri praeerat.

## Ad Musam a)

Lib. I. 26.

Musis, amicus, tristitiam et metus  
 Tradam protervis in mare Creticum b)  
 Portare ventis; quis sub Arcto c)  
 Rex gelidae metuatur orae,

Quid Teridatem terreat, unice  
 Securus. O, quae fontibus integris  
 Gaudes, apricos necte flores;  
 Necte meo Lamiae d) coronam,  
 Pimplei e) dulcis! nil sine te mei  
 Possunt honores: hunc fidibus novis,  
 Hunc Lesbio f) sacrare plectro,  
 Teque tuasque decet sorores.

- a) Equidem vates, hilaris securusque, abjecta omni, quae alios anxios habere solet, rerum civilium et bellicarum cura, te socia, o Musa, fontes frequentans sacros, celebrabo carmine Lamiam meum. Hunc fors an de republica sollicitum, et, si Teridates armorum vi restitueretur in regnum, a bellum Parthorum Scytharumque timentem ab hac cura revocare studet, atque ut secum in musarum consortio solatium quaerat, non minus urbane, quam amice admonet.
- b) Mare Creticum, pars Aegaei seu Archipelagi.
- c) Phraates, Orodii filius ejusque successor, quum cujusvis generis crudeliter immaniterque factis civium suorum animos ita contra se irritasset, ut in exsilium pelleretur: Teridates regnum ejus occupavit. Hic autem quum Phraatae, a Scythis in regnum restituti, armis cedens in Syriam aufugisset, raptum simul Phraatae filio natu minimo; Phraates autem utrumque a Caesare, qui tum bello Alexandrino confecto morabatur in Syria, dedi sibi postulasset: Caesar, Parthorum rebus se immisceri e re non putans, Teridatem neque adjuvit auxiliis, neque dedit, sed Phraatae filium Romam secum deportavit obsidis loco eum habiturus.
- d) Q. Aelius Lamia, vir splendidus, generis antiquitate nobilis, triumvir doctissimus, et Horatii amicus.
- e) Pimpleis, seu musa, quia musae Pimplam, Thraciae montem, incolebant.
- f) Lesbos, hodie Metelino, insula maris Aegaei, non tantum Pittaci, Arionis et Theophrasti, sed etiam Alcaei et Sapphus patria.

## Ad Apollinem.

Lib. I. 31.

Quid dedicatum poscit Apollinem  
 Vates? quid orat, de patera novum  
 Fundens liquorem? Non opimas  
 Sardiniae Segetes feracis:

Non aestuosae grata Calabriae  
 Armenta; non aurum, aut ebur Indicum:  
 Non rura, quae Liris *a*) quieta  
 Mordet aqua taciturnus amnis.  
 Premant Calena falce, quibus dedit;  
 Fortuna, vitem; dives et aureis  
 Mercator exsiccet culullis  
 Vina, Syra reparata merce, *b*)  
 Dis carus ipsis: quippe ter et quater  
 Anno revisens aequor Atlanticum  
 Impune. Me pascunt olivae  
 Me cichorea levesque malvae.  
 Frui paratis et valido mihi,  
 Latoë, dones, et, precor; integra  
 Cum mente: nec turpem senectam  
 Degere, nec cithara carentem.

- a*) Liris hodie (*Fiume Garigliano*) graecis *Λεῖρις*, quietus et tacitus fluens inter Latium et Campaniam.  
*b*) Ex Syria, cui et Palaestina et Phoenicia adnumerabatur, merces pretiosissimas, in primis unguenta suaveolentia, Romani petebant.

## Ad Fortunam.

Lib. I. 35.

O Diva gratum quae regis Antium, *a*)  
 Praesens vel imo tollere de gradu  
 Mortale corpus, vel superbos  
 Vertere funeribus triumphos:  
 Te pauper ambit sol licita prece  
 Ruris colonus: te dominam aequoris,  
 Quicumque Bithyna lacessit  
 Carpathium *b*) pelagus carina.  
 Te Dacus asper, te profugi Scythae,  
 Urbesque gentesque; et Latium ferox,  
 Regumque matres barbarorum, et  
 Purpurei metuunt tyranni:  
 Injurioso ne pede prouas  
 Stantem columnam: neu populus frequens  
 Ad arma cessantes, ad arma  
 Concitet, imperiumque frangat.

Te semper anteit saeva necessitas,  
 Clavos trabales, et cuneos manu  
 Gestans athena: nec severus  
 Uncus abest, liquidumque plumbum,  
 Te Spes et albo rara c) Fides colit  
 Velata panno; nec comitem abnegat,  
 Utcumque, mutata potentes  
 Vestes domos inimica linquis:  
 At vulgus infidum, et meretrix retro  
 Perjura cedit: diffugiunt cadis  
 Cum faece siccatis amici,  
 Ferre jugum pariter dolosi.  
 Servas iturum Caesarem in ultimos  
 Orbis Britannos, et juvenum recens  
 Examen eois timendum  
 Partibus, oceanoque rubro. d)  
 Eheu! cicatricum et sceleris pudet,  
 Fratrumque e)! Quid nos dura refugimus  
 Aetas? Quid intactum nefasti  
 Liquimus? Unde manus juvenus  
 Metu deorum continuit? Quibus  
 Pepercit aris? O utinam nova  
 Incude diffingas retusum in  
 Massagetis f) Arabasque ferrum.

a) Antii celeberrimum erat Fortunae templum.

b) Bithynia, Asiae minoris regio, plurimam mercaturam faciebat. Mare Carpathium ad Carpathum, insulam inter Cretam et Rhodum.

c) Fortunam colit Spes et Fides; illa quidem et constantiam in fortuna prospera, et sortem meliorem in adversa sperat: haec vero nulla rerum vicissitudine mutatur.

d) Oceanus ruber est oceanus orientalis, quem a sole oriente rubedine tinctum cogitabant; ex eadem causa mare ad Aegyptum est rubrum (ερυθραίου)

e) bellorum civilium.

f) Massagetae erant Scythae trans mare Caspium, Augustus expeditionem adversus Parthos, Arabes, aliosque Orientis populos meditabatur.

## Ad Sodales,

## Lib. I. 37-

**N**unc est bibendum, nunc pede libero  
 Pulsanda tellus, nunc Saliaribus *a)*  
 Ornare pulvinar deorum  
 Tempus erat dapibus sodales:  
 Antehac nefas depromere Caecubum  
 Cellis avitis; dum capitolio  
 Regina dementes ruinas  
 Funus et imperio parabat,  
 Contaminato cum grege turpium  
 Morbo virorum; quidlibet impotens  
 Sperare, fortunaque dulci  
 Ebria. Sed minuit furorem  
 Vix una sospes navis ab ignibus  
 Mentemque lymphatam Mareotico  
 Redegit in veros timores  
 Caesar, ab Italia volantem  
 Remis adurgens (accipiter velut  
 Molles columbas, aut leporem citus  
 Venator in campis nivalis  
 Aemoniae) daret ut catenis  
 Fatale monstrum: quae generosius  
 Perire quaerens, nec muliebriter  
 Expavit ense, nec latentes  
 Classe cita reparavit oras;  
 Ausa et jacentem visere regiam  
 Vultu sereno, fortis et asperas  
 Tractare serpentes, ut atrum  
 Corpore combiberet venenum;  
 Deliberata morte ferocior:  
 Saevis Liburnis *b)* scilicet invidens  
 Privata deduci superbo  
 Non humilis mulier triumpho.

*a)* *Dapes saliares* pro sumtuosis, quales habebant sacerdotes Salii.

*b)* *Liburni*, Illyriae populus celeritate et sua et navium insignes, plurimum adjuverant Augustum in reportanda victoria navali.

## Ad C. Asinium Pollionem.

Lib. II. 1.

**M**otum ex Metello consule a) civicum,  
 Bellique causas, et vitia, et modos,  
 Ludumque fortunae, gravesque b)  
 Principum amicitias et arma  
 Nondum expiatis uncta cruoribus,  
 Periculosae plenum opus aleae,  
 Tractas: et incedis per ignes  
 Suppositos cineri doloso. c)  
 Paullum severae musa tragoediae  
 Desit theatris; mox, ubi publicas  
 Res ordinaris, grande munus  
 Cecropio repetes cothurno,  
 Insigne moestis praesidium reis,  
 Et consulenti Pollio curiae:  
 Cui laurus aeternos honores  
 Dalmatico peperit triumpho.  
 Jam nunc minaci murmure cornuum  
 Perstringis aures: jam litui strepunt,  
 Jam fulgor armorum fugaces  
 Terret equos equitumque vultus.  
 Audire magnos jam videor duces,  
 Non indecoro pulvere sordidos;  
 Et cuncta terrarum subacta,  
 Praeter atrocem animum Catonis.  
 Juno, et deorum quisquis amicior  
 Afris inulta cesserat impotens  
 Tellure, victorum nepotes  
 Rettulit inferias Jugurthae. d)  
 Quis non latino sanguine pinguior  
 Campus sepulcris impia proelia  
 Testatur, auditumque Medis  
 Hesperiae sonitum ruinae?  
 Qui gurgis, aut quae flumina lugubris  
 Ignara belli? Quod mare Dauniae  
 Non decoloravere caedes?  
 Quae caret ora cruore nostro?  
 Sed ne relictis musa procax jocis,  
 Ceae e) retractes munera neniae:  
 Mecum Dionaëo sub antro  
 Quaere modos leviori plectro.

- a) Qo. Metello Celere, et L. Afranio Coss. ortus est primus triumviratus inter Crassum, Pompejum et Caesarem; ex quo natum bellum civile, et alter deinde triumviratus Augusti, Antonii et Lepidi.
- b) Sc. triumviratus, quo nihil gravius reipublicae Romanorum.
- c) Flagrantibus adhuc discordiis, quis possit citra plurimorum offensionem res gestas ex fide narrare?
- d) Juno et dii, qui Numidis in bello Jugurthino faverant, quoniam, fatis obstantibus, eos non possent defendere, suum in Romanos odium tum exercuerunt, quum ad Thapsum, Africae urbem, Julius Caesar, victis Scipione, Afranio et Juba, decem Romanorum millia occidit.
- e) Simonides, e Ceo insula oriundus, celeberrimus erat ob enias suas (*Σφηνους*).

## Ad C. Sallustium Crispum. a)

Lib. II. 2.

Nullus argento color est, avaris  
 Abdito terris, inimice lamnae  
 Crispe Sallusti, b) nisi temperato  
     Splendeat usu.  
 Vivet extento Proculejus c) aevo  
 Notus in fratres animi paterni;  
 Illum aget penna metuente solvi  
     Fama superstes.  
 Latius regnes, avidum domando  
 Spiritum, quam si Libyam d) remotis  
 Gadibus jungas, et uterque Poenus  
     Serviat uni.  
 Crescit indulgens sibi dirus hydrops;  
 Nec sitim pellit, nisi causa morbi  
 Fugerit venis, et aquosus albo  
     Corpore languor.  
 Redditum Cyri solio Phraaten,  
 Dissidens plebi, numero beatorum  
 Eximit virtus, populumque falsis  
     Dedocet uti  
 Vocibus, regnum et diadema tutum  
 Deferens uni, propriamque laurum,  
 Quisquis ingentes oculo irretorto  
     Spectat acervos.

- a) Nullum est pecuniae pretium, nisi in sapiente ejus usu; 1—4. Hinc Proculejus, paterno in fratres animo, est et erit illustris, 4—8: et quo magis quis compresserit animi aviditatem, eo ditior erit ac potentior; contra, eo pauperior, quo magis indulserit cupiditatibus, 9—16. Neque reges sunt beati, sed sapientes, pecuniae splendore non capti. 17—24.
- b) *C. Crispus Sallustius*, historici e sorore nepos, gratia Augusti florens, diversus a veterum instituto per cultum et munditias, copia et affluentia proprio Maecenatis luxui.
- c) *C. Proculejus*, eques Romanus, vir clarus et prudens, Augusto carus, pius erga fratres; quippe qui, referente scholiaste, patrimonium suum cum his, bello civili bonis suis spoliatis, ex integro dividerit, quod cum iisdem jam antea dividerat, Proculejorum soror Terentia fuit Maecenatis uxor.
- d) *Libya* est pars Africae inter Aethiopiam et mare Atlanticum, aut sensu arctiori, inter Aegyptum et Syrtis, ponitur saepe pro tota Africa, vel pro finibus Africae.

## Ad Delliium.

## Lib. II. 3.

Aequam memento rebus in arduis  
 Servare mentem; non secus in bonis  
 Ab insolenti temperatam  
 Laetitia, moriture Delli,  
 Seu moestus omni tempore vixeris,  
 Seu te in remoto gramine per dies  
 Festos reclinatum bearis  
 Interiore nota Falerni,  
 Qua pinus ingens, albaque populus  
 Umbram hospitem consociare amant  
 Ramis; et obliquo laborat  
 Lympha fugax trepidare rivo.  
 Huc vina, et unguenta, et nimium breves  
 Flores amoenae ferre jube rosae;  
 Dum res et aetas et sororum  
 Fila trium patiuntur atra.  
 Cedès coëmtis saltibus et domo,  
 Villaque, flavus quam Tiberis lavit;  
 Cedès: et exstructis in altum  
 Divitiis potietur heres.

Divesve prisco natus ab Inacho, a)  
 Nil Interest, an pauper et infima  
 De gente sub divo moreris,  
 Victima nil miserantis Orci.  
 Omnes eodem cogimur: omnium  
 Versatur urna, serius ocyus  
 Sors exitura, et nos in aeternum  
 Exsilium impositura cymbae.

a) *Inachus*, antiquissimus rex Argivorum

Ad Licinium. a)

*Libri II. 10.*

**R**ectius vives, Licini b) neque altum  
 Semper urgendo, neque, dum procellas.  
 Cautus horrescis, nimium premendo  
 Litus iniquum.

Auream quisquis mediocritatem  
 Diligit, tutus caret obsoleti  
 Sordibus tecti, caret invidenda  
 Sobrius aula.

Saevis ventis agitatur ingens  
 Pinus; excelsae graviore casu  
 Decidunt turres; feriuntque summos  
 Fulgura montes.

Sperat infestis, metuit secundis  
 Alteram sortem bene praeparatum  
 Pectus. Informes hiemes reducit  
 Jupiter, idem

Submovet. Non, si male nunc, et olim  
 Sic erit. Quondam cithara tacentem  
 Suscitatur musam, neque semper arcum  
 Tendit Apollo.

Rebus angustis animosus atque  
 Fortis adpare: sapienter idem  
 Contrahes vento nimium secundo  
 Turgida vela.

a) Rectius vives, per totum vitae cursum tenendo mediocritatem, remotus non minus ab egestate sordida quam potentia invisus, 1 — 8. Quo tenuior, eo tutior eris. 9 — 12. Sapiens ad utramque fortunam est paratus: et recte quidem, quum fortunam adversam sequi soleat secunda. 13 — 20. In illa praesta te virum fortem, in hac modestum. 11 — 24.

b. L. Licinius Terentius Varro Muraena, C. Proculejū Var-  
ronis Muraenae frater, homo in omni vitae genere varius,  
inconstans, nimisque alta adpetens. Hinc quum A. U. 731  
in Augustum conspirasset, publica senatus auctoritate inter-  
fectus est. Hoc carmen, quod totum est morale, si cum Li-  
cinius moribus comparaveris, satis inde Horatii et probitatem  
animi et morum urbanitatem perspicies, qui hominem vita  
turbidum, moribus inquietum carmine tam leniter fuso stu-  
duerit revocare a consiliis vanis, quibus inflatus vitam sibi  
ipse reddebat acerbam, vitaeque exitum non minus turpem  
quam atrocem accelerabat.

In arborem,

cujus casu Horatius paene oppressus est.

Lib. II. 13.

Ille et nefasto a) te posuit die,  
Quicumque primum, et sacrilega manu  
    Produxit, arbos, in nepotum  
    Perniciem, opprobriumque pagi.  
Illum et parentis crediderim qui  
Fregisse cervicem, et penetralia  
    Sparsisse nocturno cruore  
    Hospitis: ille venena colcha, b)  
Et quidquid usquam concipitur nefas,  
Tractavit, agro qui statuit meo,  
    Te triste lignum, te caducum  
    In domini caput immerentis.  
Quid quisque vitet, numquam homini satis  
Cautum est in horas. Nayta Bosporum c)  
    Poenus perhorrescit; neque ultra  
    Caeca timet aliunde fata.  
Miles d) sagittas et celerem fugam  
Parthi; catenas Parthus et Italum.  
    Robur; sed improvisa lethi  
    Vis rapuit, rapietque gentes.  
Quam paene furvae regna Proserpinae,  
Et judicantem vidimus Aeacum:  
    Sedesque discretas piorum, et  
    Aeoliis fidibus quærentem  
Sappho e) puellis de popularibus:  
Et te sonantem plenius aureo,  
    Alcaeae, f) plectro dura navis,  
    Dura fugae mala, dura belli.

Utrumque sacro digna silentio  
 Mirantur umbrae dicere: sed magis  
     Pugnas et exactos tyrannos  
     Densum humeris bibit aure vulgus.  
 Quid mirum? ubi, illis carminibus stupens;  
 Demittit atras bellua, centiceps  
     Aures; et intorti capillis  
     Eumenidum g) recreantur angues?  
 Quin et Prometheus, et Pelopis parens  
 Dulci laborum decipitur sono;  
     Nec curat Orion leones  
     Aut timidos agitare lyncas.

- a) *Dies nefastus* erat, quo jus non dicebat praetor. Ejusmodi dies mali ominis apud Romanos fuerant, quia his diebus clades passi sunt.  
 b) *Colchis* venenis infamis, partim ob Medeam veneficiis inclitam, partim quia plurima ibi nascebantur venena.  
 c) sc. Thracium. (βόστροπος, Kinderfuhrer) quia Io vacca eum tranasse ferebatur.  
 d) sc. Romanus.  
 e) *Sappho* ex insula Lesbo querebatur de puellis, aemulis suis, quod Phaoni, quem ipsa amabat, adhaerent, ejus amorem retardarent. Aeolia scripsit dialecto.  
 f) Mala, quae Alcaeus exantlavit, qui civium suorum animos versibus exacuit erga tyrannos, ob quod ipsis invisus, patria exsulare coactus, collecta tandem exsulum inanu, tyrannos Mitylene exegit.  
 g) *Eumenides*, secundum Sophoclem filiae caliginis et terrae (σκότους τε καὶ γῆς)

## Ad Postumum.

Lib. II. 14.

**E**heu fugaces, Postume, Postume,  
 Labuntur anni; nec pietas moram  
     Rugis et instanti senectae  
     Adferet indomitaeque morti:  
 Non, si trecenis, quotquot eunt dies,  
 Amice, places illacrimabilem  
     Plutona tauris, qui ter amplum  
     Geryonem Tityonque tristi

Compescit unda: scilicet omnibus,  
 Qu cumque terrae munere vescimur,  
 Enaviganda, sive reges,  
 Sive inopes erimus coloni.  
 Frustra cruento Marte carebimus,  
 Fractisque rauci fluctibus Adriae;  
 Frustra per auctumnos nocentem  
 Corporibus metuemus Austrum.  
 Visendus ater flumine languido  
 Cocytus errans, et Danaï genus  
 Infame, damnatusque longi  
 Sisyphus Aeolides laboris.  
 Linqvenda tellus et domus et placens  
 Uxor, neque harum, quas colis, arborum,  
 Te, praeter invisas cupressos, a)  
 Ulla brevem dominum sequetur.  
 Absumet heres caecuba b) dignior  
 Servata centum clavibus, et mero  
 Tinget pavementum superbum  
 Pontificum c) potiore coenis.

a) Cupressus, Plutoni et Proserpinae sacra, in cadaveribus con-  
 cremandis adhibebatur.

b) Vinum caecubum et generosissimum et saluberrimum. *Caecubum* vel urbs vel regio Latii ad sinum Amiclaeum prope Fundos (hodie *Fondi*) in finibus Campaniae.

c) Epulae sacerdotum, praecipue Saliorum, erant lautissimae.

### In sui aevi luxuriam.

*Lib. II. 15.*

Jam pauca aratro jugera regiae  
 Moles relinquent; undique latius  
 Extenta visentur Lucrino b)  
 Stagna lacu, platanusque caelebs c)  
 Evincet ulmos: tum violaria et  
 Myrtus, et omnis copia narium,  
 Spargent olivetis odorem  
 Fertilibus domino priori:  
 Tum spissa ramis laurea fervidos  
 Excludet ictus. Non ita Romuli  
 Praescriptum et intonsi Catonis d)  
 Auspitiis, veterumque norma.

Privatus illis census erat brevis,  
 Commune magnum: nulla decempedis e)  
 Metata privatis opacam  
 Porticus excipiebat Arcton:  
 Nec fortuitum spernere cespitem  
 Leges sinebant, oppida publico  
 Sumtu jubentes et deorum  
 Templata novo decorare saxo.

a) Villarum magnificentia latius in dies se extendens agros arandos diminuit, nec, si illa ita progressa fuerit, quidquam horum relinquet. At Romanorum imperium non hac luxuria conditum, nec Catonis aetate stabilitum: quippe qui bonis exiguis contenti imperium augebant; in suppliciis deorum magnifici, domi parci erant.

b) *Lacus Lucrinus* in Campania inter Bajas et Cumas.

c) *Platanus*, quae solius umbrae gratia e terris exteris Romam transplantata est, dicitur *caelebs*, quia non, ut ulmus, vitibus maritatur.

*Cepis*  
*Arcton*  
 Cato, infensissimus novatum hostis, morumque priscorum tenacissimus, continentia insignis, barbam, ad normam priscorum Romanorum, alebat.

e) *Decempeda*, mensura decem pedibus constans, qua Romani non nisi ad latiore aream dimittendam utebantur, e. g. porticus, quas nobiles, ut aestatis tempore umbra recreante gauderent, septemtrionem versus, seu ad Arcton, exstruxerunt amplissimas altissimasque.

### Ad Grosphum.

Lib. II. 16.

Otium divos rogat in patenti  
 Prensus Aegaeo, simul atra nubes  
 Condidit Lunam, neque certa fulgent  
 Sidera nautis:  
 Otium bello furiosa Thrace;  
 Otium Medi pharetra decori,  
 Grosphe, non gemmis neque purpura ve-  
 nale, nec auro.  
 Non enim gazae, neque consularis  
 Submovet lictor miseros tumultus  
 Mentis, et curas laqueata circum  
 Tecta volantes,

Vivitur parvo bene, cui paternum  
Splendet in mensa tenui salinum,  
Nec leves somnos timor, aut cupido  
sordidus aufert.

Quid brevi fortes jaculamur aevo  
Multa? Quid terras alio calentes  
Sole iugitamus? Patriae quis exsul  
Se quoque fugit?

Scandit aeratas vitiosa naves  
Cura, nec turmas equitum relinquit,  
Ocyor cervis, et agente nimbos  
Ocyor Euro.

Lactus in presens animus, quod ultra est,  
Oderit curare, et amara lento  
Temperet risu. Nihil est ab omni  
Parte beatum.

Abstulit clarum cita mors Achillem:  
Longa Tithonum minuit senectus:  
Et mihi forsán, tibi quod negarit,  
Porriget hora.

Te greges centum siculaeque circum  
Mugiunt vaccae: tibi tollit hinnitum  
Apta quadrigis equa: te bis afro  
Murice tinctae a).

Vestiunt lanae: mihi parva rura, et  
Spiritus graeae tenuem camenae  
Parca non mendax dedit, et malignum  
Spernere vulgus.

a) Dibapha purpura.

### Ad Divitem.

Lib. II. 18.

**N**on ebur neque aureum  
Mea renidet in domo lacunar;  
Non trabes Hymettiae a)  
Premunt columnas ultima recisas  
Africa: neque Attali  
Ignotus heres regiam occupavit  
Nec Laonicas b) mihi  
Trahunt honestae purpuras clientae.  
At fides et ingeni  
Benigna vena est, pauperemque dives

Me petit: nihil supra  
 Deos lacesso; nec potentem amicum  
 Largiora flagito,  
 Satis beatus unicus Sabinis.  
 Truditur dies die,  
 Novaeque pefgunt interire lunae.  
 Tu secanda marmora  
 Locas sub ipsum funus; et, sepulcri  
 Immemor, struis domos;  
 Marisque Bajis obstrepentis urges  
 Submovere litora,  
 Parum locuples continente ripa.  
 Quid? quod usque proximos  
 Revellis agri terminos, et ultra  
 Limites clientium  
 Salis avarus? pellitur paternos  
 In sinu ferens deos  
 Et uxor, et vir, sordidosque natos  
 Nulla certior tamen,  
 Rapacis Orci fine, destinata  
 Aula divitem manet  
 Herum. Quid ultra tendis? Aequa tellus  
 Pauperi recluditur,  
 Regumque pueris: nec satelles Orci  
 Callidum Promethea  
 Revexit auro captus. Hic superbum  
 Tantalum atque Tantali  
 Genus coërcet: hic levare functum  
 Pauperem laboribus.  
 Vocatus atque non vocatus, audit.

a) *Hymettus*, mons in Attica, nobilis etiam a marmore, ex quo divites Romanorum, lignearum loco, trabes scindi curarunt, quae columis ex alio marmore, in primis Numidico imponebantur.

b) Inter purpuras Europaeas nobilissima fuit *Laconica*: uti ex Asiaticis *Tyrio*, et ex Afris *Getulica*, vel ex *Meninge* in sula (hodie *Gerbi*) patria Lotophagorum.

## Ad Bacchum. a)

Lib. II. 19.

**B**acchum in remotis carmina rupibus  
 Vidi docentem (credite posteri!)  
 Nymphasque discentes, et aures  
 Capripedum Satyrorum acutas,  
 Evoe! recenti mens trepidat metu,  
 Plenoque Bacchi pectore turbidum  
 Laetatur. Evoe! parce, Liber!  
 Parce, gravi metuende thyrso,  
 Fas pervicaces est mihi Thiadas,  
 Vinique fontem, lactis et uberes  
 Cantare rivos, atque truncis  
 Lapsa cavis iterare mella.  
 Fas et beatae conjugis additum  
 Stellis b) honorem: tectaque Penthei  
 Disjecta non leni ruina;  
 Thracis et exitium Lycurgi.  
 Tu flectis amnes, tu mare barbarum; c)  
 Tu separatis uvidus in jugis  
 Nodo coërces viperino  
 Bistonidum d) sine fraude crines:  
 Tu, quum parentis regna per arduum  
 Cohors gigantum scanderet impia  
 Rhoetum e) retorsisti leonis  
 Unguibus horribilique mala:  
 Quamquam, choreis aptior et jocis  
 Ludoque dictus, non sat idoneus  
 Pugnae ferebaris: sed idem  
 Pacis eras mediusque belli.  
 Te vidit insons Cerberus aureo  
 Cornu decorum, leniter atterens  
 Caudam, et recedentis trilingui  
 Ore pedes tetigitque crura.

a) Dithyrambus.

b) Ariadne: Minois et Pasiphaës filia, a Theseo in Naxo insula deserta, dein a Baccho corona, quae postea inter astra relata est, donata.

c) sc. Indicum, in Bacchi expeditione Indica.

d) *Bistonides*, Maenades, mulieres Thraciae, a Bistone lacu.e) *Rhoetum* gigantem Bacchus, leonem indutus, devicit.

## Felicitas.

Lib. III. 1.

Odi profanum vulgus et arceo :  
 Favete linguis! Carmina non prius  
     Audita, musarum sacerdos,  
     Virginibus puerisque canto.  
 Regum timendorum in proprios greges,  
 Reges in ipsos imperium est Jovis,  
     Clari giganteo triumpho,  
     Cuncta supercilio moventis.  
 Est, ut viro vir latius ordinet  
 Arbusta sulcis: hic generosior  
     Descendat in campum petitor:  
     Moribus hic meliorque fama  
 Contendat: illi turba clientium.  
 Sit major. Aequa lege necessitas  
     Sortitur insignes et imos;  
     Omne capax movet urna nomen, a)  
 Destructus ensis cui super impia  
 Cervice b) pendet, non sicalae dapes  
     Dulcem elaborabunt saporem:  
     Non avium citharaeque cantus  
 Somnum reducent. Somnus agrestium  
 Lepis virorum non humiles domos  
     Fastidit, umbrosamque ripam,  
     Non Zephyris agitata Tempe. c)  
 Desiderantem, quod satis est, neque  
 Tumultuosum sollicitat mare,  
     Nec saevus Arcturi d) cadentis  
     Impetus aut orientis Hoedi:  
 Non verberatae grandine vineae  
 Fundusve mendax, arbore nunc aquas  
     Culpante, nunc torrentia agros  
     Sidera nunc hiemes iniquas.  
 Contracta pisces aequora sentiunt  
 Jactis in altum molibus. Huc frequens  
     Caementa demittit redemptor  
     Cum famulis, dominusque terrae  
 Fastidiosus. Sed timor et minae  
 Scandunt eodem, quo dominus: neque  
     Decedit aerata triremi, et  
     Post equitem sedet atra cura

Quodsi dolentem nec Phrygius lapis,  
 Nec purpurarum sidere clarior  
 Delenit usus, nec Falerna  
 Vitis, Achaemeniumve *e*) costum: *f*)  
 Cur invidendis postibus et novo  
 Sublime ritu moliar atrium?  
 Cur valle permutem Sabina  
 Divitias operosiores? *g*)

- a*) Neque honores, neque divitiae, neque vetus prosapia arcent mortem.  
*b*) Notissimum est factum Dionysii et Damoclis.  
*c*) Honores et divitiae non largiuntur vitam tranquillam et beatam  
*d*) *Arcturus, Hoedus et Orion* a Plinio XVIII. 28. dicuntur *horrida sidera*; quia *Arcturus* (quas *ἄρκτου ουρά*, *ursae cauda*) et quum oritur, sc. mense Septembri, et quum occidit, sc. mense Majo: uti et *Hoedi* mense Septembri orientes, causa procellarum esse putabantur.  
*e*) sc. *Persicum*, ab Achaemene, rege Persarum, qui unguentis suaveolentibus primi feruntur usi.  
*f*) Vir paucis contentus non agitur curis: quae divites et potentes sollicitant.  
*g*) Ergo his bonis non inhiandum.

Virtus, deorumque Cultus *a*).

## Lib. III. 2.

Angustam amice *b*) pauperiem pati  
 Robustus acri militia puer  
 Condiscat! et Parthos feroces  
 Vexet eques metuendus hasta,  
 Vitamque sub divo et trepidis agat  
 In rebus: illum ex moenibus hosticis  
 Matrona bellantis tyranni  
 Prospiciens, et adulta virgo  
 Suspiret: *Eheu, ne rudis agminum*.  
*Sponsus lacessat regius asperum*  
*Tactu leonem, quem cruenta*  
*Per medias rapit ira caedes,*  
 Dulce et decorum est pro patria mori: *c*)  
 Mors et fugacem persequitur virum;  
 Nec parcit imbellis juventae  
 Poplitibus timidove tergo.

Virtus, repulsae nescia sordidae,  
 Intaminatis *d*) fulget honoribus;  
 Nec sumit aut ponit secures  
 Arbitrio popularis aerae.  
 Virtus, recludens immeritis mori  
 Coelum, negata tentat iter via;  
 Coetusque vulgares et utlam  
 Spernit humum fugiente penna.  
 Est et fideli tuta silentio *e*)  
 Merces: vetabo, qui Cereris sacrum *f*)  
 Vulgarit arcanae, sub Isdem  
 Sit trabibus, fragilemve mecum  
 Solvat phaselon. Saepe Diespiter *g*)  
 Neglectus incesto addidit integrum  
 Raro antecedentem scelestum  
 Deseruit pede poena claudo.

*a*) Horatius, observans molles effeminatosque juvenum sui aevi mores, simulque severam priscorum Romanorum et vivendi normam et juvenum educationem cogitans, quae factum est, ut rusticorum militum mascula proles, quae docta erat versare glebas, recisos portare fustes, (ut ipse L. III. 6. canit) Poenos, Pyrrhum, Antiochum, Hannibalemque caederet; hortatur Romanos, ut, si horum temporum gloriam revocatam velint, pristinam etiam juvenum ad virtutem bellicam aliasque virtutes et pium deorum cultum educandorum disciplinam sibi revocandam putent.

*b*) *Amici*, i. e. libenter pauperiem pati.

*c*) Gloriosius est pro patria pugnantem mori, quam fuga salutem quaerere; praesertim quum saepius etiam timide fugientes caedantur.

*d*) *Intaminati honores* sunt, quorum participes fieri nequeunt indigni, qui non raro consulatus aliorumque in republica honorum participes fiunt.

*e*) *Silentium*, in deorum sacris observari solitum, ponitur hic pro ipso deorum cultu.

*f*) Cereris mysteria religiosissime tacenda erant.

*g*) i. e. diei pater, Jupiter.

## Laus Viri Constantis.

## Lib. III. 3.

**J**ustum ac tenacem propositi virum  
 Non civium ardor prava jubentium,  
     Non vultus instantis tyranni  
     Mente quatit solida: neque Auster  
 Dux inquieti turbidus Adriæ;  
 Nec fulminantis magna Jovis manus:  
     S: fractus illabatur orbis,  
     Impavidum ferient ruinae.  
 Hac arte Pollux, et vagus Hercules  
 Enisus, arces attigit igneas:  
     Quos inter Augustus a) recumbens,  
     Purpureo bibit ore nectar.  
 Hac temerentem, Bacche pater, tuæ  
 Vexere tigres, indocili jugum  
     Collo trahentes: hac Quirinus  
     Martis equis Acheronta fugit;  
 Gratum eloquuta consiliantibus  
 Junone divis; *Ilion, Ilion*  
     *Fatalis incestusque judex,*  
     *Et mulier peregrina vertit*  
*In pulverem, ex quo destituit deos*  
*Mercede pacta Laomedon, mihi*  
     *Castaeque damnatum Minervæ,*  
     *Cum populo, et duce fraudulento,*  
*Jam nec Lacaenæ splendet adulteræ*  
*Famosus hospes, nec Priami domus*  
     *Perjuræ pugnaces Achivos*  
     *Hectoreis opibus refringit;*  
*Nostrisquo ductum seditionibus b)*  
*Bellum resedit. Protenus et graves*  
     *Iras, et invisum nepotem,*  
     *Troica quem peperit sacerdos,*  
*Marti redonabo. Illum ego lucidas*  
*Inire sedes, ducere nectaris*  
     *Succos, et adscribi quietis*  
     *Ordinibus patiar deorum,*  
*Dum longus inter saeviat Ilion*  
*Romamque pontus: qualibet exsules*  
     *In parte regnanto beati:*  
     *Dum Priami Paridisque busto*

Insultot armentum, et catulos ferae  
 Celent inultae, stet capitolium  
     Fulgens: triumphatisque possit  
     Roma ferocæ dare jura Medis.  
 Horrenda late nomen in ultimas  
 Extendat oras, qua medius liquor  
     Secernit Europen ab Afro,  
     Qua tumidus rigat arva Nilus.  
 Aurum irrepertum, et sic melius situm  
 Quum terra celat, spernere fortior,  
     Quam cogere humanos in usus,  
     Omne sacrum rapiente dextra.  
 Quicumque mundo terminus obstitit,  
 Hunc tangat armis, visere gestiens,  
     Qua parte debacchentur ignes,  
     Qua nebulae pluviique rores.  
 Sed bellicosæ fati Quiritibus  
 Hac lege dico, ne nimium pii  
     Rebusque fidentes, avitæ  
     Tecta velint reparare Trojae. e)  
 Trojae renascens alite lugubri  
 Fortuna tristi clade iterabitur,  
     Ducente victrices, catervas  
     Conjuge me Jovis et sorore.  
 Ter, si resurgat murus ahenus  
 Auctore Phoebæ: ter pereat meis  
     Excisus Argivis, ter uxor  
     Capta virum puerosque ploret.  
 Non hæc jocosæ conveniunt lyræ:  
 Quo, Musa, tendis? Desine pervicax  
     Referre sermones deorum, et  
     Magna modis tenuare parvis.

a) Augustus inter deos relatus est vivus.

b) Dii discordes, quorum alii Graecis, alii Trojanis favebant, bellum his discordiis fecere diutinum.

c) Trojam, quam jam Julius Caesar restituere coeperat, Augustus sedem suam translaturus putabatur. A quo consilio ipsum avocare conatur Horatius.

Carmina Lyrica.

Augusti Laudes.

Lib. III. 5.

Coelo tonantem credidimus Jovem  
Regnare; praesens divus habebitur  
Augustus, adjectis Britannis  
Imperio, gravibusque Persis.  
Milesne Crassi a) conjuge barbara  
Tarpis maritus vixit? Et hostium  
(Proh curia, inversique mores!)  
Consenuit socerorum in arvis,  
Sub rege Medo, Marsus et Apulus,  
Anciliorum, nominis et togae  
Oblitus, aeternaeque Vestae,  
Incolumi Jove et urbe Roma?  
Hoc caverat mens provida Reguli,  
Dissentientis conditionibus  
Foedis, et exemplo trahenti  
Perniciem veniens in aevum:  
Si non periret immiserabilis  
Captiva pubes. *Signa ego Punicis*  
*Adfixa delubris, et arma*  
*Militibus sine caede, dixit.*  
*Derepta vidi: vidi ego civium*  
*Retorta tergo brachia libero,*  
*Portasque non clausas, et arva*  
*Marte celi populata nostro.*  
*Auro repensus scilicet perior*  
*Miles redibit? Flagitio additis*  
*Dammum. Neque amissos colores*  
*Lana refert modicata fuco:*  
*Nec vera virtus, quum semel excidit,*  
*Curat reponi deterioribus.*  
*Si pugnat extricata densis*  
*Cerya plagis: erit ille fortis,*  
*Qui perfidis se credidit hostibus:*  
*Et Marte Poenos proteret altero,*  
*Qui lora restrictis lacertis*  
*Sensit iners, timuitque mortem*  
*Hic unde vitam sumeret, inscius,*  
*Pacem duello miscuit. O pudor!*  
*O magna Carthago probrois*  
*Altior Italiae ruinis!*

Fertur pudicae conjugis osculum  
 Parvosque natos, ut capitis minor,  
 Ab se removisse, et virilem  
 Torvus humi posuisse vultum:  
 Donec labantes consilio patres  
 Firmaret auctor numquam alias dato  
 Interque moerentes amicos  
 Egregius properaret exsul.  
 Atqui sciebat, quae sibi barbarus  
 Tortor pararet. Non aliter tamen  
 Dimovit obstantes propinquos,  
 Et populum reditus morantem,  
 Quam si clientum longa negotia  
 Dijudicata lite relinqueret:  
 Tendens Venafranos *b*) in agros,  
 Aut Lacedaemonium Tarentum. *c*)

*a*) Comparatio Augusti et Crassi ad normam Reguli. Crassus in bello Parthico non tantum amisit exercitum; sed etiam decem Romanorum millia capta, et, quod Romanis erat nefas, uxoribus se junxerunt barbaris. Augustus perditam disciplinam militarem ad Reguli exemplum restituit; paransque adversus Parthos expeditionem, tanto eos terrore perculit, ut signa, Crasso adempta, ultro redderent, legatosque pacem deprecaturus mitterent.

*b*) *Venafrum*, urbs in regione amoenissima Campaniae.

*c*) *Tarentum* dicitur Lacedaemonium, quia Parthenii Lacedaemonii duce Phalanto, Tarentum, expugnatis veteribus incolis occuparunt. Vide Justin, Lib. III. c. 4.

### Ad Lyden.

*Lib. III. 11.*

**M**ercuri, (nam te docilis magistro  
 Movit Amphion lapides canendo)  
 Tuque testudo resonare septem  
 Callida nervis,  
 Nec loquax olim neque grata, nunc et  
 Divitum mensis et amica templis,  
 Dic modos, Lyde, quibus obstinata  
 Adplicet aures.  
 Tu potes tygres, comitesque silvas  
 Ducere, et rivos celeres morari:  
 Cessit immanis tibi blandienti  
 Janitor aulae

Cerberus, quamvis furiale centum  
Muniant angues caput ejus, atque  
Spiritus teter, saniesque manet  
Ore trilingui.

Quin et Ixion, Tityosque vultu  
Risit invito; stetit urna paullum  
Sicca, dum grato Danaï puellas  
Carmine mulces.

Audiat Lyde a) scelus, atque notas  
Virginum poenas, et inane lymphae  
Dolium fundo pereuntis imo,  
Seraque fata.

Quae manent culpas etiam sub Orco.  
Impiae (nam quid potuere majus?)  
Impiae sponso potuere duro  
Perdere ferro!

Una de multis face nuptiali  
Digna perjurum fuit in parentem  
Splendide mendax, et in omne virgo  
Nobilis aevum:

Surge, quae dixit juveni marito,  
Surge, ne longus tibi somnus, unde  
Non times, detur, socerum et scelestas.  
Falle sorores.

Quae, velut nactae vitulos leaenae,  
Singulos, eheu! lacerant. Ego illis  
Mollior, nec te feriam, nec intra  
Claustra tenebo.

Me pater saevis oneret catenis,  
Quod viro clemens misero peperci;  
Me vel extremos Numidarum in agros  
Classe releget.

I, pedes quo te rapiunt et aerae, b)  
Dum favet nox et Venus: i secundo  
Omne; et nostri memorem sepulcro  
Sculpe querelam,

a) Discat Lyde, quomodo dii puniant mulieres crudeles.

b) Fuge sive terra, sive mari.

Ad Bacchum. a)

*Lib. III. 25.*

Quo me, Bacche, rapis tui  
Plenum! Quae in nemora, aut quos agor in specus,  
*Select. Exempl. Vol. II.* E

Velox mente nova! Quibus  
 Antris egregii Caesaris audiar  
 Aeternum meditans decus  
 Stellis inserere et consilio Jovis!  
 Dicam insigne, recens, adhuc  
 Indictum ore alio. Non secus in jugis  
 Exsomnis stupet Evias *b)*  
 Hebrum prospiciens et nive candidam  
 Thracen, ac pede barbaro  
 Lustratam Rhodopen. Ut mihi devio  
 Ripas et vacuum nemus  
 Mirari libet! O Naxadum potens,  
 Baccharumque valentium  
 Proceras manibus vertere fraxinos!  
 Nil parvum aut humili modo,  
 Nil mortale loquar. Dulce periculum est.  
 O Lenaeae, sequi deum  
 Cingentem viridi tempora pampino!

*a)* Dithyrambus.

*b)* *Evias*, sc. femina, i. e. Baccha, seu Thyas, Maenas. Bacchae, praecipue noctu, celebrabant orgia, feritate et licentia morum Thraciae propria.

### Ad Melpomenen.

*Lib. IV. 3.*

Quem tu, Melpomene, semel  
 Nascentem placido lumine videris,  
 Illum non labor isthmius *a)*  
 Clarabit pugilem, non equus impiger  
 Curru ducet Achaico  
 Victorem; neque res bellica Deliis *b)*  
 Ornatum foliis ducem,  
 Quod regum tumidas contuderit minas,  
 Ostendet Capitolio;  
 Sed quae Tibur aquae fertile praefluunt,  
 Et spissae nemorum comae  
 Fingent Aeolio carmine nobilem.  
 Romae principis urbium  
 Dignatur soboles inter amabiles  
 Vatum ponere me choros:  
 Et jam dente minus mordeor invido.  
 O, testudinis aureae  
 Dulcem quae strepitum, Pieri, *c)* temperas:

O mutis quoque piscibus  
 Donatura cycni, si libeat, sonum!  
 Totum muneris hoc tui est,  
 Quod monstror digito praetereuntium  
 Romanae fidicen lyrae:  
 Quod spiro et placeo, quod placeo tuum es.

- a) *Labor isthmus* sunt ludī percelebres in isthmo Corinthiaco in honorem Neptuni.  
 b) *Folia Delia*, seu corona laurea, qua victores ornabantur.  
 c) *Plerides* dicuntur musae a loco natali, quia Mnemosyne in Pieria Macedoniae regione, musas peperit.

## Drusi Laudes.

Lib. IV. 4.

Qualem ministrum fulminis alitem,  
 (Cui rex deorum in aves vagas  
 Permisit expertus fidelem  
 Jupiter in Ganymede flavo)  
 Olim juvenas et patrius vigor  
 Nido laborum propulit inscium,  
 Vernique, jam nimbis remotis,  
 Insolitos docuere nisus  
 Venti paventem; mox in ovilia  
 Demisit hostem vividus impetus;  
 Nunc in reluctantes dracones  
 Egit amor dapis atque pugnae:  
 Qualemve laetis caprea pascuis  
 Intenta, fulvae matris ab ubere  
 Jam lacte depulsum leonem,  
 Dente novo peritura, vidit:  
 Videre Rhaetis bella sub alpihus  
 Drusum gerentem Vindelici: (quibus  
 Mos unde deductus per omne  
 Tempus Amazonia securi  
 Dextras obarmet, quaerere distuli;  
 Nec scire fas est omnia a) sed) diu  
 Lateque victrices catervae,  
 Consilii juvenis revictae,  
 Sensere, quid mens rite quid indoles  
 Nutrita faustis sub penetralibus  
 Posset, quid Augusti paternus  
 In pueros animus Neronēs b)

Fortes creantur fortibus et bonis:  
 Est in juvenis, est in equis patrum  
 Virtus; nec imbellem feroces  
 Progenerant aquilae columbam.  
 Doctrina sed vim promovet insitam,  
 Rectique cultus pectora roborant:  
 Utcumque defecere mores,  
 Indecorant bene nata culpae.  
 Quid debeas, o Roma, Neronibus,  
 Testis Metaurum flumen et Asdrubal  
 Devictus, et pulcher fugatis  
 Ille dies Latio tenebris,  
 Qui primus alma risit adorea:  
 Dirus per urbes Afer ut Italas  
 Ceu flamma per taedas, vel Eurus  
 Per siculas equitavit undas.  
 Post hoc secundis usque laboribus  
 Romana pubes crevit; et impio  
 Vastata Poenorum tumultu  
 Fana deos habuere rectos:  
 Dixitque tandem perfidus Annibal:  
 Cervi, luporum praeda rapacium,  
 Sectamur ultro, quos opimus  
 Fallere et effugere est triumphus.  
 Gens, quae cremato fortis ab Ilio  
 Jactata Tuscis aequoribus sacra  
 Natosque maturosque patres  
 Pertulit Ausonias ad urbes,  
 Duris ut ilex tonsa bipennibus  
 Nigrae feraci frondis in. Algido,  
 Per damna, per caedes, ab ipso  
 Ducit spes animumque ferro.  
 Non Hydra secto corpore firmior  
 Vinci dolentem crevit in Herculem:  
 Monstrumve submittere Colchi  
 Majus, Echioniaeve Thebae.  
 Merses profundo, pulchrior evenit:  
 Luctere, multa prouit integrum  
 Cum laude victorem, geritque  
 Proelia conjugibus loquenda.  
 Carthagini jam, non ego nuntios  
 Mittam superbos: occidit, occidit  
 Spes omnis et fortuna nostri  
 Nominis, Asdrubale interempto.

*Nil claudiae non efficiant manus ,  
Quas, et benigno numine Jupiter  
Defendit, et curae sagaces  
Expediunt per acuta belli.*

a) Versus 18—22 cum Jani uncis inclusinus, quum sit ad-  
sutus a scioloquodam, pannus Horatio indignus.

b) *Tiberius Claudius, et Claudius Drusus Neronis filii Tiberii  
Claudii Neronis et Liviae Drusillae*, quae Augusto nupserat  
in cuius domo ad magna quaeque colebantur. Aulus Ge-  
lius Noct. att. XIII. 22., et Suetonius *in vita Tiberii*, do-  
cent, Claudiorum familiam cognomen *Neronum* a fortitudi-  
ne habuisse. Gellius loco laudato dicit: *Nerio Sabinum ver-  
bum est, eoque significatur virtus et fortitudo. Itaque ex  
Claudii, quos a Sabinis oriundos accepimus, qui erat egregia  
atque praestanti fortitudine, Nero adpellatus est.* Suetonius  
in vita Tiberii c. 1. scribit: *Inter cognomina (Tiberius) et  
Neronis adsumsit, quo significatur lingua Sabina* fortis ac  
strenuus, Et sane Claudios cognomen *Neronum* promeritis  
testantur plurima fortiter et strenue gesta, quae Suetonius  
aliique historici Romani narrant. Claudius Nero Consul cum  
collega M. Livio Cos. Asdrubalem, Hannibalis fratrem ad  
Metaurum in Umbria tanta adfecit clade, ipsumque ducem  
occidit, ut Livius XXVII. 48. hanc cladem Cannensi aequam  
vel ducis vel exercitus interitu redditam esse dicat. Quare  
etiam Hannibal, teste eodem Livio ibid. c. 51., tanto simul  
publico familiarique ictus luctu, *agnoscere se fortunam Car-  
thaginis*, fertur dixisse. Quam Hannibalis exclamationem  
elegantissime exornat Horatius.

## Ad Augustum.

### Lib. IV. 5.

**D**ivis a) orte bonis; optime Romulae  
Custos gentis, abes jam nimium diu;  
Maturum reditum pollicitus patrum  
    Sancto concilio, redi.  
Lucem redde tuae, dux bone, patriae;  
Instar veris enim vultus ubi tuus  
Adfulsit populo, gratior it dies,  
    Et soles melius nitent.  
Ut mater juvenem, quem Notus invido  
Flatu carpathii trans maris aequora  
Cunctantem spatio longius annuo  
    Dulci distinet a domo,

Votis omnibusque et precibus vocat,  
Curvo nec faciem litore demovet:  
Sic desiderii icta fidelibus

Quaerit patria Caesarem. *b)*

Tutus hos etenim rura perambulat,  
Nutrit rura Ceres, almaque faustitas:  
Pacatum volitant per mare navitae

Culpari metuit fides.

Quis Parthum paveat? quis gelidum Scythen?

Quis, Germania quos horrida parturit  
Fetus, incolumi Caesare? quis ferae

Bellum curet Iberiae? *d)*

Condit quisque diem collibus in suis,  
Et vitem viduas ducit ad arbores;

Hinc ad vina redit laetus, et alteris

Te mensis adhibet deum.

Te multa prece, te prosequitur mero

Defuso pateris, et Laribus tuum. *d)*

Miscet numen, uti Graecia Castoris,

Et magni memor Herculis

Longas, o utinam, dux bone ferias

Praestes Hesperiae! dicimus integro

Sicci mane die, dicimus uvidi

Quum sol oceano subest.

+ Italia

*a)* Augustus dicitur *divis ortus*, quia in Juliorum familiam adoptatus, ducēbat genus a Venere.

*b)* Sequuntur causae hujus desiderii, quia Augustus, pace et securitate et moribus priscis restitutis, felices reddit Romanos.

*c)* Parthi signa Crasso adempta reddiderant, additis obsidibus e familia regia. *Scythae* et *Sarmatae*, septentrionales populi, ut et *Seres* et *Indi*, orientales, amicitiam Romanorum peturos miserunt ad Augustum legatos. *Germanos* vicerat jam Drusus, qui usque ad *Visurgim* et *Albim* progressus fuerat, cognomen *Germanici* promeritus. Ab *Hispanis devictis* redux expectabatur Augustus.

*d)* Augustus, ob tanta in rempublicam merita, adnumeratur jam modo *Laribus*, quibus vina e pateris fundebantur.

### Ad Torquatum.

Lib. IV. 7.

Diffugere nives redeunt jam gramina campis  
Arboribusque comae;

Mutat terra vices, et descreſcentia ripas  
 Flumina praetereunt.  
 Gratia cum nymphis geminisque ſororibus audet  
 Ducere nuda choros.  
 Immortalia ne ſperes, monet, annus, et alium  
 Quae rapit hora diem.  
 Frigora mitescunt Zephyris, ver proterit aestas  
 Interitura, simul  
 Pomifer auctumnus fruges effuderit; et mox  
 Bruma recurrit iners.  
 Damna tamen celeres reparant coelestia lunae.  
 Nos ubi decidimus,  
 Quo pius Aeneas, quo dives Tullus et Ancus,  
 Pulvis et umbra sumus.  
 Quis scit, an adjiciant hodiernae crastina summae  
 Tempora di superi?  
 Cuncta manus avidas fugient heredis, amico  
 Quae dederis animo.  
 Quum semel occideris, et de te splendida Minos  
 Fecerit arbitria;  
 Non, Terquate, genus, non te facundia, non te  
 Restituet pietas a).  
 Infernis neque enim tenebris Diana pudicum  
 Liberat Hippolytum:  
 Nec lethaea valet Theseus abruptere caro  
 Vincula Pirithoo.

a) Vita, dum licet, fruendum esse, ex mente Aristippi, monet Horatius: simulque leniter pungit Torquatium, qui perparce vixisse videtur: qui, quum ipse generis sui ultimus esset, heredemque necessarium non haberet, levi reprehensione haud erat indignus.

Ad Censorinum a)

*Lib. IV. 8.*

**D**onarem pateras grataque commodus  
 Censorine, meis aera sodalibus;  
 Donarem tripodas, praemia fortium  
 Grajorum; neque tu pessima munerum  
 Ferres, divite me scilicet artium,  
 Quas aut Parrhasius protulit aut Scopas,  
 Hic saxo, liquidis ille coloribus  
 Sollers nunc hominem ponere, nunc deum:  
 Sed non haec mihi vis, nec tibi talium

Res est aut animus deliciarum egens.  
 Gaudes carminibus: carmina possumus  
 Donare, et pretium dicere muneri.  
 Non incisa notis marmora publicis,  
 Per quae spiritus et vita redit bonis  
 Post mortem ducibus: non celeres fugae  
 Rejectaeque retrorsum Annibalis minae;  
 (Non incendia Carthaginis impiae), *b)*  
 Ejus, qui domita nomen ab Africa  
 Lucratus rediit, clarius indicant  
 Laudes, quam Calabriae *c)* Pierides: neque,  
 Si chartae sileant, quod bene feceris,  
 Mercedem tuleris. Quid foret Iliae  
 Mavortisque puer, si taciturnitas  
 Obstaret meritis invida Romuli?  
 Ereptum stygiis fluctibus Aeacum  
 Virtus et favor et lingua potentium  
 Vatum divitibus *d)* consecrat insulis.  
 Dignum laude virum musa vetat mori:  
 Coelo musa beat. Sic Jovis interest  
 Optatis epulis impiger Hercules:  
 Clarum Tyndaridae sidus ab infimis:  
 Quassas eripiunt aequoribus rates:  
 Ornatus viridi tempora pampino  
 Liber vota bonos ducit ad exitus.

- a)* Scriptum est hoc carmen vel tamquam *strena* calendis Januariis, vel tamquam *xenium* festis saturnalibus, quum mutua sibi mittere solebant murrera. Praedicat Censorini laudes ab amore literarum et integritate morum; simulque poetam laudat, quae veram nominis immortalitatem viris laude dignis certius, quam marmorea et aenea monumenta, largitur. Idem argumentum tractat etiam oda sequens, ad *Lollium*.
- b)* *Incendium Carthaginis* vel de incendio castrorum Syphacis et Asdrubalis (vide Liv. XXX. 5, 6, 43.) vel de caede Carthaginiensium intelligi debet; quum Ennius laudes Africanam superioris celebret, Carthago vere cremata sit ab Africano juniore. Plerique eruditi verum esse spurium censent.
- c)* Calabriae Pierides s. musae sunt carmina Ennii Rudii. Rudiae urbs in Calabria.
- d)* i. e. *beatiss*, more graecorum, ὀλβιος.
- e)* *Vota bonos ducit ad exitus*, i. e. audit preces nostras, deus est; item indicat, Jovis epulis interesse.

## Ad Lollium.

## Lib. IV. 9.

**N**e forte credas interitura, quae  
 Longe sonantem natus ad Aufidum,  
     Non ante vulgatas per artes  
     Verba loquor socianda clitoris.  
 Non, si priores Maeonius tenet  
 Sedes Homerus, Pindaricae latent,  
     Caeaque, et Alcaei minaces,  
     Stesichorique graves camenae; a)  
 Nec, si quid olim lusit Anacreon,  
 Delevit aetas: spirat adhuc amor  
     Vivumque commissi calores  
     Aeoliae fidibus puellae.  
 Non sola comtos arsit adulteri  
 Crines, et aurum vestibus illitum  
     Mirata regalesque cultus,  
     Et comites, Helene, Lacaena;  
 Primusve Teucer tela Cydonio b)  
 Direxit arcu: non semel Ilios  
     Vexata; non pugnavit ingens  
     Idomeneus Sthenelusve solus  
 Dicenda musis proelia: non ferox  
 Hector, vel acer Deiphobus graves  
     Excepit ictus pro pudicis  
     Conjugibus puerisque primus.  
 Vixere fortes ante Agamemnona  
 Multi; sed omnes illacrimabiles  
     Urgentur, ignotique longa  
     Nocte, carent quia vate sacro.  
 Paullum sepultae distat inertiae  
 Celata virtus. Non ego te meis  
     Chartis inornatum silebo,  
     Totve tuos patiar labores  
 Impune, Lolli, carpere lividas  
 Obliviones. Est animus tibi  
     Rerumque prudens et secundis  
     Temporibus dubiisque rectus;  
 Vindex avarae fraudis, et abstinens  
 Ducentis ad se cuncta pecuniae;  
     Consulque non unius anni,  
     Sed quoties bonus atque fidus

Judex honestum praetulit, utili,  
 Rejicit alto dona nocentium  
 Vultu, per obstantes catervas *b)*  
 Explicuit sua victor arma.  
 Non possidentem multa, vocaveris  
 Recte beatum: rectius occupat  
 Nomen beati, qui deorum  
 Muneribus sapienter uti,  
 Duramque callet pauperiem pati,  
 Pejusque letho flagitium timet.  
 Non ille pro caris amicis  
 Aut patria timidus perire.

*a)* Stésichorus, Siculus Himerensis, poeta lyricus gravissimus, qui argumenta epica felicissime lyra lusit; dignus, qui, Quinctiliano judice, cum Homero comparetur. *Puella Aeolia Sappho.*

*b)* Cydonium, ex celeberrimis urbibus Cretae.

*c)* Obstantes catervae illorum, qui Lolli virtutem, corrumpi nesciam, muneribus corrumpere frustra laborant.

### Ad Virginium.

Lib. IV. 12.

Jam veris comites, quae mare temperant,  
 Impellunt animae lintea Thraeciae; *a)*  
 Jam nec prata rigent, nec fluvii strepunt  
 Hiberna nive turgidi.  
 Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,  
 Infelix avis, et Cecropiae domus  
 Aeternum opprobrium, quod male barbaras  
 Regum est ultra libidines.  
 Dicunt in tenero gramine pinguium  
 Custodes ovium carmina fistula,  
 Delectantque deum, cui pecus et nigri  
 Colles Arcadiae placent.  
 Adduxere sitim tempora, Virgili!  
 Sed pressum Calibus ducere Liberum  
 Si gestis, juvenum nobilium cliens *b)*  
 Nardo vina mereberis.  
 Nardi parvus onyx eliciet cadum,  
 Qui nunc Sulpiciis ad cubat horreis,  
 Spes donare novas largus, amaraque  
 Curarum eluere efficax.

Ad quae si properas gaudia cum tua  
 Velox merce veni: non ego de meis  
 Immunem meditor tingere poculis,  
 Plena dives ut in domo.  
 Verum pone moras et studium lucri;  
 Nigrorumque memor, dum licet, ignium,  
 Misce stultitiam consiliis brevem:  
 Dulce est desipere in loco.

- a) *Animae*, ab ἀνεμος, venti. Venti Thracii tempore verne non sunt turbidi, sed serenitatem inducant, nautasque ad navigandum invitant.  
 b) *Nobiles juvenes*, quorum cliens dicitur Virgilius, sunt Tiberius et Drusus Nerones, Augusti privigni.

## Ad populum Romanum.

## Eppodon carmen 7.

Quo, quo scelesti ruitis? aut, cur dexteris  
 Aptantur enses conditi?  
 Parumne campis atque Neptuno super  
 Fusum est Latini sanguinis?  
 Non ut superbas invidiae Carthaginis  
 Romanus arces ureret;  
 Intactus an Britannus a) ut descenderet  
 Sacra catenatus via: b)  
 Sed ut, secundum vota Parthorum, sua  
 Urbs haec periret dextera.  
 Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus;  
 Numquam, nisi in dispar, feris.  
 Furorne caecus, an rapit vis acrior?  
 An culpa? responsum date!  
 Tacent; et albus ora pallor inficit,  
 Mentisque percussae stupent.  
 Sic est, acerba fata Romanos agunt,  
 Scelusque fraternae necis,  
 Ut immerentis fluxit in terram Remi  
 Sacer nepotibus cruor.

a) Britannii nondum erant subjecti Romanis.

b) *Via sacra* Romanis erat idem, quod Viennensibus est der Graben, hac triumphantes vehebantur, haec otiosi terebant, *cf.*

Ad populum Romanum. *a)*

Epod. 16.

**A**ltera jam teritur bellis civilibus aetas,  
 Suis et ipsa Roma viribus ruit.  
 Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi, *b)*  
 Minacis aut Etrusca Porsenae manus, *c)*  
 Aemula nec virtus Capuae, nec Spartacus acer, *d)*  
 Novisque rebus infidelis Allobrox; *e)*  
 Nec fera caerulea domuit Germania pube,  
 Parentibusque abominatus Annibal:  
 Impia perdemus devoti sanguinis aetas,  
 Ferisque rursus occupabitur solum. *f)*  
 Barbarus, heu! cineres insistet victor, et urbem  
 Eques sonante verberabit ungula;  
 Quaeque carent ventis et solibus, ossa Quirini  
 (Nefas videre) dissipabit insolens.  
 Forte (quid expediat!) communiter, aut melior pars  
 Malis carere quaeritis laboribus,  
 Nulla sit hac potior sententia: Phocaeorum, *g)*  
 Velut profugit exsecrata civitas,  
 Agros atque Lares patrios, habitandaque fana  
 Apris reliquit et rapacibus lupis;  
 Ire pedes quocumque ferent, quocumque per undas  
 Notus vocabit, aut protervus Africanus.  
 Sic placet? an melius quis habet suadere? secunda  
 Ratem occupare quid moramur alite?  
 Sed juremus in haec: simul imis saxa renarint  
 Vadis levata, ne redire sit nefas,  
 Neu conversa domum pigeat dare lintea, quando  
 Padus Matina *h)* laverit cacumina,  
 In mare seu celsus procurrerit Apenninus,  
 Novaque monstra junxerit libidine  
 Mirus amor: juvet ut tigres subsidere cervis  
 Adulteretur et columba milvio  
 Credula nec rivos timeant armenta leones:  
 Ametque salsa levis hircus aequora.  
 Haec et quae poterunt reditus abscindere dulces  
 Eamus omnis exsecrata civitas,  
 Aut pars indocili melior grege: mollis et exspes  
 Inominata perprimat cubilia.  
 Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,  
 Etrusca praeter et volate litora.

Nos manet Oceanus circumvagus arva; beata *l)*  
 Petamus arva divites et insulas;  
 Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis,  
 Et imputata floret usque vinea,  
 Germinat et nunquam fallentis termes olivae,  
 Suamque pulla ficus ornat arborem,  
 Mella cava manant ex ilice, montibus altis  
 Levis crepante lympha desilit pede.  
 Illic injussae veniunt ad mulctra capellae,  
 Refertque tenta grex amicus ubera;  
 Nec vespertinus circumgemit ursus ovile,  
 Nec intumescit alta viperis humus:  
 Nulla nocent pecori contagia, nullius astri  
 Gregem aestuosa torret impotentia.  
 Pluraque felices mirabimur; ut neque largis  
 Aquosus Eurus arva radat imbribus,  
 Pinguia nec siccis urantur semina glebis  
 Utrumque rege temperante coelitem.  
 Non huc Argoo *k)* contendit remige pinus;  
 Neque impudica Colchis intulit pedem:  
 Non huc Sidonii torserunt cornua nautae,  
 Laboriosa nec cohors Ulixei:  
 Jupiter illa piaae secrevit litora genti,  
 Ut inquinavit aere tempus aureum:  
 Aere, dehinc ferro duravit secula; quorum  
 Piis secunda vate me datur fuga. *l)*

*a)* Hoc carmen ejusdem cum priori argumenti exsecratur bella Romanorum civilia in alteram jam aetatem continuata. (Scribit haec, quum bellum Actiacum adpararetur a. 721: bellum autem civile Caesar contra Pompejum ingressus fuerat a. 704; Sulla contra Marium a 665.) Ista autem innumera mala quum poeta partim ipse sensisset: facile ipsi erat delabi ad contrarium argumentum; nimirum, ut, quum tantorum malorum scelerumque originem indagasset, fontemque eorum avaritiam reperisset (3, 16), unum omnium malorum istorum medelam proponeret fugam patriae, suaderetque terram relinquendam, in qua ista factorum nefariorum seges subcrevisset, novas contra, vatis (66) non civis personam induens, terras indagandas, quales jam Homerus laudaverat, *Odyss. IV, 563 — 568* quaeque, referente Diodoro, Plinio et scholiaste Cruquii in oceano meridionali, ultra Aquilonem, ad ortum solis, super *Orcades nostras*, fama veterum posuerat.

- b) *Marsi*, populus Latii ad lacum Fucinum (hodie, *Lago di Celano*). Bellum Marsicum est bellum sociale, quum Marsi, Picentini, Samnites, Latini, Etrusci et Campani jus civitatis, per Drusum promissum jure sibi dari peterent. Romani saepius, praecipue per Popedium Marsorum ducent, victi, tandem per Cn. Pompejum, L. Sullam aliosque duces celebres, bellum hoc gravissimum, sociis devictis, con-  
fecerunt.
- c) *Porsena*, rex Etruriae, Tarquinium ex urbe ejectum restituere in regnum cupiens, jam occupaverat Janiculum, sed heroica Horatii Cociliis, et Mucii Scaevolae virtute a proposito suo absteritus est.
- d) *Celebre*, belli Punici secundi tempore, bellum est Romanorum cum Capua, quae post pugnam ad Cannas transierat ad Hannibalem, cujus ope et auxilio, Roma eversa, urbem Italiae principem se futuram sperabat. Haud minus terribile Romanis erat bellum civile, quod Romanis intulit Spartacus, Thrax, gladiator, qui cum 64 sociis e ludo gladiatorio Capuae profugiens, primo Vesuvium montem petiit, mox crescente in dies multitudine hominum, praecipue servorum, gravibus variisque caedibus adfecit Italiani. Tandem a Pompejo et Crasso devictus est.
- e) *Allobroges*, ad Rhodanum in Gallia Narbonensi, qui, Bituito, Regi Arvernorum juncti, victi primo sunt a. U. 631. per Cn. Domitium Ahenobardum proconsulem; anno sequente per Q. Fab. Maximum proconsulem ad internecionem caesi sunt. Catilinae etiam conjurationis tempore fides Allobrogum erat dubia.
- f) *Sanguinis Remi*, injuste occisi a Romulo. *Rursus*, ut ante Romam conditam.
- g) *Phocaei* in Ionia, per Harpagum Persarum ducem obsessi, fugerant cum uxoribus liberisque suis, execrantes eos, qui redituri in patriam forent. Horum exemplum sequi hortatur Romanos poeta.
- h) *Matinus*, mons Calabriae. *Padus*, fluvius in Italia superiore, qui nunquam lavabit montem Calabriae, nedum ipsius cacumen. Poëtica exprimitur *numquam* per ea, quae fieri nullo modo possunt.
- i) De insulis beatorum canit Homerus Odys. IV. 563—568.

Ἄλλὰ σ' ἐς Ἠλύσιον πεδῖον καὶ πείρατα γαίης  
 ἀθάνατοι πέμψουσιν ὄσι ξανθοῦ Παλάμανδος.  
 τῆ περ ῥήϊστη βροτῆ πέλει ἀνθρώποισιν,  
 οὐ νεφετος οὐτ' ἀρχεμῶν πολὺς, οὐτέ ποτ' ὄμβρος.  
 ἀλλ' αἰεὶ Ζεφυροῖο λιγυπνεύοντασ ἀήτας  
 Ὠκεανὸς ἀνίσσιν, ἀναψύχειν ἀνθρώπους.

- — Einſt zur Elyſſiſchen Flur und den Enden der Erden.  
 Führen die Setigen dich, wo der bräunliche Heib Adamanthys  
 Wohnt, und mühelos die Menſchen leben und ruhig:  
 (Nimmer iſt Schnee, noch tobt ein Orkan her, oder ein Regen;  
 Ewig wehn die Gefäſel des leiſ' anathmenden Weſtes,  
 Die Okeanos ſendet, die Menſchen ſauſt zu fühlen.)  
 h) Iason navi Argo insulam Colchidem petit, vellus aureum  
 reportaturus, ope Medae, quae dicitur impudica Colchis  
 filiae regis Aetiae.  
 i) Mundi aetates in deterius prolapsae.

### III. Orationes.

#### A. Progyrnasmata.

#### Locus Communis.

Ad beate vivendum sufficit virtus, cujus magistra  
 est philosophia.

Cic. L. V. Tuscul. Quaestion. n. 1. 2. 6.

Cicero ad Brutum.

Virtutem ad bene beateque vivendum se ipsa conten-  
 tam esse, etsi difficile est probatu proptertam varia et  
 tam multa tormenta fortunae: tale tamen est, ut elab-  
 orandum sit, quo facilius probetur. Nihil enim est  
 omnium, quae in philosophia tractantur, quod gravius  
 magnificentiusque dicatur. Nam quum ea causa impu-  
 lerit eos, qui primi se ad philosophiae studium contu-  
 lerunt, ut, omnibus rebus posthabitis, totos se in opti-  
 mae vitae statu exquirendo collocarent: profecto spe  
 beate vivendi tantam in eo studio curam operamque  
 posuerunt. Quodsi ab iis inventa et perfecta virtus est,  
 et si praesidii ad beate vivendum in virtute satis est:  
 quis est, qui non praeclare, et ab iis positam, et a  
 nobis susceptam operam philosophandi arbitretur? sin

autem virtus subjecta sub varios incertosque casus, formula fortunae est, nec tantarum virium est, ut se ipsa tueatur: vereor, ne non tam virtutis fiducia nitendum nobis sit ad spem beate vivendi, quam vota facienda videantur.

Et quidem eos casus, in quibus me fortuna vehementer exercuit, mecum ipse considerans, huic incipio sententiae diffidere: interdum etiam humani generis imbecillitatem fragilitatemque extimescere. Vereor enim, ne natura, quum corpora nobis infirma dedisset, iisque et morbos insanabiles et dolores intolerabiles adjunxisset, animos quoque dederit et corporum doloribus congruentes, et separatim suis angoribus et molestiis implicatos. Sed in hoc me ipse castigo, quod ex aliorum et nostra fortasse mollitie, non ex ipsa virtute, de virtutis robore existimo. Illa enim, si modo est ulla virtus (quam dubitationem avunculus tuus, Brute, sustulit): omnia, quae cadere in hominem possunt, subter se habet; eaque despiciens, casus contemnit humanos; culpaque omni carens, praeter se ipsam nihil censet ad se pertinere.

Nos autem omnia adversa, tum venientia metu agentes, tum moerore praesentia, rerum naturam quam errorem nostrum damnare malimus. Sed et hujus culpaе et ceterorum vitiorum peccatorumque nostrorum omnis a Philosophia petenda correctio est; cuius in sinum quum a primis temporibus aetatis nostrae voluntas studiumque nos contulissent: his gravissimis casibus in eundem portum, ex quo eram egressi, magna jactati tempestate confugimus. O vitae philosophia dux! o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnium vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti; tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti; tu eos inter se primo domiciliis, deinde conjugiiis, tum literarum et vocum communione junxisti; tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti. Ad te confugimus, a te opem petimus; tibi nunc, ut antea magna ex parte; sic nos penitus totosque tradimus. Est autem, unus dies bene et ex praeceptis tuis actus peccantis immortalitati anteponendus. Cujus igitur potius opibus utamur quam tuis? quae et tranquillitatem largita nobis es, et terrorem mortis sustulisti. Motus turbulenti jactationesque animorum incitatae, et impetu inconside-

rato elatae, rationem omnem repellentes, vitae beatæ nullam partem relinquunt. Quis enim potest, mortem aut dolorem metuens, quorum alterum saepe adest, alterum semper impendit, esse non miser? Quid? si idem, (quod plerumque fit) paupertatem, ignominiam, infamiam timet; si debilitatem, caecitatem; si denique (quod non singulis hominibus, sed potentibus populis saepe contigit) servitutem; potest ea, timens esse quisquam beatus? Quid? qui non modo ea futura timet, verum etiam fert sustinetque praesentia? Adde eodem exsilia, luctus, orbitates. Qui rebus his fractus aegritudine eliditur, potestne tandem esse non miserrimus? Quid vero illum, quem libidinibus inflammatum et furentem videmus; omnia rabide adpetentem cum inexplebili cupiditate, quoque adfluentius voluptatés undique hauriat, eo gravius ardentiusque sitiientem: nonne recte miserrimum dixeris? Quid elatus ille levitate inanique laetitia, et exsultans et temere gestiens, nonne tanto miserior, quanto sibi beator videtur? Ergo, ut hi miseri, sic contra illi beati, quos nulli metus terrent, nullae aegritudines exedunt, nullae libidines incitant, nullae fuitiles laetitiae exsultantes languidis liquefaciunt voluptatibus. Ut maris igitur tranquillitas intelligitur, nulla ne minima quidem aura fluctus commovente: sic animi quietus et placatus status cernitur, quum peturbatio nulla est, qua moveri queat. Quodsi est, qui vim fortunæ, qui omnia humana, quaecumque accidere possunt, tolerabilia ducat, ex quo nec timor eum nec angor attingat; idemque si nihil concupiscat; nulla efferatur inani voluptate: quid est, cur is non beatus sit? Et haec si virtute efficiuntur: quid est, cur virtus ipsa per se non efficiat beatos?

a) Unum locum communem his Latinae orationis exemplaribus inserere satis videtur, et fortasse plus quam satis. Haud facile enim ullam orationem majorem leges, in qua locus communis tibi non occurrat, e. c. In oratione pro M. Marcello Cicero laudaturus clementiam Caesaris, transit per locum communem *ad laudem clementiae ipsius*. In oratione pro Archia Poëta habes locum communem *de laudibus literarum*. In oratione pro lege Manilia, *de virtute boni imperatoris*, qui locus communis per contrarium tractatur, quum Cicero invehitur in vitia nonnullorum imperatorum. In oratione ad Quirites post reditum dicit Ci-

cero per locum communem, bona, quibus aliquamdiu carere debuimus, recuperata nobis esse gratiora; ubi ad se id adplicans, per περισμὸν enumerat haec bona: *liberos, fratrem, fortunas, amicos, honores, patriam*. Eodem modo in Mureti et Cheluescii orationibus singulis locum communem inuenies.

### Chria Oratoria, seu Ciceroniana.

ὅτι μόνον ἀγαθόν, τὸ καλόν.

**V**ereor, ne cui vestrum ex stoicorum hominum disputationibus, non ex meo sensu deprompta haec videatur oratio: dicam tamen, quod sentio; et dicam brevius, quam res tanta dici possit. Numquam, me hercule, ego neque pecunias istorum, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eas, quibus maxime adstricti sunt, voluptates in bonis rebus aut expetendis esse duxi: quippe quum viderem, rebus his circumfluentibus, ea tamen desiderare maxime, quibus abundarent. Neque enim expletur umquam, nec satiatur cupiditatis sitis: neque solum, ea qui habent, libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu. In quo equidem continentissimorum hominum, majorum nostrorum, saepe requiro prudentiam, qui haec imbecilla et commutabilia pecuniae membra, verbo *bona* putaverunt adpellanda, quum re ac factis longe aliter iudicavissent. Potestne bonum cuiquam malo esse? aut potest quisquam in abundantia bonorum ipse esse non bonus? Atqui ista omnia talia videmus, ut etiam improbi habeant, et obsint probis. Quam ob rem licet irrideat, si quis vult: plus apud me tamen vera ratio valebit, quam vulgi opinio. Neque ego umquam *bona* perdidisse dicam, si quis pecus aut supellectilem amiserit; neque non saepe laudabo sapientem illum, Biantem, ut opinor, qui numeratur in septem. Cujus quum patriam Prienen cepisset hostis, ceterique ita fugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent; quum esset admonitus a quodam, ut idem ipse faceret: *Ego vero, inquit, facio; nam omnia mea porto mecum.* a) Ille haec ludibria fortunae ne sua quidem putavit, quae nos adpellamus etiam *bona*. Quid est igitur, quaeret aliquis, bonum? siquid re-

cte fit, et honeste, et cum virtute; id bene fieri, vere dicitur: et quod rectum, et honestum, et cum virtute est, id solum opinor bonum.

Sed haec videri possunt obscuriora, quum lentius disputantur. Vita atque factis illustranda sunt summorum virorum haec, quae verbis subtilius, quam satis est, disputari videntur. Quaero enim a vobis, num ullam cogitationem habuisse videantur ii, qui hanc rempublicam tam praeclare fundatam nobis reliquerunt, aut auri aut argenti ad avaritiam, aut amoenitatum ad delectationem, aut supellectilis ad delicias, aut epularum ad voluptates? Ponite ante oculos unumquemque regum. Vultis a Romulo? Vultis post liberam civitatem, ab iis ipsis, qui liberaverunt eam? Quibus tandem gradibus Romulus ascendit in coelum? Iisne, quae isti bona adpellant? An rebus gestis atque virtutibus? Quid? Numae Pompilii minusne gratas diis immortalibus capedines ac fictiles urnulas fuisse, quam fictiles aliorum pateras arbitramur? Omitto reliquos; sunt enim omnes pares inter se, praeter Superbum. Brutum, si quis roget, quid egerit in patria liberanda: si quis item reliquos ejusdem consilii socios, quid spectaverint, quid sequuti sint: num quis existet, cui divitiae, cui denique praeter officium fortis et magni viri quidquam aliud propositum fuisse videatur? Quae res ad necem Porsenae C. Mucium impulit sine ulla spe salutis suae? Quae vis Coclitum contra omnes hostium copias tenuit in ponte solum? Quae patrem Decium, quae filium devovit atque immisit in armatas hostium copias? Quid continentia C. Fabricii, quid tenuitas victus M. Curii sequebatur? Quid duo propugnacula belli Punici Cn. et P. Scipiones, qui Carthaginiensium adventum corporibus suis intercludendum putaverunt? Quid Africanus Major? quid Minor? quid inter horum aetates interjectus Cato? quid innumerabiles alii? (nam domesticis exemplis abundamus). Cogitasse quidquam eos putamus in vita sibi expetendum, nisi quod laudabile esse et praeclarum videretur? Veniant igitur irrisores hujus orationis ac sententiae, et jam vel ipsi judicent, utrum se horum alicujus, qui marmoreis tectis ebore et auro fulgentibus, qui signis, qui tabulis, qui caelato auro et argento, qui Corinthiis operibus abundant, an C.

Fabricii, qui nihil eorum habuit, nihil habere voluit, similes esse malint?

Atque haec quidem, quae modo huc, modo illuc transferuntur, facile adduci solent, ut in rebus bonis esse negent, illud tamen arcte tenent, adcurateque defendunt, *voluptatem esse summum bonum*. Quae quidem mihi vox pecudum videtur esse, non hominum. Tu, quum tibi sive Deus, sive mater (ut ita dicam) rerum omnium, natura, dederit animum, quo nihil est praestantius neque divinius, sic te ipse abjicies, atque prosternes, ut nihil inter te atque quadrupedem aliquam putes interesse? quidquam bonum est, quod non eum, qui id possidet, meliorem facit? Ut enim quisque est maxime boni particeps, ita et laudabilis maxime: neque est ullum bonum, de quo non is, qui id habeat, honeste possit gloriari. Quid autem est horum in voluptate? melioremne efficit aut laudabiliorem virum? an quisquam in potiundis voluptatibus gloriando sese et praedicatione effert?

Atqui si voluptas, quae plurimorum patrociniis defenditur, in rebus bonis habenda non est, eaque, quo est major, eo magis mentem e sua sede et statu dimovet: profecto nihil est aliud bene et beate vivere, nisi honeste et recte vivere.

a) Quod Cicero hic Bianti tribuit, id Phaedrus Lib. IV. 21. narrat de Simonide. Vide sel. lat. orationis exempl. Vol. 1. p. 47.

### B. Orationes minores.

#### Oratio Eumenis ad Argyraspidas.

*Justin. Lib. XIV. c. 4.*

**J**ussus (Eumenes) a) ab universis dicere; facto silentio, laxatisque vinculis, prolatam sicut erat catenatus, manum ostendit: Cernitis milites, inquit, habitum atque ornamenta ducis vestri, quae mihi non hostium quisquam imposuit; nam hoc etiam solatio foret. Vos me ex victore victum, vos me ex imperatore captivum fecistis; quater intra hunc annum in mea verba jurejurando obstricti estis. Sed ista omitto. Neque enim miseros convicia decent. Unum oro, si propositorum Antigoni in meo capite summa consistit: inter vos me velitis mori. Nam neque illius interest, quemadmodum, aut ubi ca-

dam; et ego fuero ignominia mortis liberatus. Hoc si impetro: solvo vos jure jurando, quo toties vos sacramento mihi devovistis. Aut si ipsos pudet roganti vim adhibere: ferrum huc date, et permittite, quod vos facturos pro imperatore jurastis, imperatorem pro vobis sine religione jurisjurandi facere. *Quum non obtineret, preces in iram vertit.* At vos, ait, devota capita, respiciant dii perjuriorum vindices; talesque vobis exitus dent, quales vos ducibus vestris dedistis. Nempe vos iidem paulo ante et Perdiccae sanguine estis adspersi; et in Antipatrum eadem moliti. Ipsum denique Alexandrum, si fas fuisset eum mortali manu cadere, interenturi; quod maximum erat, seditionibus agitastis. Ultima nunc ego perfidorum victima, has vobis diras atque inferias dico; ut inopes extorresque omne aevum in hoc castrensi exsilio agatis, devorentque vos arma vestra, quibus plures vestros quam hostium duces absumsistis. *Plenus deinde irae, custodes suos praecedere ad Antigoni castra coepit.*

- a) Eumenes, hostis a Macedonibus judicatus, confugit ad Argyraspidas, qui jurejurando se illi obstrinxerunt; sed dicto ducis non audientes, superantur ab Antigono, omnemque praedam, belli longi praemia, amittunt: ad quam recuperandam, Eumenem ducem Antigono hosti se tradituros pollicentur. Argyraspides (*argenteis clypeis ornati*) dicti sunt Alexandri M. milites, qui, bello Persico confecto, Indiam petitori, armis argento inductis ornabantur.

Oratio Legatorum Darii  
pacem ab Alexandro petentium.

*Curt. IV. 11.*

Darium, (*inquit unus e legatis*) ut pacem a te jam hoc tertio peteret, nulla vis subegit: sed justitia et continentia tua expressit. Matrem, conjugem liberosque ejus, nisi quod sine illo sunt, captos esse non sensit: pudicitiae earum, quae supersunt, curam haut secus quam parens agens, reginas adpellas: speciem pristinae fortunae retinere pateris. Vultum tuum video, qualis Darii fuit, quum dimitteremur ab eo: et ille tamen uxorem, tu hostem luges. Jam in acie stares, nisi cura te sepulturae ejus moraretur. Et quid mirum est, si tam ab amico animo pacem petit? quid opus est armis, inter quos odia sublata sunt? Antea imperio tuo

destinabat Halyn amnem, qui Lydiam terminat. Nunc, quidquid inter Hellespontum et Euphratem est, in dotem filiae offert, quam tibi tradit. Ochum filium, quem habes, pacis et fidei obsidem retine: matrem et duas virgines filias redde: pro tribus corporibus triginta millia talentum auri precatur accipias. Nisi moderationem animi tui notam haberem; non dicerem, hoc esse tempus, quo pacem non dare solum, sed etiam occupare deberes. Respice, quantum post te reliqueris: intuere, quantum petas! Periculosum est praegrave imperium: difficile est continere, quod capere non possis. Videsne, ut navigia, quae modum excedunt, regi nequeant! Nescio, an Darius ideo tam multa amisit, quia nimiae opes magnae jacturae locum faciunt. Facilius est quaedam vincere, quam tueri. Quam, hercule, expeditius manus nostrae rapiunt, quam continent! Ipsa mors uxoris Darii te admonere potest, minus jam misericordiae tuae licere, quam licuit.

## Oratio Alexandri

Legatis Darii respondentis.

*Cart. IV. 11.*

Nuntiate Dario, (gratiarum actionem apud hostem supervacaneam esse: et) me, quae fecerim clementer et liberaliter, non amicitiae ejus tribuisse, sed naturae meae: (nec adversus calamitates sed adversus hostium vires contendere). Bellum cum captivis et feminis genere non soleo. Armatus sit oportet, quem odierim. Quod si saltem pacem bona fide peteret, deliberare forsitan, an darem. Verum enim vero, quum modo milites meos literis ad proditionem, modo amicos ad perniciem meam pecunia sollicitet; ad intercessionem mihi persequendus est, non ut justus hostis, sed ut percussor veneficus. Conditiones vero pacis, quas fertis, si accepero, victorem eum faciunt. Quae post Euphratem sunt, liberaliter donat, ubi igitur me adfamini? nempe ultra Euphratem sum. Summam ergo dotis, quam promittit, terminum castra mea transeunt. Hinc me depellite, ut sciam vestrum esse, quod ceditis. Eadem liberalitate dat mihi filiam suam; nempe quam scio alicui servorum suorum nupturam. Multum vero mihi praestat, si me Mazaeo generum

praeponit! Ite, nuntiate regi vestro, et quae amisit, et quae adhuc habet, praemia esse belli: hoc regente utriusque terminos regni, id quemque habiturum, quod proximae lucis adsignata fortuna est. (Et me in Asiam non venisse, ut ab alijs acciperem; sed ut alijs darem. Si secundus, et non par mihi vellet haberi; facerem forsitan, quae petit. Ceterum, nec mundus duobus solibus potest regi, nec duo summa regna salvo statu terrarum potest habere. Proinde aut deditionem hodie, aut in crastinum bellum paret: nec aliam sibi, quam expertus est, polliceatur fortunam.)

## Oratio Nabarzanis

Dario suadentis, ut fiduciarium regni possessionem tradat Besso, donec Asia decedat hostis.

*Curt. V. 9.*

Scio me sententiam esse dicturum, prima specie haudquaquam auribus tuis gratam. Sed medici quoque graviores morbos asperis remedijs curant; et gubernator, ubi naufragium timet, jactura, quidquid servari potest, redimit. Ego tamen, non ut damnum quidem facias, suadeo; sed, ut te ac regnum tuum salubri ratione conserves. Diis adversis bellum inimus; et pertinax fortuna Persas urgere non desinit. Novis initiis et omnibus opus est. Auspiciam et imperium alii trade interim, qui tamdiu rex adpelletur, donec Asia decedat hostis; victor deinde regnum tibi reddat. Hoc autem brevi futurum, ratio promittit. Bactra intacta sunt; Indi et Sagae in tua potestate; tot populi, tot exercitus, tot equitum peditumque millia ad renovandum bellum vires paratas habent, ut major belli moles supersit, quam exhausta sit. Quid ruimus belluarum ritu in perniciem non necessariam? Fortium virorum est, magis mortem contemnere quam odisse vitam. Saepe taedio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignavi: at virtus nihil inexpertum omittit. Itaque ultimum omnium mors est, ad quam non pigre ire, satis est. Proinde si Bactra, quod tutissimum receptaculum est, petimus; praefectum regionis ejus, Bessum, regem temporis gratia statuamus. Compositis rebus justo regi tibi fiduciarium restituet imperium.

Oratio Callisthenis adversus Cleonem,  
qui honores divinos Alexandro haberi jubebat.  
*Curt. VIII. 5.*

Si rex sermoni tuo adfuisset; nullius profecto vox responsuri tibi desideraretur; ipse enim peteret, ne in peregrinos ritus degenerare se cogeres, neu rebus felicissime gestis invidiam tali adulatione contraheres. Sed quoniam abest, ego tibi pro illo respondeo: *nullum esse eundem et diuturnum et praecocem fructum; coelestisque honores non dare te regi, sed auferre.* Intervallo enim opus est, ut credatur deus, semperque hanc gratiam magnis viris posteri reddunt. Ego autem seram immortalitatem precor regi, ut vita diuturna sit et aeterna majestas. Hominem consequitur aliquando, numquam comitatur divinitas. Herculem modo et Patrem Liberum consecratae immortalitatis exempla referebas. Credisne illos unius convivii decreto deos factos? Prius ab oculis mortalium amolita natura est, quam in coelum fama pervheret. Scilicet ego et tu, Cleo, deos facimus! A nobis divinitatis suae auctoritatem accepturus est rex! Potentiam tuam experire libet. Fac aliquem regem, si deum potes facere; facilius est imperium dare, quam coelum. Dii propitii sine invidia, quae Cleo dixit, audierint, eodemque cursu, quo fluxere res, ire patiantur; nostris moribus velint nos esse contentos. Non pudet patriae, nec desidero, ad quem modum rex mihi colendus sit, a victis discere; quos equidem victores esse confiteor, si ab illis leges, queis vivamus, accipimus.

Oratio Alexandri  
milites ad penetrandum in interiora Indiae  
cohortantis.

*Curt. IX. 2.*

Non ignoro, milites, multa, quae terrere vos possent, ab incolis Indiae per hos dies de industria esse jactata: sed non est improvisa vobis mentientium vanitas. Sic Ciliciae fauces, sic Mesopotamiae campos, Tigrim et Euphratem, quorum alterum vado transivimus, alterum ponte, terribilem fecerant Persae. Numquam ad liquidum fama perducitur; omnia, illa traden-

te, majora sunt vero. Nostra quoque gloria, quum sit ex solido, plus tamen habet nominis, quam operis. Modo quis belluas offerentes moenium speciem; quis Hydaspem amnem; quis cetera, auditu majora quam vero, sustinere posse credebat? Olim, hercule, fugissemus ex Asia, si nos fabulae debellare potuissent. Creditisne elephantorum greges majores esse, quam usquam armentorum sunt? quum et rarum sit animal, nec facile capiatur, multoque difficilium mitigetur. Atque eadem vanitas copias peditum equitumque numeravit. Nam flumen, quo latius fusum est, hoc placidius stagnat; quippe angustis ripis coercita, et in angustiore alveum elisa torrentes aquas invehunt: contra spatium alvei segnior cursus est. Praeterea in ripa omne periculum est, ubi adplicantes navigia hostis exspectat. Ita quantumcumque flumen intervenit, idem futurum discrimen est evadentium in terram.

Sed omnia ista vera esse fingamus. Utrumne vos magnitudo belluarum, an multitudo hostium terret? Quod pertinet ad elephantos, praesens habemus exemplum, in suos vehementius quam in nos incurrerunt: tam vasta corpora securibus falcibusque mutilata sunt. Quid autem interest, totidem sint, quot Porus habuit, an tria millia? quum uno aut altero vulneratis, ceteros in fugam declinare videamus. Inde paucos quoque incommodum regunt; congregata vero tot millia ipsa se elidunt, ubi nec stare nec fugere potuerint inhabiles vastorum corporum moles. Equidem sic animalia ista contemsi, ut, quum haberem, ipse non opposuerim; satis gnarus, plus suis quam hostibus periculi inferre. At enim equitum peditumque multitudo vos commovet! Cum paucis enim pugnare soliti estis, et nunc primum inconditam sustinebitis turbam. Testis adversus multitudinem invicti Macedonum roboris Granicus, amnis, et Cilicia inundata cruore Persarum, et Arbela, cujus campi devictorum a nobis ossibus strati sunt. Sero hostium legiones numerare coepistis, postquam solitudinem in Asia vincendo fecistis. Quum per Hellespontum navigaremus, de paucitate nostra cogitandum fuit; nunc nos Scythae sequuntur, Bactriana auxilia praesto sunt, Dahae Sogdianique inter nos militant. Nec tamen illi turbae confido. Vestras manus intueor; vestram virtutem, rerum, quas gesturus sum, vadem praec-

demque habeo. Quamdiu vobiscum in acie stabo, nec meos nec hostium exercitus numeravero: vos modo animos mihi plenos alacritatis ac fiduciae adhibete. Non in limine operum laborumque nostrorum, sed in exitu stamus. Pervenimus ad solis ortum et oceanum; nisi obstat ignavia, inde victores, perdomito sine terrarum, revertemur in patriam. Nolite, quod pigri agricolae faciunt, maturos fructus per inertiam e manibus amittere. Majora sunt periculis praemia, dives eadem et imbellis est regio. Itaque non tam ad gloriam vos duco, quam ad praedam. Digni estis, qui opes, quas illud mare litoribus invehit, referatis in patriam; digni, qui nihil inexpertum, nihil metu omissum relinquatis.

Per vos gloriamque vestram, qua humanum fastigium exceditis, perque et mea in vos, et in me vestra merita, quibus i victi contendimus, oro quaesoque, ne humanarum rerum terminos adeuntem alumnum commilitonemque vestrum, ne dicam regem, deseratis. Cetera vobis imperavi, hoc unum debiturus sum. Et is vos rogo, qui nihil umquam vobis praecepi, quin primus me periculis obtulerim; qui saepe aciem clypeo meo texi: ne infregeritis in manibus meis palmam, qua Herculem Liberumque patrem, si invidia abfuerit, aequabo. Date hoc precibus meis, et tandem obstinatum silentium rumpite. Ubi est ille clamor, alacritatis vestrae index? Ubi ille meorum Macedonum vultus? non agnosco vos, milites; nec agnosci videor a vobis. Surdas jam dudum aures pulso, aversos animos et infractos excitare conor. *Quinque illi, in terram demissis capitibus, tacere perseverarent:* Nescio quid, *inquit,* imprudens in vos deliqui, quod me ne intueri quidem vultis! In solitudine mihi videor esse. Nemo respondet; nemo saltem negat. Quos adloquor? quid autem postulo? Vestram gloriam et magnitudinem vindicamus. Ubi sunt illi, quorum certamen paulo ante vidi contententium, qui potissimum vulnerati regis corpus exciperent? Desertus sum, hostibus dedi us. Sed solus quoque ire perseverabo. Objicite me fluminibus et belluis et illis gentibus, quarum nomina horretis. Inveniam, qui desertum a vobis sequantur. Scythae Bactrianique erunt mecum, hostes paulo ante, nunc milites nostri. Mori praestat, quam precario imperatorem esse. Ite reduces domos;

ite deserto rege ovantes. Ego hic a vobis desperatae victoriae aut honestae morti locum inveniam.

Oratio Catilinae, qua suos milites adhortatur.

*Sall. in bello Catil. c. 58.*

Compertum ego habeo, milites, verba virtutem non addere; neque ex ignavo strenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri. Quanta cujusque animo audacia natura aut moribus inest, tanta in bello patere solet. Quem neque gloria, neque pericula excitant, nequidquam hortere; timor animi auribus officit. Sed ego vos, quo pauca monerem, advocavi: simul uti causam concilii aperirem. Scitis equidem, milites, socordia atque ignavia Lentuli quantum ipsi cladem nobisque attulerit; quoque modo, dum ex urbe praesidia opperior, in Galliam proficisci nequiverim. Nunc vero quo in loco res nostrae sint, juxta mecum omnes intelligitis. Exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter a Gallia obstant: diutius in his locis esse, si maxime animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet. Quocumque ire placet, ferro iter aperiendum est. Quapropter vos moneo, uti forti atque parato animo sitis; et quum praelium inibitis, memineritis, vos divitias, decus, gloriam, praeterea libertatem atque patriam in dexteris portare. Si vincimus, omnia tuta erunt, commeatus abunde, municipia atque coloniae patebunt: sin metu cesserimus, eadem illa advorsa fiunt. Neque locus, neque amicus quisquam teget, quem arma non texerint. Praeterea, milites, non eadem nobis et illis necessitudo impendet. Non pro patria, pro libertate, pro vita certamus: illis supervacaneum est, pro potentia paucorum pugnare. Quo audacius adgredimini, memores pristinae virtutis. Licuit vobis cum summa turpitudine in exsilio aetatem agere: potuistis nonnulli Romae, amissis bonis, alienas opes expectare. Quia illa foeda atque intoleranda viris videbantur, haec sequi decrevistis. Si haec relinquere voltis, audacia opus est. Nemo nisi victor, pace bellum mutavit. Nam in fuga salutem sperare, quum arma, quis corpus tegitur, ab hostibus averteris, ea vero dementia est. Semper in proelio his est maximum periculum, qui maxime timent; audacia pro

muro habetur. Quum vos considero, milites, et quum facta vestra aestumo, magna me spes victoriae tenet. Animus, aetas, virtus vestra hortatur; praeterea necessitudo, quae etiam timidos fortis facit. Nam multitudo hostium ne circumvenire queat, prohibent angustiae loci. Quod si virtuti vestrae fortuna invidet, cavete, ne inulti animam amittatis; neu capti, potius sicuti pecora trucidemini, quam virorum more pugnantes, cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis.

Oratio Adherbalis ad populum Romanum.

*Sall. in bello Jugurth. c. 14.*

† Patres Conscripti! Micipsa, pater meus, moriens praecepit: *uti regnum Numidiae tantummodo procuratione existumarem meum; ceterum jus et imperium penes vos esse simul enterer domi militiaeque quam maximo usui esse populo romano; vos mihi cognatorum, vos in locum ad finium ducerem: si ea fecissem, in vestra amicitia exercitum, divitias, munimenta regni me habere.* Quae quum agitarem, Jugurtha homo omnium, quos terra sustinet, sceleratissimus, contempto imperio vestro, Masinissae me nepotem, etiam ab stirpe socium atque amicum populo romano, regno fortunisque omnibus expulit. Atque ego, P. C. quoniam eo miseriarum venturus eram, vellem potius ob mea, quam ob majorum beneficia posse auxilium petere; ac maxime deberi mihi a populo romano, quibus non egerem; secundum, ea si desideranda erant, uti debitis uterer. Sed quoniam parum tuta per se ipsa probitas, neque mihi in manu fuit, Jugurtha qualis foret: ad vos confugi, P. C. quibus, (quod miserrimum) cogor prius oneri, quam usui esse. Ceteri reges, aut bello victi, in amicitiam a vobis recepti sunt, aut in suis dubiis rebus societatem vestram adpetiverunt. Familia nostra cum populo romano bello Carthaginiensi amicitiam instituit, quo tempore magis fides ejus quam fortuna petenda erat.

Quorum progeniem vos, P. C. nolite pati frustra a vobis auxilium petere. Si ad impetrandum nihil causae haberem praeter miserandam fortunam; quod paulo ante rex, genere, fama atque copiis potens, nunc deformatus aerumnis, inops, alienas opes exspecto; tamen erat majestatis populi romani, prohibere injuri-

am; neque cujusquam regnum per scelus cresceret. Verum ego his finibus ejectus sum, quos majoribus meis populus romanus dedit: unde pater et avus una vobiscum expulere Syphacem et Carthaginienses. Vestra beneficia erepta sunt, P. C. vos in mea injuria despecti estis. Eheu me miserum! huccine, Micipsa pater, beneficia evasere, uti, quem tu parem cum liberis regnique participem fecisti, is potissimum stirpis tuae exstinctor sit? Numquamne ergo familia nostra quieta erit? Semperne in sanguine, ferro, fuga versabimur? Dum Carthaginienses incolumes fuere, jure omnia saeva patiebamur. Hostes ab latere, vos amici procul; spes omnis in armis erat.

Postquam illa pestis ejecta, laeti pacem agitabamus; quippe quis nullus hostis, nisi forte quem jussissetis. Ecce autem ex improvise Jugurtha intoleranda audacia, scelere atque superbia sese efferens, fratrem meo atque eodem propinquo suo interfecto, primum regnum ejus sceleris sui praedam fecit: post, ubi me iisdem dolis nequit capere, nihil minus, quam vim aut bellum exspectantem, in imperio vestro, sicuti videtis, extorrem patria, domo, inopem et coopertum miseris effecit, ut ubivis tutius, quam in meo regno essem. Ego sic existumabam, P. C. uti praedicantem audiveram patrem meum: *qui vestram amicitiam colerent, eos multum laborem suscipere: ceterum ex omnibus maxime tutos esse.* Quod in familia nostra fuit, praestitit, ut in omnibus bellis adesset vobis: nos uti per otium tuti simus, in manu vestra est, P. C. Pater nos duos fratres reliquit: tertium Jugurtham, beneficiis suis ratus nobis conjunctum fore. Alter eorum necatus, alterius ipse ego manus impias vix effugi. Quid agam? quo potissimum infelix accedam? Generis praesidia omnia exstincta sunt; pater, uti necesse erat, naturae concessit; fratri, quem minime decuit, propinquus per scelus, vitam eripuit: ad fines, amicos, propinquos ceteros, alium alia clades oppressit; capti ab Jugurtha, pars in crucem acti; pars bestiis objecti; pauci, quibus relicta anima, clausi in tenebris, cum moerore et luctu morte graviolem vitam exigunt. Si omnia, quae aut amisi, aut ex necessariis advorsa facta sunt, incolumnia manerent: tamen, si quid ex improvise accidisset, vos implorarem P. C. quibus pro magnitudine imperii jus et injurias omnis curae esse decet.

Nunc vero exsul patria, domo, solus atque omnium rerum honestarum egens, quo accedam? aut quos adpellem? nationesne? an reges? qui omnes familiae nostrae ob vestram amicitiam infesti sunt. An quodquam adire licet, ubi non majorum meorum hostilia monumenta plurima sint? Aut quisquam nostri misereri potest, qui aliquando vobis hostis fuit? Postremo Masinissa nos ita instituit. P. C. *ne quem coleremus, nisi populum romanum; ne societates. ne foedera nova acciperemus: abunde magna praesidia nobis in vestra amicitia fore: si huic imperio fortuna mutaretur, una nobis occidendum esse:* Virtute ac diis volentibus, magni estis et opulenti, omnia secunda et obedientia sunt: quo facilius sociorum injurias curare licet. Tantum illud vereor, ne quos privata amicitia Jugurthae, parum cognita, transversos agat: quos ego audio maxuma ope niti, ambire, fatigare vos singulos, ne quid de absente, incognita causa statuatis: fingere me verba, fugam simulare, cui licuerit in regno manere.

Quod utinam illum, cujus impio facinore in has miserias projectus sum, eadem haec simulantem videam: et aliquando aut apud vos aut apud deos immortales rerum humanarum cura oriatur! nae ille, qui nunc sceeteribus suis ferox atque praeclarus est, omnibus malis excruciatas, impietatis in parentem nostrum, fratris mei necis, mearumque miseriarum gravis poenas reddet. Jam jam, frater, animo meo carissime, quamquam tibi immaturo, et unde minime decuit, vita erepta est: tamen laetandum magis, quam dolendum puto casum tuum. Non enim regnum, sed fugam, exsilium, egestatem, et omnis has, quae me premunt, aerumnas cum anima simul amisisti. At ego infelix in tanta mala praecipitatus ex patrio regno, rerum humanarum spectaculum praebeo: incertus, quid agam: tuasne injurias persequar, ipse auxiliarius egens; an regno consulam, cujus vita: necisque potestas ex opibus alienis pendet? Utinam emori fortunis meis honestus exitus esset, neu vivere contemptus viderer; si, defessus malis, injuriae concessissem. Nunc neque vivere lubet, necque mori licet sine dedecore. P. C. per vos, per liberos atque parentes, per majestatem populi Romani, subvenite misero mihi: ite obviam injuriae: nolite pati, regnum Numidiae,

quod vestrum est, per scelus et sanguinem familiae nostrae tabescere.

Oratio C. Memmii Tribunipletis ad Quirites.

*Sall. in bello Jugurth. c. 31.*

Multa me dehortantur a vobis, Quirites, ni studium reipublicae omnia superet; opes factionis, vestra patientia; jus nullum; ac maxime, quod innocentiae plus periculi, quam honoris est. Nam illa quidem piget dicere, his annis quindecim, quam ludibrio fueritis superbiae paucorum, quam foede, quamque inulti perierint vestri defensores; ut vobis animus ab ignavia, atque socordia corruptus sit; qui ne nunc quidem, obnoxii inimicis, exurgitis; atque etiam nunc timetis eos, quibus decet terrorem esse. Sed quamquam haec talia sunt: tamen obviam ire factionis potentiae animus subigit. Certe ego libertatem, quae mihi a parente meo tradita est, experiar: verum id frustra an ob rem faciam, in vestra manu situm est, Quirites.

Neque ego vos hortor, quod saepe majores vestri fecere, uti contra injurias armati eatis. Nihil vi, nihil secessionis opus est, necesse est suomet ipsi more praecipites eant. Occiso Tib. Graccho, quem regnum parare aiebant, in plebem romanam quaestiones habitae sunt. Post C. Gracchi et M. Fulvii caedem item vestri ordinis multi mortales in carcere necati sunt: utriusque cladis non lex verum libido eorum finem fecit. Sed sane fuerit regni paratio plebi sua restituere. Quidquid sine sanguine civium ulcisci nequitur, jure factum sit. Superioribus annis taciti indignabimini, aerarium expilari; reges et populos liberos paucis nobilibus vectigal pendere; penes eosdem et summam gloriam et maximas divitias esse: tamen haec talia facinora impune suscepisse parum habuere. Itaque postremo leges, majestas vestra, divina et humana omnia hostibus tradita sunt. Neque eos, qui fecere, pudet aut poenitet: sed incedunt per ora vestra magnifice; sacerdotia et consulatus, pars triumphos suos ostentantes: perinde quasi ea honori, non prae dae habeant. Servi, aere parati, injusta imperia dominorum non perferunt; vos, Quirites, imperio nati, aequo animo servitutem toleratis? Atqui sunt hi, qui rempublicam occupavere? Homines sceleratissimi, cru-

entis manibus, immani avaritia, nocentissimi, iidemque superbissimi; quis fides, decus, pietas, postremo honesta atque inhonesta omnia quaestui sunt. Pars eorum occidisse tribunos plebis, alii quaestiones injustas, plerique caedem in vos fecisse, pro munimento habent. Ita, quam quisque pessime fecit, tam maxime tutus est: metum a scelere suo ad ignaviam vestram translulere: quos omnis eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere in unum coëgit. Sed haec inter bonos amicitia, inter malos factio est.

Quod si tam vos libertatis curam haberetis, quam illi ad dominationem accensi sunt: profecto neque respublica, sicuti nunc, vastaretur, et beneficia vestra penes optimos, non audacissimos forent. Majores vestri, parandi juris et majestatis constituendae gratia, bis per secessionem armati Aventinum occupare: vos pro libertate, quam ab illis accepistis, non summa ope nitemini? atque eo vehementius, quod majus dedecus est, parta amittere, quam omnino non paravisse? Dicet aliquis: *Quid igitur censes?* Vindicandum in eos; qui hosti prodidere rempublicam, non manu neque vi; quod magis fecisse quam illis accidisse indignum; verum quaestionibus et indicio ipsius Jugurthae. Qui si dediticius est, profecto jussis vestris obediens erit: si ea contemnit, scilicet existimabit; qualis illa pax aut deditio sit; ex qua ad Jugurtham, scelerum impunitas, ad paucos potentis maxumae divitiae, in rempublicam damna atque dedecora pervenerint. Nisi forte nondum etiam vos dominatignis eorum satietas tenet; et illa quam haec tempora magis placent, quam regna, provinciae, leges, jura, judicia, bella atque paces, postremo divina et humana omnia penes paucos erant: vos autem, hoc est, populus romanus, invicti ab hostibus, imperatores omnium gentium, satis habebatis, animam retinere. Nam servitutem quidem quis vestrum recusare audebat? Atque ego tametsi viro flagiosissimum existimo impune injuriam accepisse; tamen vos hominibus sceleratissimis ignoscere, quoniam civēs sunt, aequo animo paterer, nisi misericordia in perniciem casura esset.

Nam et illis quantum importunitatis habent, parum est, impune male fecisse; nisi deinde faciundi licentia eripitur, et vobis aeterna sollicitudo remanebit, quum intelligetis, aut serviendum esse; aut per

manus libertatem retinendam. Nam fidei quidem, aut concordiae, quae spes est? Dominari illi volunt, vos liberi esse: facere illi injurias, vos prohibere: postremo sociis vestris veluti hostibus, hostibus pro sociis utuntur. Potestne in tam diversis mentibus pax aut amicitia esse? Quare moneo hortorque vos, ne tantum scelus impunitum omittatis. Non peculatus aerarii factus est, neque per vim sociis erepta pecunia; quae, quamquam gravia sunt, tamen consuetudine jam pro nihilo habentur. Hosti acerrumo prodita senati auctoritas, proditum imperium vestrum, domi militiaeque respublica venalis fuit. Quae nisi quaesita erunt, nisi vindicatum in noxiis; quid erit reliquum, nisi ut illis, qui ea fecere, obediētes vivamus? Neque ego vos, Quirites, hortor, ut malitis civis vestros peperam quam recte fecisse; sed ne, ignoscendo malis, bonos perditum eatis. Ad hoc, in republica multo praestat, beneficii quam maleficii immemorem esse. Bonus tantummodo segnior fit, ubi negligas: at malus improbius. Ad hoc, si injuriae non sint, haud saepe auxilii egeas.

Oratio Marii Consulis  
ad Quirites.

*Sallust. ibid. c. 85.*

Scio ego, Quirites, plerosque non iisdem artibus imperium a vobis petere; et postquam adepti sunt, gerere: primo industrios, supplices, modicos esse, dehinc per ignaviam et superbiam aetatem agere. Sed mihi contra ea videtur. Nam quo universa respublica pluris est, quam consulatus aut praectura: eo majore cura illam administrari, quam haec peti debere. Neque me fallit, quantum cum maximo beneficio vestro negotii sustineam. Bellum parare, simul et aerario parcere; cogere ad militiam, quos nolis offendere; domi forisque omnia curare; et ea agere inter invidos, occurrentis, factiosos; opinione, Quirites, asperius est. Ad hoc, alii si deliquere, vetus nobilitas, majorum fortia facta, cognatorum et adfinium opes, multae clientelae, omnia haec praesidio adsunt: mihi spes omnes in memet sitae, quas necesse est et virtute et innocentia tutari: nam alia infirma sunt. Et illud intelligo, Quirites, omnium ora in me conversa esse;

*Select. Exemp. Vol. II.*

G

aequos bonosque favere (quippe benefacta mea reipub. procedunt): nobilitatem locum invadendi quaerere. Quo mihi acrius adnitendum est, uti neque vos capi-mini, et illi frustra sint. Ita ad hoc aetatis a pueritia fui, ut omnis labores, pericula consueta habeam.

Quae ante vestra beneficia gratuito faciebam, ea uti accepta mercede, deseram, non est consilium, Quirites. Illis difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem sese probos simulavere; mihi, qui omnem aetatem in optimis artibus egi, bene facere jam ex consuetudine in naturam vertit. Bellum me gerere cum Jugurtha jussistis, quam rem nobilitas aegerume tulit. Quaeso, reputate cum animis vestris, num id mutare melius sit, si quem ex illo globo nobilitatis ad hoc aut aliud tale negotium mittatis, hominem veteris prosapiae ac multarum imaginum, et nullius stipendii scilicet ut in tanta re, ignarus omnium, trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem officii. Ita plerumque evenit, uti, quem vos imperare jussistis, is imperatorem alium quaerat. At ego scio, Quirites, qui, postquam consules facti sunt, acta majorum, et Graecorum militaria praecepta legere coeperint. Homines praeposteri! Nam gerere quam fieri tempore posterius, re atque usu prius est. Comparete nunc, Quirites, cum illorum superbia me hominem novum. Quae illi audire et legere solent, eorum partem vidi, alia egomet gessi: quae illi literis, ego militando didici.

Nunc vos existumate, facta an dicta pluris sint. Contemnunt novitatem meam, ego illorum ignaviam: mihi fortuna, illis probra objectantur. Quamquam ego naturam unam et communem omnium existumo, sed fortissimum quemque generosissimum. Ac si jam ex patribus Albini aut Bestiae quaeri posset, mene, an illos, ex se gigni maluerint: quid responsuros creditis, nisi, sese liberos quam optimos voluisse? Quod si jure despiciunt me, faciunt idem majoribus suis; quibus, uti mihi, ex virtute nobilitas coepit. Invident honori meo: ergo invideant et labori, innocentiae, periculis etiam meis; quoniam per haec illum cepi, verum homines corrupti superbia ita aetatem agunt, quasi honores vestros contemnunt: ita hos petunt, quasi honeste vixerint. Nae illi falsi sunt, qui diversis

sumas res pariter expectant, ignaviae voluptatem ac praemia virtutis. Atque etiam quum apud vos aut in senatu verba faciunt, pleraque oratione majores suos extollunt; eorum fortia facta memorando, clariores sese putant: quod contra est. Nam, quantum vita illorum praeclarius, tantum horum socordia flagitiosior. Et profecto ita se res habet; majorum gloria posteris lumen est, neque bona neque mala in occulto patitur. Hujusce rei ego inopiam patior, Quirites, verum id, quod multo praeclarius est, meamet facta mihi dicere licet. Nunc videte, quam iniqui sint. Quod ex aliena virtute sibi adrogant, id mihi ex mea non concedunt; scilicet; quia imagines non habeo, et quia mihi nova nobilitas est; quam certe peperisse melius est, quam acceptam corrupisse. Equidem ego non ignoro, si jam respondere velint, abunde illis facundam et compositam orationem fore.

Sed in maximo vestro beneficio, quum omnibus locis me vosque maledictis lacerent: non placuit reticere; ne quis modestiam in conscientiam duceret. Nam me quidem, ex animi sententia, nulla oratio laedere potest: quippe vera necesse est bene praedicet; falsam vita moresque mei superant. Sed quoniam vestra consilia adcusantur, qui mihi summum honorem, et maximum negotium imposuistis: etiam atque etiam reputate, num id poenitendum sit. Non possum fidei causa imagines, neque triumphos, aut consulatus majorum meorum ostentare: at, si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, alia dona militaria, praeterea cicatrices advorso corpore. Hae sunt meae imagines, haec nobilitas, non hereditate relicta, ut illa illis; sed quae ego plurimis laboribus et periculis quaesivi. Non sunt composita verba mea; parum id facio. Ipsa se virtus satis ostendit: illis artificio opus est, ut turpia facta oratione tegant. Neque literas graecas didici: parum placebat eas discere; quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. At illa multo optima reipublicae doctus sum: hostes ferire, praesidia agitare, nihil metuere nisi turpem famam, hiemem et aestatem juxta pati, humi requiescere, eodem tempore inopiam et laborem tolerare. His ego praecipis milites hortabor: neque illos arcte colam, me opulenter, neque gloriam meam laborem illorum faciam. Hoc est utile, hoc civile imperium. Neque quum

tute per mollitiem agas, exercitum supplicio cogere, id est dominum non imperatorem esse. Haec atque alia majores vestri faciundo seque remque publicam celebravere. Quis nobilitas freta, ipsa dissimilis moribus, nos illorum aemulos contemnit; et omnes honores, non ex merito, sed quasi debitos, a vobis repetit. Ceterum homines superbissimi procul errant. Majores eorum omnia, quae licebat, illis reliquere; divitias, imagines, memoriam sui praeclaram: virtutem non reliquere, neque poterant. Ea sola neque datur dono, neque accipitur. Sordidum me, et incultis moribus ajunt; quia parum scite convivium exorno, neque histrionem ullum, neque pluris pretii coquam quam villicum habeo. Quae mihi lubet confiteri. Nam ex parente meo et ex sanctis viris ita accepi, munditias mulieribus, viris laborem convenire; omnibusque bonis oportere plus gloriae quam divitiarum, arma non supellectilem decori esse.

Quin ergo, quod juvat, quod carum aestumant, id semper faciant: ament, potent: ubi adolescentiam habuere, ibi senectutem agant, in conviviis, dediti ventri et turpissimae parti corporis: sudorem, pulverem, et alia talia relinquunt nobis, quibus illa epulis jucundiora sunt. Verum non ita est; nam ubi se omnibus flagitiis dedecoravere turpissimi viri, honorem praemia ereptum eunt. Ita injustissime luxuria et ignavia, pessumae artes, illis, qui coluere eas, nihil efficiunt; reipub. innoxiae cladi sunt.

Nunc quoniam illis, quantum mores mei, non illorum flagitia, poscebant, respondi; pauca de repub. loquar. Primum omnium, de Numidia bonum habetote animum, Quirites. Nam quae ad hoc tempus Jugurtham tutata sunt, omnia removistis: avaritiam, imperitiam, superbiam. Deinde exercitus ibi est locorum sciens; sed me hercule, magis strenuus, quam felix. Nam magna pars avaritia aut temeritate ducum attrita est. Quam ob rem vos, quibus militaris aetas, adnitimini mecum, et capessite rempublicam: neque quemquam ex calamitate aliorum, aut imperatorum superbia metus ceperit. Egomet in agmine, in proelio consultor idem et socius periculi vobiscum adero; meque vosque in omnibus rebus juxta geram. Et profecto, diis juvantibus, omnia matura sunt, victoria, praeda, laus: quae si dubia, aut procul essent, tamen omnis

bonos reipublicae subvenire decebat. Etenim nemo ignavia immortalis factus: neque quisquam parens liberis, ut aeterni forent, optavit; magis, uti boni honestique vitam exigerent. Plura dicerem, Quirites, si timidis virtutem verba adderent: nam strenuis abunde dictum puto.

Oratio P. Val. Publicolae  
ad populum.

*Liv. II. 7.*

**N**umquamve ergo ulla adeo a vobis spectata virtus erit, ut suspicione violari nequeat? Ego me, illum acerrimum regum hostem, ipsum cupiditatis regni crimen subiturum timerem? Ego, si in ipsa arce capitolioque habitarem, metui me crederem posse a civibus meis? Tam levi momento mea apud vos fama pendet? Adeone est fundata leviter fides, ut, ubi sim, quam quis sim, magis referat? Non obstabunt P. Valerii aedes libertati vestrae, Quirites: tuta erit vobis Velia. Deferam non in planum modo aedes, sed colli etiam subiciam; ut vos supra suspectum me civem habitetis. In Velia aedificent, quibus melius quam P. Valerio creditur libertas.

Oratio Legatorum Valerii et Horatii  
ad plebem in sacro monte.

*Liv. III. 53.*

**Q**uae consilii fuerunt, adeo aequa postulastis, ut ultro vobis deferenda fuerint: libertati enim ea praesidia petitis, non licentiae ad impugnandos alios. Irae vestrae magis ignoscendum, quam indulgendum est: quippe qui crudelitatis odio in crudelitatem ruitis, et prius paene, quam ipsi liberi sitis, dominari jam in adversarios vultis. Numquamne quiescet civitas nostra a supplicii, aut patrum in plebem romanam, aut plebis in patres? Scuto vobis magis quam gladio opus est, Satis superque humilis est, qui jure aequo in civitate vivit, nec inferendo injuriam, nec patiendo. Etiam, si quando metuendos vos praebituri estis, quum recuperatis magistratibus legibusque vestris, judicia penes vos

erunt de capite nostro fortunisque: tunc, ut quaeque causa erit, statuētis, nunc libertatem repeti satis est.

Oratio M. Furii Camilli  
ad milites hostium numero perterritos.

*Liv. VI. 7.*

Quae tristitia, milites, haec, quae insolita cunctatio est? Hostem, an me, an vos ignoratis? Hostis est quid aliud, quum perpetua materia virtutis gloriaeque vestrae? Vos contra, me duce, (ut Faleros Vejosque captos, et in capta patria Gallorum legiones caesas taceam) modo trigeminae victoriae triplicem triumphum ex his ipsis Volscis, et Aequis, et ex Etruria egistis. An me, quod non dictator vobis, sed tribunus signum dedi, non agnoscitis ducem? Neque ego maxima imperia in Vos desidero: et vos in me nihil praeter me ipsum intueri decet, neque enim dictatura mihi umquam animos fecit, ut ne exsilium quidem ademit. Hicdem igitur omnes sumus; et quum eadem omnia in hoc bellum adferamus, quae in priora attulimus: eventum eundem belli expectemus. Simul concurreritis, quod quisque didicit ac consuevit, faciet. Vos vincetis, illi fugient.

Oratio Spurii Postumii,  
qui consul sub jugum missus erat  
in senatu de pace ad Claudium facta.

*Liv. IX. 8.*

Haud sum ignarus, consules, ignominiae non honoris causa me primum excitatum jussumque dicere; non tamquam senatorem, sed tamquam reum, qua infelicis belli, qua ignominiosae pacis. Ego tamen, quando neque de noxa nostra, neque de poena retulistis, ommissa defensione, quae non difficilima esset apud haud ignaros fortunarum humanarum necessitatumque, sententiam de eo, de quo retulistis, paucis peragam: quae sententia testis erit, mihine, an legionibus vestris pepercerim, quum me seu turpi seu necessaria sponsione obstrinxi. Qua tamen, quando injussu populi facta est, non tenetur populus romanus; nec quidquam ex ea, praeterquam corpora nostra debentur Sam-

nitibus. Dedamur per feciales nudi vinctique: exsolvamus religione populum, si qua obligavimus; ne quid divini humanive obstet, quo minus justum piumque de integro ineatur bellum. Interea consules exercitum scribere, armare, educere placet; nec prius ingredi hostium fines, quam omnia justa in deditionem nostram perfecta erunt. Vos, dii immortales, precor quaesoque, si vobis non fuit cordi, Sp. Postumium, T. Veturium consules cum Samnitibus prospere bellum gerere: at vos satis habeatis, vidisse nos sub jugum missos; vidisse sponsione infami obligatos; videre nudos vinctosque hostibus deditos, omnem iram hostium nostris capitibus excipientes. Novos consules legionesque romanas ita cum Samnite gerere bellum velitis, ut omnia ante nos consules bella gesta sunt.

Oratio Hannonis ad Carthaginienses,  
de rupto per Hannibalem foedere,  
*Liv. XXI. 10.*

**P**er deos, foederum arbitros ac testes, monuisse, prae-dixisse se, ne Hamilcaris progeniem ad exercitum mitterent; non manes, non stirpem ejus conquiescere viri; nec umquam, donec sanguinis nominisque Barcini quisquam supersit, quietura romana foedera. Juvenem, flagrantem cupidine regni, viamque unam ad id cernentem, si ex bellis bella serendo, succinctus armis legionibusque vivat, velut materiam igni prae-bentes, ad exercitus misistis. Aluistis ergo hoc incendium, quo nunc ardetis. Saguntum vestri circumsidet exercitus, unde arcentur foedere: mox Carthaginiem circumsidebunt romanae legiones, ducibus iisdem diis, per quos priore bello rupta foedera sunt uli. Utrum hostem, an vos, an fortunam utriusque populi ignoratis? Legatos ab sociis, et pro sociis venientes, bonus imperator vester in castra non admisit: jus gentium sustulit. Hi tamen, unde ne hostium quidem legati arcentur, pulsati ad vos veniunt, res ex foedere repetunt, *Publica fraus absit: auctorem culpae et reum criminis deposcunt.* Quo lenius agunt, segnius incipiunt: eo, quum coeperint, vereor, ne perseverantius saeviant. Aegates insulas Erycemque ante oculos proponite, quae terra marique per quatuor et viginti annos passisitis. Nec puer hic dux erat; sed pater ipse Hamilcar,

Mars alter, ut isti volunt. Sed Tarento, id est Italia; non abstinueramus ex foedere: sicut nunc Sagunto non abstinemus.

Vicerunt ergo dii hominesque, et id, de quo verbis ambigebatur, *uter populus foedus rupisset*, eventus belli velut aequus iudex, unde jus stabat, ei victoriam dedit. Carthagini nunc Hannibal vineas turresque admovet; Carthaginis moenia quatit ariete. Sagunti ruinae (falsus utinam vates sim!) nostris capitibus incident: susceptumque cum Saguntinis bellum, habendum cum Romanis est. *Dedemus ergo Hannibalem?* dicet aliquis. Scio, meam levem esse in eo auctoritatem propter paternas inimicitias. Sed et Hamilcarem eo periisse laetatus sum, quod, si ille viveret, bellum jam cum Romanis haberemus; et hunc juvenem, tamquam furiam facemque hujus belli, odi ac detestor. Nec dedendum solum id piaculum rupti foederis, sed, si nemo deposcat, devehendum in ultimas maris terrarumque oras, ablegandumque eo, unde nec ad nos nomen famaue ejus accedere, nec sollicitare quietae civitatis statum possit. Ego ita censeo: *legatos extemplo Romam mittendos, qui senatui satisficiant: alios, qui Hannibali nuntient, ut exercitum ab Sagunto abducat, ipsumque Hannibalem ex foedere Romanis dedant: tertiam legationem ad res Seguntinis reddendas decerno.*

Oratio Legatorum Syracusanorum  
in senatu, adversus M. Marcellum tunc consulem.

*Liv. XXVI. 30.*

**H**ieronimum ac postea Hippocratem et Epicydem tyrannos, quum ob alia, tum propter defectionem ab Romanis ad Annibalem, invisos fuisse sibi. Ob eam causam et Hieronimum a principibus juventutis prope publico consilio interfectum: et in Epicydide Hippocratisque caedem septuaginta nobilissimorum juvenum conjurationem factam; quos, Marcelli mora destitutos, quia ad praedictum tempus exercitum ad Syracusas non admovisset, indicio facto, omnes ab tyrannis interfectos. Eam quoque Hippocratis atque Epicydide tyrannidem Marcellum excitasse, Leontinis crudeliter direptis. Numquam deinde principes Syracusanorum desiisse ad Marcellum transire, pollicerique, se urbem, quum vellet, ei tradituros. Sed eum pri-

mo vi capere maluisse: dein, quum id neque terra neque mari, omnia expertus, potuisset, auctores traditarum Syracusarum fabrum aerarium Sosin, et Mericum Hispanum, quam principes Syracusanorum habere, toties id nequidquam ultro offerentes praeoptasse: quo scilicet justiore de causa vetustissimos socios populi romani trucidaret, ac diriperet. Si non Hieronymus ad Hannibalem defecisset, sed populus Syracusanus et senatus: si portas Marcello Syracusani publice, et non, oppressis Syracusanis, tyranni eorum Hippocrates et Epicydes clausissent, si Carthaginensium animis bellum cum populo romano gessissent; quid ultra, quam quod fecerit, nisi ut deleret Syracusas, facere hostiliter Marcellum potuisse? Certe praeter moenia et tecta exhausta urbis, et refracta ac spoliata deum delubra, diis ipsis ornamentisque eorum ablatis, nihil relictum Syracusis esse. Bona quoque multis adempta: ita ut ne nudo quidem solo, reliquiis direptae fortunae, alere sese ac suos possent. Orare se Patres Conscriptos, ut, si nequeant omnia, saltem, quae compareant cognoscique possint, restitui dominis jubeant.

Oratio M. Marcelli Consulis,  
objecta sibi a Syracusanis crimina diluentis.

*Liv. XXVI. 30. et 31.*

Quum legatos excedere Laevinus jussisset vetat Marcellus: Maneant imo, inquit, ut coram his respondeam, quoniam ea conditione pro vobis. Patres Conscripti, bella gerimus, ut victos armis adcusatores habeamus, Duae captae hoc anno urbes, Capua Fulvium reum, Marcellum Syracusae habeant. Non adeo majestatis populi romani imperiique hujus oblitus sum, Patres Conscripti, ut, si de meo crimine ambigeretur, consul dicturus causam adcusantibus Graecis fuerim; sed non, quid ego fecerim, in disquisitionem venit, quam quid isti pati debuerint. Qui si non fuerunt hostes, nihil interest, nunc, an vivo Hierone, Syracusas violaverim. Sin autem desciverunt, legatos nostros ferro atque armis petierunt, urbem ac moenia clauserunt, exercitumque Carthaginensium adversus nos tutati sunt; quis passos esse hostilia, quum fecerint, indignatur?

Tradentes urbem principes Syracusanorum, aversatus sum: Sosin, et Mericum Hispanum, quibus tantum crederem, potiores habui. Non estis extremi Syracusanorum, quippe qui aliis humilitatem objiciatis. Quis est vestrum, qui se mihi portas aperturum, qui armatos milites meos in urbem accepturum promiserit? Odistis, et execramini eos, qui fecerunt; et ne hic quidem contumeliis in eos dicendis parcitis: tantum abest, ut et ipsi tale quidquam facturi fueritis. Ipsa humilitas eorum, Patres Conscripti, quam isti objiciunt, maximo argumento est, me neminem, qui navitam operam reipublicae nostrae velit, aversatum esse. Et, antequam obsiderem Syracusas, nunc legatis mittendis, nunc ad colloquium eundo, tentavi pacem; et, posteaquam neque legatos violandi verecundia erat, nec mihi ipsi congresso ad portas cum principibus responsum dabatur, multis terra marique exhaustis laboribus, tandem vi atque armis Syracusas cepi. Quae captis acciderint, apud Hannibalem et Carthaginenses victosque justius, quam apud victoris populi senatum, quererentur. Ego, Patres Conscripti, Syracusas spoliatas si negaturus essem, nunquam spoliis earum urbem Romam exornarem. Quae autem singulis victor aut ademi aut dedi; quum belli jure, tum ex cujusque merito, satis scio me fecisse. Ea vos rata habeatis, Patres Conscripti, nae magis reipublicae interest, quam mea. Mea quippe fides exsoluta est: ad rempublicam pertinet, ne acta mea rescindendo, alios in posterum segiores duces faciatis. Et quoniam coram et Siculorum et mea verba audistis, Patres Conscripti, simul tempore excedemus, ut, me absente, liberius consuli senatus possit.

Oratio Vibii Virii

desperationis plena, habita in senatu Campano.

*Liv. XXVI. 13.*

*Vibius Virius, qui defectionis ab Romanis auctor fuerat, interrogatus sententiam, negat, Eos, qui de legatis, et de pace ac deditioe loquantur, meminisse, nec quid facturi fuerint, si Romanos in potestate habuissent: nec quid ipsis patiendum sit. Quid vos, inquit, eam deditioem fore censetis, qua quondam, ut adversus Samnites auxilium impetraremus, nos nostraque omnia*

Romanis dedidimus? Jam e memoria excessit, quo tempore, et in qua fortuna a populo romano defece-  
rimus? jam quemadmodum in defectione praesidium,  
quod poterat emitti, per cruciatum et ad contumeliam  
necarimus? quoties in obsidentes quam inimice eru-  
perimus, castra oppugnarimus? Hannibalem vocave-  
rimus ad opprimendos eos: hoc, quod recentissimum  
est, ad oppugnandam Romam hinc eum miserimus.  
Age contra, quae illi infeste in nos fecerint, repetite;  
ut ex eo, quid speretis, habeatis. Quum hostis ali-  
enigena in Italia esset, et Hannibal hostis, et cuncta  
bello arderent, omissis omnibus, omisso ipso Hanni-  
bale, ambo consules, et duo consulares exercitus ad  
Capuam oppugnandam miserunt. Alterum annum cir-  
cumvallatos, inclusosque nos fame macerant; et ipsi  
nobiscum ultima pericula ac gravissimos labores per-  
pessi, circa vallum ac fossas saepe trucidati, et prope  
ad extremum castris exuti. Sed omitto haec, vetus  
atque usitata res est, in oppugnanda hostium urbe la-  
bores ac pericula pati. Illud irae atque odii execra-  
bilis indicium est. Hannibal ingentibus copiis peditum  
equitumque castra oppugnavit, et ex parte cepit: tan-  
to periculo nihil moti sunt ab obsidione. Profectus  
trans Vulturnum, perussit Calenum agrum, nihil tan-  
ta sociorum clade advocati sunt. Ad ipsam urbem Ro-  
mam infesta signa ferri jussit. Eam quoque tempesta-  
tem imminentem spreverunt. Transgressus Anienem,  
tria millia passuum ab urbe castra posuit; postremo  
ad moenia ipsa et ad portas accessit. Romam se adem-  
turum eis, nisi omitterent Capuam, ostendit. Non  
omiserunt. Feras bestias caeco impetu ac rabie con-  
citatatas, si ad cubilia et catulos earum ire pergas;  
ad opem suis ferendam avertas. Romanos, Roma cir-  
cumsessa, conjuges, liberi, quorum ploratus hinc quo-  
que prope exaudiebantur, arae, foci, deum delubra,  
supulcra majorum temerata ac violata, a Capua non  
averterunt. Tanta aviditas supplicii expetendi, tanta  
sanguinis nostri hauriendi est sitis. Nec injuria forsitan.  
Nos quoque idem fecissemus, si data fortuna  
esset. Itaque, quando aliter diis immortalibus visum  
est, quum mortem ne recusare quidem debeam; cru-  
ciatus contumeliasque, quas sperat hostis, dum liber,  
dum mei potens sum, effugere morte praeterquam hon-  
nesta, etiam leni possum. Non videbo App. Claudium,

et Q. Fulvium, victoria insolenti subnixos neque vinc-  
tus per urbem romanam triumphi spectaculum tra-  
har, ut deinde in carcere, aut ad palum deligatus,  
lacerato virgis tergo, cervicem securi romanae subi-  
ciam: nec dirui incendique patriam videbo. Albam,  
unde ipsi oriundi erant, a fundamentis proruerunt, ne  
stirpis, ne memoria originum suarum exstaret: nedum  
eos Capuae parsuros credam, cui infestiores, quam  
Carthagini sunt. Itaque quibus vestrum ante fato ce-  
dere, quam haec tot tam acerba videant in animo est,  
iis apud me hodie epulae instructae parataeque sunt.  
Satiatis vino ciboque poculum idem quod mihi da-  
tum fuerint, circumferetur: ea potio corpus ab crucia-  
tu, animum ab contumeliis, oculos, aures a videndis  
audiendisque omnibus acerbis indignisque, quae man-  
nent victos, vindicabit. Parati erunt, qui magno rogo  
in propatulo aedium accenso corpora exanima injici-  
ant. Haec una via et honesta et libera ad mortem.  
Et ipsi virtutem mirabuntur hostes, et Hannibal for-  
tes socios sciet ab se desertos ac proditos esse.

Oratio P. Scipionis ad milites.

*Liv. XXVI. 43.*

Ad urbem unam oppugnandam si quis vos adductos  
credit, is magis operis vestri, quam emolumentum ratio-  
nem exactam, milites, habet. Oppagnabitis enim ve-  
re moenia unius urbis, sed in una urbe universam ce-  
peritis Hispaniam. Hic sunt obsides omnium nobilium  
regum populorumque: qui, simul in potestate vestra  
erunt, extemplo omnia, quae nunc sub Carthaginien-  
sibus sunt, in ditionem tradent. Hic pecunia omnis  
hostium, sine qua neque illi gerere bellum possunt,  
quippe qui mercenarios exercitus alunt; et quae nobis  
maximo usui ad conciliandos animos barbarorum erit.  
Hic tormenta, arma, armamenta, et omnis adparatus  
belli est, qui simul et vos instruet, et hostes nudabit.  
Potiemur praeterea quum pulcherrima opulentissima-  
que urbe, tum opportunissima portu egregio, unde  
terra marique, quae belli usus poscunt, suppediten-  
tur: quae quum magna ipsi habebimus, tum demse-  
rimus hostibus multo majora. Haec illis arx, horre-  
um, acerarium, armamentarium, hoc omnium rerum  
receptaculum est. Hinc rectus in Africam cursus est:

haec una inter Pyrenaeum ad Gades statio: hinc omni Hispaniae imminet Africa. Sed, quoniam vos instructos et ordinatos cognosco, ad Carthaginem novam oppugnandam totis viribus et bono animo transeamus.

## Oratio Marcelli,

exercitum ab Hannibale victum acriter increpantis.

*Liv. XXVII. 13.*

Diis immortalibus ut in tali re laudes gratesque, *inquit Marcellus*, ago, quid victor hostis cum tanto pavore incidentibus vobis in vallum portasque, non ipsa castra est adgressus. Deseruissetis profecto eodem terrore castra, quo omisistis pugnam. Qui pavor hic, qui terror, quae repente, qui, et cum quibus pugnaretis, oblivio animos cepit? Nempe iidem sunt hi hostes, quos vincendo et victos sequendo priorem aetatem absumsistis; quibus dies noctesque fugientibus per hos dies institistis: quos levibus proeliis fatigastis, quos hesterno die nec iter facere, nec castra ponere passi estis. Omitto ea, quibus gloriari potestis: cuius et ipsius pudere ac poenitere vos oportet, referam, nempe, aequis manibus hesterno die diremistis pugnam. Quid haec nox, quid haec dies attulit? vestrae his copiae imminutae sunt, an illorum auctae? Non equidem mihi cum exercitu meo loqui videor, nec cum romanis militibus. Corpora tantum atque arma eadem sunt. An si eosdem animos habuissetis, terga vestra vidisset hostis? signa alicui manipulo, aut cohorti abstulisset? Adhuc caesis romanis legionibus gloriabatur. Vos illi hodierno die primum fugati exercitus dedistis decus. *Clamor inde ortus, ut veniam ejus dei daret: ubi vellet, deinde experiretur militum suorum animos.* Ego vero experiar, *inquit*, milites: et vos crastino die in aciem educam, ut victores potius, quam victi veniam impetretis, quam petistis! *Postero die armati ornatique ad edictum aderant. Imperator eos collaudat: pronuntiatque: A quibus orta pridie fuga esset, cohortesque, quae signa amisissent, se in primam aciem inducturum. Edicere jam sese, omnibus pugnandum ac vincendum esse; et adnitendum singulis universisque, ne*

prius hesternae fugae quam hodiernae victoriae fama Romam perveniat.

Oratio Hannibalis ad P. Scipionem de pace.

*Liv. XXX. 30.*

† Si hoc ita fato datum erat, ut, qui primus bellum intuli populo romano, quique toties prope in manibus victoriam habui, is ultro ad pacem petendam venirem; laetor te mihi sorte potissimum datum, a quo peterem. Tibi quoque inter multa egregia non in ultimis laudum hoc fuerit, Hannibalem, cui tot de romanis ducibus victoriam dii dedissent, tibi cessisse; teque huic bello, vestris prius quam nostris cladibus insigni, finem imposuisse. Hoc quoque ludibrium, casus ediderit fortuna, ut quum patre tuo consule ceperim arma, cum eodem primum romano imperatore signa contulerim; ad filium ejus inermis ad pacem petendam veniam. Optimum quidem fuerat, eam patribus nostris mentem datam ab diis esse, ut et vos Italiae, et nos Africae imperio contenti essemus: neque enim ne vobis quidem Sicilia atque Sardinia satis digna pretia sunt pro tot classibus; tot exercitibus, tot tam egregiis amissis ducibus. Sed praeterita magis reprehendi possunt, quam corrigi. Ita aliena appetimus, ut de nostris dimicarem; nec in Italia solum vobis bellum, nobis in Africa esset: sed et vos in portis vestris prope ac moenibus signa armaque hostium vidistis; et nos ab Carthagine fremitum castrorum romanorum exaudimus. Quod igitur nos maxime abominaremur, vos ante omnia optaretis, in meliore vestra fortuna de pace agitur: agimus ii, quorum et maxime interest, pacem esse, et qui quodcumque egerimus, ratum civitates nostrae habiturae sint. Animo tantum nobis opus est non abhorrente a quietis consiliis.

Quod ad me attinet, jam aetas, senem in patriam reverentem, unde puer profectus sum, jam secundae, jam adversae res ita erudierunt, ut rationem sequi quam fortunam malim. Tuam et adolescentiam et perpetuam felicitatem, ferociora utraque; quam quietis opus est consiliis, metuo. Non temere incerta casum reperit, quem fortuna numquam decepit. Quod ego fui ad Trasimenum, ad Cannas, id tu ho-

die es. Vixdum militari aetate imperio accepto, omnia audacissime incipientem nusquam fefellit fortuna, Patris et patruī persequutus mortem, ab calamitate vestrae domus decus insigne virtutis pietatisque eximiae cepisti: amissas Hispanias recuperasti, quatuor inde punicis exercitibus pulsus: consul creatus, quum ceteris ad tutandam Italiam parum animi esset, transgressus in Africam, duobus hic exercitibus caesis, binis eadem hora captis simul incensisque castris, Syphace potentissimo rege capto, tot urbibus regni ejus, tot nostri imperii ereptis, me sextum decimum jam annum haerentem in possessione Italiae detraxisti.

Potest victoriam malle, quam pacem, animus. Novi vobis spiritus magis magnos quam utiles. Et mihi talis aliquando fortuna adfulsit. Quod si in secundis rebus bonam quoque mentem darent dii: non ea solum, quae evenissent, sed etiam ea, quae evenire possent, reputaremus. Ut omnium obliviscaris aliorum, satis ego documenti in omnes casus sum. Quem modo castris inter Anienem atque urbem vestram positis, ac jam prope scandentem moenia Romae videras; hic cernis, duobus fortissimis viris fratribus clarissimis imperatoribus orbatum, ante moenia prope obsessae patriae, quibus terrui vestram urbem, ea pro mea deprecantem. Maximae cuique fortunae minime credendum est. In bonis tuis rebus, nostris dubiis, tibi ampla ac speciosa danti est pax; nobis petentibus magis necessaria quam honesta. Melior tutiorque est certa pax, quam sperata victoria. Haec in tua, illa in deorum manu est. Ne tot annorum felicitatem in unius horae dederis discrimen. Tum tuas vires, tum vim fortunae, Martemque belli communem propone animo. Utrumque ferrum, corpora humana erunt. Nusquam minus, quam in bello, eventus respondent. Non tantum ad id, quod data pace jam habere potes, si proelio vincas, gloriae adjeceris: quantum ademeris, si quid adversi eveniat. Simul parva ac sperata decora unius horae fortuna evertere potest. Omnia in pace jungendatae potestatis sunt, P. Corneli; tunc ea habenda fortuna erit, quam dii dederint.

Inter pauca felicitatis virtutisque exempla M. Attilius quondam in hac eadem terra fuisset, si victor pacem petentibus dedisset patribus nostris: sed non

statuendo tandem felicitati modum, nec cohibendo efferentem se fortunam, quanto altius elatus erat, eo foedius corrui. Est quidem ejus, qui dat, non qui petit, conditiones dicere pacis; sed forsitan non indigni simus, qui nobismet ipsis mulctam irrogemus. Non recusamus, quin omnia, propter quae bellum initum est, vestra sint: Sicilia, Sardinia, Hispania, quidquid insularum toto inter Africam Italiamque continetur mari: Carthaginienses, inclusi Africae litoribus vos (quando ita diis placuit) externa etiam terra marique videamus regentes imperia. Haud negaverim, propter non nimis sincere petitam aut exspectatam nuper pacem, suspectam esse vobis punicam fidem. Multum, per quos petita sit, ad fidem tuendae pacis pertinet, Scipio. Vestri quoque (aut audio) patres non nihil etiam ob hoc, quia parum dignitatis in legatione erat, negaverunt pacem. Hannibal peto pacem: qui neque peterem, nisi utilem crederem, et propter eandem utilitatem tuebor eam, propter quam petii. Et quemadmodum, quia a me bellum coeptum est, ne quem ejus poeniteret, quoad ipsi invidere dei, praestiti; ita adnitar, ne quem pacis per me partae poeniteat.

## Oratio

## P. Scipionis ad Hannibalem.

Liv. XXX. 31.

Non me fallebat, Hannibal, adventus tui spe Carthaginienses et praesentem induciarum fidem et spem pacis turbasse. Ne te tu id sane dissimulas, qui de conditionibus superioribus pacis omnia subtrahas, praeter ea, quae jam pridem in nostra potestate sunt. Ceterum sicut tibi curae est, sentire cives tuos, quanto per te onere leventur: sic mihi laborandum est, ne, quae tunc pepigerunt; hodie subtracta ex conditionibus pacis, praemia perfidiae habeant. Indigni, quibus eadem pateat conditio, ut etiam prosit vobis fraus, petitis. Neque patres nostri priores de Sicilia, neque nos de Hispania fecimus bellum. Et tunc Mamertinorum sociorum periculum, et nunc Sagunti excidium nobis pia ac justa induerunt arma. Vos lacessisse, et tu ipse fateris, et dei testes sunt; qui et illius belli exitum secundum jus fasque dederunt, et hujus dant et dabunt.

Quod ad me attinet, humanae infirmitatis memini, et vim fortunae reputo, et omnia, quaecumque agimus, subjecta esse mille casibus scio. Ceterum quemadmodum superbe et violenter me faterer facere, si priusquam in Africam trajecissem, te tua voluntate cedentem in Italia, et imposito in naves exercitu, ipsum venientem ad pacem petendam aspernâret: sic nunc, quum prope manu conserta restitantem ac tergiversantem in Africam attraxerim, nulla sum tibi verecundia obstrictus. Proinde si quid ad ea, in ~~ad~~ quae tunc pax conventura videbatur (quae sint, nosti) mulctae navium cum commeatu per inducias expugnatarum legatorumque violatorum adjicitur: est, quod referam ad consilium. Sin illa quoque gravia videntur: bellum parate, quoniam pacem pati non potuistis.

Oratio Hannibalis ad Carthaginienses,  
quum argueretur, quod solus in communi fletu  
rideret.

*Livius. XXX. 44.*

Si, quemadmodum oris habitus cernitur oculis, sic et animus intus cerni posset, facile vobis adpareret, non laeti, sed prope amentis malis cordis hunc, quem increpatis, risum esse. Qui tamen nequaquam adeo est impetivus, quam vestrae istae absurdae atque abhorrentes lacrimae sunt. Tunc flesse decuit, quum adempta nobis arma, incensae naves, interdictionum externis bellis. Illo enim vulnere concidimus. Nec esse in vos odio vestro consultum ab Romanis credatis. Nulla magna civitas diu quiescere potest. Si foris hostem non habet, domi invenit: ut praevalida corpora ab externis causis tuta videntur, sed suis ipsa viribus onerantur. Tantum nimirum ex publicis malis sentimus, quantum ad privatas res pertinet; nec in eis quidquam acrius, quam pecuniae damnum stimulat. Itaque, quum spolia victae Carthagini detrahebantur, quum inermem jam ac nudam desuitui inter tot armatas gentes Africae cerneretis, nemo ingemuit. Nunc, quia tributum ex privato conferendum est, tamquam in publico funere comploratis. Quam vereor, ne propediem sentiatis, levissimo in malo vos hodie lacrimasse.

Oratio Hannihalis ad Antiochum,  
qua Romanæ amicitiae suspicionem a se  
amollitur.

*Liv. XXXV. 19.*

**P**ater Hamilcar, Antioche, parvum admodum me, quum sacrificaret, altaribus admotum jurejurando adigit, numquam amicum fore populi romani. Sub hoc sacramento sex et triginta annos militavi: hoc me in pace patria mea pepulit: hoc patria extorrem in tuam regiam adduxit; hoc duce, si tu spem meam destitueris, ubicumque vires, ubi arma esse sciam, huc veniam, toto orbe terrarum quaerens aliquos Romanis hostes. Itaque, si quibus tuorum meis criminibus apud te crescere libet, aliam materiam crescendi ex me quaerant. Odi Hamilcar et dii testes sunt. Proinde, quum de bello romano cogitabis, inter primos amicos Hannibalem habeto. Si qua res te ad pacem compellet, in id consilium alium, cum quo deliberes, quaerito.

Oratio Ajacis pro Achillis armis.

*Ovid. Met. Lib. XIII. 1—122.*

**C**onsedere duces: et, vulgi stante corona,  
Surgit ad hos clypei dominus septemplex Ajax  
Utque erat impatiens irae, Sigeia torvo  
Litora respexit, classemque in litore, vultu:  
5 Intendensque manus: Agimus, prohi Juppiter, inquit,  
Ante rates causam: et mecum confertur Ulyxes!  
At non Hectoreis dubitavit cedere flammis,  
Quas ego sustinui, quas hac a classe fugavi.  
Tutius est fictis igitur contendere verbis,  
10 Quam pugnare manu. Sed nec mihi dicere proutum;  
Nec facere est isti. Quantumque ego Marte feroci,  
Quantum acie valeo: tantum valet iste loquendo.  
Nec memoranda tamen vobis mea facta. Pelasgi,  
Esse reor: vidistis enim. Sua narret Ulyxes;  
15 Quae sine teste gerit, quorum nox conscia sola est  
Praemia magna peti fateor: sed demit honorem  
Aemulus. Ajaci non est tenuisse superbum,  
Sit licet hoc ingens, quidquid speravit Ulyxes.

Iste tulit pretium jam nunc certaminis hujus;  
 Quo quum victus erit, mecum certasse feretur. 20  
 Atque ego, si virtus in me dubitabilis esset,  
 Nobilitate potens essem Telamone creatus;  
 Moenia qui forti Trojana sub Hercule cepit:  
 Litoraue intravit Pegasaea Colcha carina.  
 Aeacus huic pater est: qui jura silentibus illic 25  
 Reddit, ubi Aeoliden saxum grave Sisypho urget.  
 Aeacon agnoscit summus, prolemque fatetur  
 Juppiter esse suam. Sic ab Jove tertius Ajax.  
 Nec tamen haec series in causa prosit, Achivi;  
 Si mihi cum magno non est communis Achille. 30  
 Frater erat; fraterna peto. Quid sanguine cretus  
 Sisyphio, furtisque et fraude simillimus illi  
 Inserit Aeacidis alienae nomina gentis?  
 An quod in arma prior, nulloque sub indice veni,  
 Arma neganda mihi? potiorque videbitur ille, 35  
 Ultima qui cepit, detrectavitque furore  
 Militiam ficto: donec solertior isto,  
 Sed sibi inutilior, timidi commenta retexit  
 Neupliades animi, vitataque traxit in arma?  
 Optima nunc sumat, qui sumere noluit ulla? 40  
 Nos inhonorati, et donis patruelibus orbi,  
 Obtulimus qui nos ad prima pericula simus.  
 Atque utinam aut verus furor ille, aut creditus esset:  
 Nec comes hic phrygias umquam venisset ad arces  
 Hortator scelerum! non te, Poeantia proles, 45  
 Expositum Lemnos nostro cum crimine haberet.  
 Qui nunc (ut memorant) silvestribus abditus antris,  
 Saxa moves gemitu, Laertiadaeque precaris,  
 Quae meruit; quae (si di sunt) non vana preceris.  
 Et nunc ille eadem nobis juratus in arma, 50  
 Heu! pars una ducum, quo successore sagittae  
 Herculis utuntur, fractus morboque fameque,  
 Velaturque aliturque avibus: volucresque petendo  
 Debita Trojanis exercet spicula fati.  
 Ille tamen vivit, quia non comitavit Ulyxen, 55  
 Mallet et infelix Palamedes esse relictus:  
 Viveret, aut certe lethum sine crimine haberet.  
 Quem male convicti nimium memor iste furoris  
 Prodere rem Danaum finxit: fictumque probavit  
 Crimen; et ostendit, quod clam praefoderat, aurum. 60  
 Ergo aut exsilio vires subduxit, Achivis,  
 Aut nece. Sic pugnat, sic est metuendus Ulyxes.

- Qui, licet eloquio fidum quoque Nestora vincat,  
 Haud tamen efficiet, desertum ut Nestora crimene  
 65 Esse nullum. Qui quum imploraret Ulyxen  
 Vulnere tardus equi, fessusque senilibus annis,  
 Proditus a socio est. Non haec mihi crimina fingi,  
 Scit bene Tydides, qui nomine saepe vocatum  
 Corripuit; trepidoque fugam exprobravit amico.  
 70 *Aspiciunt oculis superi mortalia justis.*  
 En! eget auxilio, qui non tulit: utque reliquit,  
 Sic linquendus erat: legem sibi dixerat ipse,  
 Conclamat socios. Adsum videoque trementem,  
 Pallentemque metu, ac trepidantem morte futura.  
 75 Opposui molem clypei, texique jacentem;  
 Servaviq;ue animum (minimum est hoc laudis) inertem.  
 Si perstas certare, locum redeamus in illum:  
 Redde hostem vulnusque tuum solitumque timorem;  
 Post clypeumque late: et mecum contende sub illo.  
 80 At postquam eripui, cui standi vulnera vires  
 Non dederant, nullo tardatus vulnere fugit.  
 Hector adest: secumque deos in proelia ducit.  
 Quaque ruit, non tu tantum terreris, Ulyxe,  
 Sed fortes etiam: tantum trahit ille timoris.  
 85 Hunc ego, sanguineae successu caedis ovantem,  
 Cominus ingenti resupinum pondere fudi.  
 Hunc ego poscentem, cum quo concurreret, unus  
 Sustinui; sortemque meam vovistis, Achivi:  
 Et vestrae valere preces. Si quaeritis hujus  
 90 Fortunam pugnae; non sum superatus ab illo.  
 Ecce! ferunt Troës ferrumque, ignemque, Jovemque  
 In Danaas classes: ubi tunc facundus Ulyxes?  
 Nempe ego mille meo protexi pectore puppes,  
 Spem vestri reditus. Date pro tot navibus arma.  
 95 Quod si vera licet mihi dicere: quaeritur istis,  
 Quam mihi, major honos: conjunctaque gloria nostra est.  
 Atque Ajax armis, non Ajaci arma petuntur.  
 Conferat his Ithacus Rhesum, imbellemque Dolona,  
 Priamidenque Helenum rapta cum Pallade captum.  
 100 Luce nihil gestum, nihil est Diomede remoto.  
 Si semel ista datis meritis tam vilibus arma;  
 Dividite: et major pars sit Diomedis in illis.  
 Quo tamen haec Ithaco? qui clam, qui semper inermis  
 Rem gerit; et furtis incautum decipit hostem?  
 105 Ipse nitor galeae, claro radiantis ab auro,  
 Insidias prodet, manifestabitque latentem.

Sed nempe Dulichius sub Achillis casside vertex  
 Pondera tanta feret. Nec non onerosa gravisque  
 Pelias esse potest imbellibus hasta lacertis.  
 Nec clypeus, vasti caelatus imagine mundi, 110  
 Conveniet timidae, nataeque ad furta sinistrae.  
 Debilitaturum quid te petis, improbe, munus?  
 Quod tibi si populi donaverit error Achivi;  
 Cur spolieris, erit; non, cur metuas ab hoste.  
 Et fuga, (qua sola cunctos, timidissime, vincis,) 115  
 Tarda futura tibi est, gestamina tanta trahenti.  
 Adde, quod iste tuus tam raro proelia passus,  
 Integer est clypeus. Nostro, qui tela ferendo  
 Mille patet plagis, novus est successor habendus.  
 Denique, quid verbis opus est? Spectemur agendo: 120  
 Arma viri fortis medios mittantur in hostes?  
 Inde iubete peti, et referentem ornate relatis.

## Oratio Ulyxis pro iisdem.

*Ovid Met. Lib. XIII. 123—381.*

**F**inierat Telamone satus: vulgique sequutum  
 Ultima murmur erat: donec Laërtius heros  
 Adstitit: atque oculos, paullum tellure moratos, 125  
 Sustulit ad proceres, exspectatoque resolvit  
 Ora sono: neque abest facundis gratia dictis.  
 Si mea cum vestris valuissent vota, Pelasgi,  
 Non foret ambiguus tanti certaminis heres:  
 Tuque tuis armis, nos te potiremur, Achille. 130  
 Quem quoniam non aequa mihi, vobisque negarunt  
 Fata: (manuque simul, veluti lacrimantia, tersit  
 Lumina) quis magno melius succedat Achilli;  
 Quam per quem magnus Danais successit Achilles?  
 Huic modo ne prosit, quod, ut est, hebes esse videtur. 135  
 Neve mihi noceat, quod vobis semper, Achivi,  
 Profuit ingenium, meaque haec facundia, si qua est,  
 Quae nunc pro domino, pro vobis saepe loquuta est,  
 Invidia careat: bona nec sua quisque recusat.  
 Nam genus, et proavos, et quae non fecimus ipsi, 140  
 Vix ea nostra voco. Sed enim, quia retulit Ajax  
 Esse Jovis pronepos: nostri quoque sanguinis auctor  
 Juppiter est, totidemque gradus distamus ab illo.  
 Nam mihi Laertes pater est, Arcesius illi,  
 Juppiter huic: neque in his quisquam damnatus et exsul. 154

- Est quoque per matrem Cyllenius addita nobis  
 Altera nobilitas. Deus est in utroque parente.  
 Sed neque materno quod sum generosior ortu,  
 Nec mihi quod pater est fraterni sanguinis insons,  
 150 Proposita arma peto: meritis expendite causam.  
 Dummodo, quod fratres Telamon Peleusque fuerunt,  
 Ajaçis meritum non sit: nec sanguinis ordo,  
 Sed virtutis honos spoliis quaeratur in istis.  
 Aut si proximitas, primusque requiritur heres,  
 155 Est genitor Peleus, est Pyrrhus filius illi.  
 Quis locus Ajaci? Phthiam Scyronve ferantur.  
 Nec minus est isto Teucer patruelis Achilli.  
 Num petit ille tamen? Num sperat, ut auferat arma?  
 Ergo operum quoniam nudum certamen habetur;  
 160 Plura quidem fecit, quam quae comprehendere dictis  
 In promptu mihi sit. Rerum tamen ordine ducar.  
 Praescia venturi genetrix Nereia lethi  
 Dissimulat cultu natum. Deceperat omnes,  
 In quibus Ajacem, sumtae fallacia vestis.  
 165 Arma ego femineis, animam moiura virilem,  
 Mercibus inserui. Neque adhuc projecerat heros  
 Virgineos habitus, quum parmam, hastamque tenenti,  
 Nate dea, dixi, tibi se peritura reservant  
 Pergama; quid dubitas ingentem evertere Trojam?  
 170 Injecique manum; fortemque ad fortia misi.  
 Ergo opera illius mea sunt. Ego Telephon hasta  
 Pugnantem domui, victum orantemque refeci.  
 Quod Thebae cecidere, meum est. Me credite Lesbos  
 Me Tenedon Chrisenque et Cyllan, Apollinis urbes  
 175 Et Syron cepisse. Mea concussa putate  
 Procubuisse solo Lyrnesia moenia dextra,  
 Utque alias taceam; qui saevum perdere posset  
 Hectora, nempe dedi: per me jacet inclitus Hector.  
 Illis haec armis, quibus est inventus Achilles,  
 180 Arma peto. Vivo dederam, post fata reposco,  
 Ut dolor unius Danaos pervenit ad omnes,  
 Aulidaque Euboicam compleverunt mille carinae:  
 Exspectata diu, nulla aut contraria classi  
 Flamina sunt: duraeque jubent Agamemnona sortes  
 185 Immeritam saevae natam mactare Dianae.  
 Denegat hoc genitor: divisque irascitur ipsis:  
 Atque in rege tamen pater est. Ego mite parentis  
 Ingenium verbis ad publica commoda verti.  
 Nunc equidem fateor, fassoque ignoscat Atrides;

Difficilem tenui sub iniquo iudice causam. 190  
 Hunc tamen utilitas populi, fratrisque, datique  
 Summa movet sceptri. Laudem ut cum sanguine penset,  
 Mittor et ad matrem: quae non hortanda, sed astu  
 Decipienda fuit, quo si Telamonius isset,  
 Orba suis essent etiam nunc linthea ventis. 195  
 Mittor et Iliacas audax orator ad arces;  
 Visaque et intrata est altae mihi curia Trojae.  
 Plenaque adhuc erat illa viris. Interritus egi,  
 Quam mihi mandarat communis Graecia causam:  
 Adcusoque Parin; praedamque Helenamque reposco: 200  
 Et moveo Priamum, Priamoque Antenora junctum.  
 At Paris et fratres, et qui rapuere sub illo,  
 Vix tenuere manus (scis hoc Menelaë) nefandas:  
 Primaque lux nostri tecum fuit illa pericli.  
 Longa referre mora est, quae consilioque manumque 205  
 Utiliter feci spatiosi tempore belli.  
 Post acies primas urbis se moenibus hostes  
 Continuere diu; nec aperti copia Martis  
 Ulla fuit. Decimo demum pugnativimus anno.  
 Quid facis interea, qui nil nisi proelia nosti? 210  
 Quis tuus usus erat? Nam si mea facta requiris;  
 Hostibus insidior: fossas munimine cingo:  
 Consolor socios, ut longi taedia belli  
 Mente ferant placida; doceo, quo simus alendi  
 Armandique modo: mittor, quo postulat usus. 215  
 Ecce! Jovis monitu, deceptus imagine somni,  
 Rex jubet incepti curam dimittere belli.  
 Ille potest auctore suam defendere causam.  
 Non sinat hoc Ajax: delendaque Pergama poscat:  
 Quodque potest, pugnet. Cur non remoratur ituros? 220  
 Cur non arma capit? dat, quod vaga turba sequatur?  
 Non erat hoc nimium nunquam nisi magna loquenti.  
 Quid, quod et ipse fugis? Vidi, puduitque videre,  
 Quum tu terga dares, inhonestaque vela parares.  
 Nec mora: *Quid facitis! quae vos dementia, dixi,* 225  
*Concitat, o socii, captam dimittere Trojam?*  
*Quidve domum fertis decimo nisi dedecus anno?*  
 Talibus atque aliis, in quae dolor ipse disertum  
 Fecerat, aversos profuga de classe reduxi.  
 Convocat Atrides socios terrore paventes, 230  
 Nec Telamoniades etiam nunc hiscere quidquam  
 Ausit. At ausus erat reges incessere dictis  
 Thersites, etiam per me haud impune, protervis.

- Erigor: et trepidos cives exhortor in hostem,  
 235 Amissamque mea virtutem voce reposito.  
 Tempore ab hoc, quodcumque potest fecisse videri  
 Fortiter iste, meum est: qui dantem terga retraxi.  
 Denique de Danaïis quis te laudatve, petitve?  
 At sua Tydides mecum communicat acta:  
 240 Me probat, et socio semper confidit Ulyxe.  
 Est aliquid, de tot Grajorum millibus unum  
 A Diomede legi. Nec me sors ire jubebat:  
 Sic tamen et spreto noctisque hostisque periclo,  
 Ausum eadem, quae nos, Phrygia de gente Dolona  
 245 Interimo: non ante tamen, quam cuncta coëgi  
 Prodere, et edidici, quid perfida Troja pararet.  
 Omnia cognoram: nec, quod specularer, habebam:  
 Et jam praemissa poteram cum laude reverti.  
 Haud contentus ea, petii tentoria Rhesi;  
 250 Inque suis ipsum castris comitesque perëmi.  
 Atque ille captivo victor votisque potitus,  
 Ingredior curru laetos imitante triumphos.  
 Cujus equos, pretium pro nocte, poposcerat hostis,  
 Arma negate mihi: fueritque benignior Ajax.  
 255 Quid Lycji referam Sarpedonis agmina ferro  
 Devastata meo? cum multo sanguine fudi  
 Ceranön, Hippasidenque, Alastoraque, Chromiumque,  
 Alcandrumque Haliumque, Noëmonaque, Prytanique,  
 Exitioque dedi cum Chersidamante Thgona,  
 260 Et Charopen, fatisque immittibus Ennomon actum,  
 Quique minus celebres nostra sub moenibus urbis  
 Procubuere manu. Sunt et mihi vulnera, cives,  
 Ipso pulchra loco. Nec vanis credite verbis.  
 Adspicite en! (vestemque manu diducit) et: Haec sunt  
 265 Pectora semper, ait, vestris exercita rebus.  
 At nihil impendit per tot Telamonius annos  
 Sanguinis in socios, et habet sine vulnere corpus.  
 Quid tamen hoc refert; si se pro classe Pelasga  
 Arma tulisse refert, contra Troasque Jovemque?  
 270 Confiteorque, tulit: neque enim benefacta maligne  
 Detrectare meum est. Sed nec communia solus  
 Occupet, atque aliquem nobis quoque reddat honorem.  
 Reppulit Actorides, sub imagine tutus Achillis,  
 Troas ab arsuris cum defensore carinis,  
 275 Ausum etiam Hectoreo solum concurrere Marti  
 Se putat, oblitus regisque ducumque meique;

Nonas in officio, et praelatus munere sortis.  
 Sed tamen eventus vestrae, fortissime, pugnae  
 Quis fuit? Hector abit violatus vulnere nullo.  
 Me miserum! Quanto cogor meminisse dolore 280  
 Temporis illius; quo Grajum murus, Achilles  
 Procubuit! nec me lacrimae, luctusve, timorve  
 Tardarunt, quin corpus humo sublime referrem.  
 His humeris: his, inquam, humeris ego corpus Achillis,  
 Et simul arma tuli: quae nunc quoque ferre laboro. 285  
 Sunt mihi, quae valeant in talia pondera, vires;  
 Est animus, vestros certe sensurus honores.  
 Scilicet idcirco pro gnato caerulea mater  
 Ambitiosa suo fuit, ut coelestia dona,  
 Artis opus tantae, rudis et sine pectore miles 290  
 Indueret neque enim clypei caelamina norit,  
 Oceanum, et terras, cumque alto sidera coelo  
 Pleiadasque, Hyadasque, immunemque aequoris Arcton,  
 Diversasque urbes, nitidumque Orionis ensem.  
 Postulat, ut capiat, quae non intelligit, arma. 295  
 Quid? quod me duri fugientem munera belli  
 Arguit incepto serum accessisse labori?  
 Nec se magnanimo maledicere sentit Achilli?  
 Si simulasse vocat crimen, simulavimus ambo.  
 Si mora pro culpa est; ego sum maturior illo. 300  
 Me pia detinuit conjux; pia mater Achillen:  
 Primaque sunt illis data tempora, cetera vobis.  
 Haud timeo, si jam nequeo defendere, crimen  
 Cum tanto commune viro. Deprensus Ulyxis  
 Ingenio tamen ille; at non Ajacis Ulyxes. 305  
 Neve in me stolidae convicia fundere linguae  
 Admiremur eum: vobis quoque digna pudore  
 Objicit. An falso Palameden crimine turpe  
 Adcusasse mihi, vobis damnasse decorum est?  
 Sed neque Naupliades facinus defendere tantum 310  
 Tamque patens valuit: nec vos audistis in illo  
 Crimina, vidistis: pretioque objecta patebant.  
 Nec Poantiaden quod habet Vulcania Lemnos,  
 Esse reus merui. Factum defendite vestrum;  
 Consensistis enim. Nec me suasisse negabo;  
 Ut se subtraheret bellique viaeque labori,  
 Tentaretque feros requie lenire dolores,  
 Paruit, et vivit. Non haec sententia tantum  
 Fida, sed et felix; quum sit satis esse fidelem  
 Quem quoniam vates delenda ad Pergama poscunt, 320

- Ne mandate mihi. Melius Telamonius ibit:  
 Eloquioque virum morbis iraque turentem  
 Molliet, aut aliqua producet callidus arte.
- 325 Ante retro Simois fluet, et sine frondibus Ide  
 Stabit, et auxilium promittet Achaïa Trojae:  
 Quam, cessante meo pro vestris pectore rebus,  
 Ajacis stolidi Danaïs solertia prosit.  
 Sis licet infestus sociis regique mihi que,  
 Dure Philoctete; licet exsecrere, meumque
- 330 Devoveas sine fine caput; cupiasque dolenti  
 Me tibi forte dari; nostrumque haurire cruorem;  
 (Utque tui mihi, sic fiat tibi copia nostri):  
 Te tamen adgrediar; mecumque reducere nitar.  
 Tamque tuis potiar (faveat fortuna) sagittis:
- 335 Quam sum Dardanio, quem cepi, vate potitus;  
 Quam responsa deum, Trojanaque fata, retexi;  
 Quam rapui Phrygiae signum penetrale Minervae  
 Hostibus e mediis. Et se mihi comparet Ajax?  
 Nempe capi Trojam prohibebant fata sine illis.
- 340 Fortis ubi est Ajax? ubi sunt ingentia magni  
 Verba viri? cur hic metuis? cur audet Ulyxes  
 Ire per excubias, et se committere nocti?  
 Perque feros enses, non tantum moenia Troum,  
 Verum etiam summas arces intrare; suaque
- 345 Eripere aede deam, raptamque efferre per hostes?  
 Quae nisi fecissem: frustra Telamone creatus  
 Gestasset laeva taurorum tergora septem.  
 Illa nocte mihi Trojae victoria parta est,  
 Pergama tum vici, quum vinci posse coëgi.
- 350 Desine Tydiden vultuque et murmure nobis  
 Ostentare meum. Pars est sua laudis in illis.  
 Nec tu, quum socia clypeum pro classe tenebas,  
 Solus eras: tibi turba comes, mihi contigit unus,  
 Qui, nisi pugnacem sciret sapiente minorem
- 355 Esse, nec indomitae deberi praemia dextrae,  
 Ipse quoque haec peteret, peteret moderatior Ajax,  
 Eurypylusque ferox, claroque Andromone natus:  
 Nec minus Idomeneus; patriaque creatus eadem  
 Meriones: peteret majoris frater Atridae.
- 360 Quippe manu fortes, (nec sunt tibi Marte secundi)  
 Consiliis cessere meis. Tibi dextera bello  
 Utilis; ingenium est, quod eget moderamine nostro.  
 Tu vires sine mente geris: mihi cura futuri est.  
 Tu pugnare potes: pugnandi tempora mecum

Eligit Atrides. Tu tantum corpore prodes,  
 Nos animo. Quantoque ratem qui temperat, anteit 365  
 Remigis officium, quanto dux milite major;  
 Tantum ego te supero. Nec non in corpore nostro  
 Pectora sunt potiora manu. Vigor omnis in illis.  
 At vos, o proceres, vigili date praemia vestro, 370  
 Proque tot annorum cura, quos anxius egi,  
 Hunc titulum meritis pensandum reddite nostris.  
 Jam labor in fine est. Obstantia fata removi,  
 Altaque, posse capi faciendo, Pergama cepi.  
 Per spes nunc socias, casuraque moenia Troum, 375  
 Perque deos oro, quos hosti nuper ademi;  
 Per, si quid superest, quod sit sapienter agendum;  
 Si quid adhuc audax ex praecipitique petendum,  
 Si Trojae fatis aliquid restare putatis;  
 Este mei memores: aut, si mihi non datis arma, 380  
 Huic date. Et ostendit signum fatale Minervae.

## C. Orationes majores.

M. Tullii Ciceronis

## C a t i l i n a r i a e

quatuor.

## A r g u m e n t u m.

**L.** Sergius Catilina patricii generis quum post praeturam  
 et Africam administratam repetundarum et inter sicarios,  
 quamquam frustra, adcusatus esset, bis consulatum frustra  
 petiit. Idem etiam bis conjuravit contra rempublicam. Et  
 prima quidem conjuratio, qua L. Torquatus et L. Cottam  
 coss. voluit interficere, casu direpta: altera autem occultis  
 consiliis agitata, in consulatum Ciceronis erupit, cui ob hoc  
 ipsum eo cupidius populus romanus consulatum mandavit,  
 quod de ea rumor in vulgus exierat. Hic quum esset tota res  
 ad Ciceronem a Q. Curio conjurato per Fulviam delata, et  
 Catilinam nihil ominis in senatu a. d. VIII. Id. Nov. vel ut  
 aliis placet a d. VI. Id. Nov. vidisset, ita indignitate rei com-  
 motus est Cicero, ut gravissime in ipsum oratione in-  
 veheretur, qua totam rem sibi cognitam esse ostenderet,  
 eique, ut urbe exiret, suaderet. Atque haec est prima  
 in senatu habita oratio. Huic orationi iratissimus  
 quum respondisset Catilina, minatus: se incendium suum

patria ruina restineturum; e senatu se proripuit, ac nocte proxima cum quibusdam consociis ex urbe abiit. Quo mane cognito, Cicero in concionem populi progressus, dum senatus conveniret, habuit secundam orationem, quae abitu Catilinae triumphat. Sed quoniam intelligebat, quantum invidiae sibi conflasset partim ab his, qui nimis crudeliter ejectum a Cicerone Catilinam innocentem jactabant, partim vero ab iis, qui non dimittendum, sed puniendum fuisse putabant, hanc invidiam a se studet amoliri, quum conjurationem certo factam esse ostendendo, tum lenitatis suae rationem adferendo. Demonstrat praeterea quantum periculi reipublicae immincat, quum a Catilinatum in primis a reliquis conjuratis, qui in urbe remanserant, quorum sex generafacit et de singulis, quid censeat, dicit. Paulo post legatorum Allobrogum a conjuratis sollicitatorum indicio quum comprehensi essent Lentulus ejusque socii, et cognita a senatu re in custodiam traditi: Cicero invidia levatus iterum, forte pridie Non. Dec. prodit in concionem, et quae a se deprehendendae conjurationis causa, quae ad pontem Mulvium, quae in senatu acta, dicta decretaque sint comprehensis conjuratis, demonstravit et se populo commendavit, simulque ad supplicationem sibi togato primum reipublicae conservatae causa decretam celebrandam cohortatus est. Proximo die, nonis Dec. in senatu de poena conjuratorum agebatur. Hic quum duae essent sententiae, altera Silani, eos designati, qui cupitis poenam decernebat, altera vero Jul. Caesaris, qui mortis poenam removebat, ceterorum suppliciorum acerbi ates omnes, in primis vincula sempiterna, decernebat. Ci. ero senatum quarta oratione ad severitatem cohortatus est, et Silani sententiam severiorem leniori Caesaris praefendam esse docebat. Eum deinde consequutus Cato plane solvit Caesaris sententiam. Est itaque in Silani et Catonis sententiam factum, atque in carcere supplicium de conjuratis sumtum. Quo facto, Ciceronem domum pergentem universus senatus et populus est prosequutus, cumque censoratorem non modo et liberatorem, sed primum etiam Patrem Patriae appellavit, quum interea viae, per quas ibat, laetis ubique ignibus colluicerent. Haec facta sunt nonis Decembr. Atque hae sunt illae nonae, quarum commemoratione toties, neque immerito, Cicero gloriatur.

## Oratio I.

habita in senatu.

I. Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quamdiu etiam furor iste tuus nos eludet? quem

ad finem tua sese effrenata jactabit audacia? nihilne te nocturnum praesidium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt? patere tua consilia non sentis? constrictam jam omnium horum conscientia teneri conjurationem tuam non vides? quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris? O tempora, o mores! Senatus haec intelligit, consul videt: hic tamen vivit. Vivit? imo vero etiam in senatum venit: fit publici consilii particeps: notat et designat oculis ad caedem unumquemque nostrum. Nos autem, viri fortes, satisfacere reipublicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina duci, jussu consulis jam pridem oportebat: in te conferri pestem istam, quam tu in nos omnes jam diu machinaris. An vero vir amplissimus, P. Scipio, Pontifex maximus, Tib. Gracchum mediocriter labefactantem statum reipublicae, privatus interfecit: Catilinam vero, orbem terrae caede atque incendiiis vastare cupientem, nos consules perferemus? Nam illa nimis antiqua praetereo, quod Q. Servilius Ahala Sp. Metium, novis rebus studentem, *a*) manu sua occidit. Fuit, fuit ista quondam in hac republica virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum quam acerbissimum hostem coercerent. Habemus senatus consultum in te, Catilina, vehemens et grave: non deest reipublicae consilium neque auctoritas hujus ordinis: nos, nos, dico aperte, consules desumus.

II. Decevit quondam senatus, ut L. Opimius consul videret, ne quid respublica detrimenti caperet. Nox nulla intercessit: interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus, clarissimo patre, avo, majoribus *b*); occisus est cum liberis M. Fulvius, consularis. Simili senatus consulto, C. Mario et Valerio coss. est permissa respublica. Num unum diem postea L. Saturninum tribunum plebis, et C. Servilium praetorem, mors ac reipublicae poena remorata est? At nos vicesimum *c*) jam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim hujusmodi senatus consultum, verum tamen inclusum in tabulis, tamquam gladium in vagina reconditum: quo ex senatus consuli-

to confestim te interfectum esse, Catilina, convenit. Vivis: et vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Cupio, P. C. me esse clementem, cupio in tantis reipubl. periculis me non dissolutum videri: sed jam me ipse inertiae, nequitiaeque condemno.

- 5 Castra sunt in Italia contra rempublicam in Etruriae faucibus collocata: crescit in dies singulos hostium numerus: eorum autem imperatorem castrorum ducemque hostium intra moenia, atque adeo in senatu videtis, intestinam aliquam quotidie perniciem reipublicae molientem. Si te jam, Catilina, comprehendi, si te interfici jussero: credo, erit verendum mihi, ne hoc potius omnes boni serius a me, quam quisquam crudelius factum esse dicat. Verum ego hoc, quod jam pridem factum esse oportuit, certa de causa nondum adducor, ut faciam. Tum denique interficere, quum jam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit: qui id non jure factum esse fateatur.
- 6 Quamdiu quisquam erit, qui te defendere audeat, vive: et vives ita, ut nunc vivis; multis meis et firmis praesidiis obsessus, ne commovere te contra rempublicam possis. Multorum te etiam oculi et aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur atque custodient.

III. Etenim quid est, Catilina, quod jam amplius exspectes, si neque nox tenebris obscurare coetus nefarios, nec privata domus parietibus continere vocem conjurationis tuae potest? si illustrantur, si erumpunt omnia? Muta jam istam mentem, mihi crede, obliviscere caedis atque incendiiorum. Teneris undique, luce sunt clariora nobis tua consilia omnia: quae etiam licet tecum recognoscas. Meministi, me ante diem

- 7 XII. calendas Novembres dicere in senatu, fore in armis certo die, qui dies futurus esset ante diem VI. calendas Novembres, C. Manlium, audaciae satellitem atque administrum tuae? num me fefellit, Catilina, non modo res tanta, tam atrox, tam incredibilis, verum, id quod multo magis est admirandum, dies? Dixi ego idem in senatu, caedem te optimatum contulisse in ante diem V. calendas Novembres, tum quum multi principes civitatis Roma, non tam sui conservandi quam tuorum consiliorum reprimendorum causa profugerunt. Num infitiri potest, illo ipso die te meis praesidiis, mea diligentia circumclusum, commovere te contra rempublicam non potuisse, quum tu discessu cete-

rorum; nostra tamen, qui remansissemus, caede contentum te esse dicebas? Quid? quum tu te Praeneste e) 8  
calendis ipsis Novembribus occupaturum nocturno impetu esse confideres: sensistine, illam coloniam meo jussu, meis praesidiis, custodiisque vigiliisque esse munitam? Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo non audiam, sed etiam non videam planeque sentiam.

IV. Recognosce mecum tandem noctem illam superiorem: jam intelliges, multo me vigilare acrius ad salutem, quam te ad perniciem reipublicae. Dico te priori nocte venisse inter falcarios, (non agam obscure) in M. Laecae domum: convenisse eodem complures ejusdem amentiae, scelerisque socios. Num negare audes? quid taces? convincam, si negas. Video enim esse hic in senatu quosdam, qui tecum una fuerunt. O dii immortales! ubinam gentium sumus? in qua urbe vivimus? quam rempublicam f) habemus? Hic, hic sunt nostro numero, P. C. in hoc orbis terrae sanctissimo gravissimoque consilio, qui de nostrum omnium interitu, qui de hujus urbis, atque adeo orbis terrarum exitio cogitent. Hosce ego video consul, et de republica sententiam rogo: et, quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero. Fuisti igitur apud Laecam illa nocte, Catilina: distribuisti partes Italiae: statuisti, quo quemque proficisci placeret: delegisti, quos Romae relinqueres, quos tecum educeres: descripsisti urbis partes ad incendia: confirmasti, te ipsum jam esse exiturum: dixisti, paullulum tibi esse etiam tum morae, quod ego viverem. Reperti sunt duo equites romani, qui te ista cura liberarent, et sese illa ipsa nocte paullò ante lucem me meo in lectulo interfecturos pollicerentur. Haec ego omnia, vixdum etiam coetu vestro dimisso 16  
comperi; domum meam majoribus praesidiis munivi atque firmavi: exclusi eos, quos tu mane ad me salutatum miseras, quum illi ipsi venissent; quos ego jam multis ac summis viris ad me id temporis venturos esse praedixeram.

V. Quae quum ita sint Catilina, perge, quo coepisti: egredere aliquando ex urbe: patent portae: proficiscere. Nimium diu te imperatorem tua illa Manliana castra desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos: si minus, quam plurimos: purga urbem. Magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te mutus

intersit Nobiscum versari jam diutius non potes: non  
 11 feram, non patiar, non sinam. Magna diis immortalibus est habenda, atque huic ipsi Jovi Statori, antiquissimo custodi hujus urbis, gratia, quod hanc tam tetram, tam horribilem, tamque infestam reipublicae pestem toties jam effugimus. Non est saepius in uno homine summa salus periclitanda reipublicae. Quamdiu mihi consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me praesidio, sed privata diligentia defendi. Quum proximis comitiis consularibus me consulem in campo, et competitores tuos interficere voluisti, compressi conatus tuos nefarios amicorum praesidio et copiis, nullo tumultu publice concitato: denique quotiescumque me petisti, per me tibi obstiti: quamquam videbam, perniciem meam cum magna calamitate reipublicae esse conjunctam. Nunc jam aperte  
 12 reipublicam universam petis. Tempa deorum immortalium, tecta urbis, vitam omnium civium, Italiam denique totam ad exitium ac vastitatem vocas.

Quare, quoniam id, quod est primum, et quod hujus imperii disciplinaeque majorum proprium est, facere nondum audeo: faciam id, quod est ad severitatem lenius, et ad communem salutem utilius. Nam si te interfici jussero, residebit in republica reliqua conjuratorum manus. Sin tu (quod te jam dudum hortor,) exieris, exhaurietur, ex urbe tuorum comitum magna et perniciosa sentina reipublicae. Quid est, Catilina? num dubitas  
 13 id me imperante facere, quod jam tua sponte faciebas? Exire ex urbe jubet consul hostem. Interrogas me, num in exilium? g) non jubeo: sed si me consulis, suadeo.

VI. Quid enim est, Catilina, quod te jam in hac urbe delectare possit? in qua nemo est, extra istam conjurationem perditorum hominum, qui te non metuat; nemo, qui te non oderit. Quae nota domesticae turpitudinis non inusta vitae tuae est? quod privatarum rerum dedecus non haeret infamiae? quae libido ab oculis, quod facinus a manibus umquam tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit? Cui tu adolescentulo, quem corruptelarum illecebris irretisses, non, aut ad audaciam, ferrum, aut ad libidinem, facem praetulisti?  
 14 Quid vero? nuper, quum morte superioris uxoris, novis nuptiis h) domam vacuefecisses, nonne etiam alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti? i) quod ego

praemitto, et facile patior sceleri, ne in hac civitate tanti facinoris immanitas aut exstitisse, aut non vindicata esse videatur. Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis idibus senties. Ad illa venio, quae non ad privatam ignominiam vitiorum tuorum, non ad domesticam tuam difficultatem ac turpitudinem, sed ad summam reipublicae atque ad omnium nostrum vitam salutemque pertinet. Potestne tibi haec lux, Catilina, aut hujus 15  
 coeli spiritus esse jucundus, quum scias, horum esse neminem, qui nesciat, te pridie Kalendas Jan. Lepido et Tullo Coss. stetit in comitio cum telo? manum, consulum et principum civitatis interficiendorum causa, paravisse? sceleri ac furori tuo non mentem aliquam, aut timorem tuum, sed fortunam P. R. obstitisse? ac jam illa omitto. Neque enim sunt obscura, aut non multa commissa postea. Quoties tu me designatum, quoties consulem interficere conatus es? Quot ego tuas petitiones ita coniectas, ut vitari posse non viderentur, parva quadam declinatione; et, ut ajunt, corpore effugi? Nihil agis, nihil adsequeris: *h*) neque tamen velle ac conari desistis. Quoties jam tibi extorta est ista sica de manibus? Quoties vero excidit casu aliquo, et elapsa est? tamen ea carere diutius non potes: quae quidem quibus abs te initiata sacris ac devota sit, nescio, quod eam necesse putas consulis in corpore defigere. 16

VII. Nunc vero, quae tua est ista vita? sic enim jam tecum loquar, non ut odio permotus esse videar, quo debeo, sed ut misericordia, quae tibi nulla debetur. Venisti paullo ante in senatum. Quis te ex hac tanta frequentia, tot ex tuis amicis ac necessariis salutavit? Si hoc post hominum memoriam contigit nemini, vocis expectas contumeliam, quum sis gravissimo iudicio taciturnitatis oppressus? Quid quod adventu tuo ista subsellia vacua facta sunt? quod omnes consulares, qui tibi persaepe ad caedem constituti fuerunt, simul atque adsedisti, partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt? Quo tandem animo hoc tibi ferendum 17  
 putes? Servi, me hercle, mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem: tu tibi urbem non arbitraris? Et, si me meis civibus injuria suspectum tam graviter atque offensum viderem, carere me adspectu civium,

quam infestis omnium oculis conspici mallet. Tri-  
 quum conscientia scelerum tuorum agnoscas odium om-  
 nium justum, et jam diu tibi debitum: dubitas, quo-  
 rum mentes sensusque vulneras, eorum adspectum  
 praesentiamque vitare? Si te parentes timerent atque  
 odissent tui, neque eos ulla ratione placare posses, ut  
 opinor, ab eorum oculis aliquo concederes. Nunc te  
 patria, quae communis est omnium nostrum parens, odit  
 ac metuit: et jam diu de te nihil judicat, nisi de parrici-  
 dio suo cogitare. Hujus tu neque auctoritatem verebere,  
 18 neque iudicium sequere, neque vim pertimesces? Quae  
 tecum, Catilina, sic agit, et quodam modo acuta loquitur:  
*Nullum aliquot jam annis facinus exstitit, nisi per te: nul-  
 lum flagitium sine te: tibi uni multorum civium neces, l) ti-  
 bi exactio direptioque sociorum m) impunita fuit ac libera:  
 tu non solum ad negligendas leges ac quaestiones, verum e-  
 tiam ad evertendas perfringendasque valuisti. Superiora il-  
 la, quamquam ferenda non fuerunt, tamen ut poti, tuli.  
 Nunc verò me totam esse in metu propter te unum: quidquid  
 increpuerit, Catilinam timeri, nullum videri contra me con-  
 siliium iniri posse, quòd a tuo scelere abhorreat; non est fe-  
 rendum. Quamobrem discende, atque hunc mihi timorem  
 eripe: si verus, ne opprimar: sin falsus, ut tandem  
 aliquando timere desinam.*

19 VIII. Haec si tecum, ut dixi, patria loquatur, non-  
 ne impetrare debeat, etiamsi vim adhibere non pos-  
 sit? Quid? quod tu te ipse in custodiam dedisti? quid?  
 quod vitandae suspicionis causa, apud M. Lepidum te  
 habitare velle dixisti? a quo non receptus, etiam ad  
 me venire ausus es; atque, ut domi meae te adserva-  
 rem, rogasti. Quum a me quoque id responsum tulis-  
 ses, me nullo modo posse iisdem parietibus tuto esse  
 tecum, qui magno in periculo essem, quod iisdem  
 moenibus contineremur: ad Q. Metellum praetorem  
 venisti. A quo repudiatus, ad sodalem tuum virum  
 optimum, M. Marcellum demigrasti: quem tu videli-  
 cet et ad custodiendum te diligentissimum, et ad suspi-  
 candum sagacissimum, et ad vindicandum fortissimum  
 fore putasti. Sed quam longe videtur a carcere atque  
 a vinculis abesse debere, qui se ipsum jam dignum cu-  
 20 stodia iudicaverit? Quae quum ita sint, Catilina, du-  
 bitas, si hic morari aequo animo non potes, abire in  
 aliquas terras, et vitam istam multis suppliciis justis  
 debitisque ereptam fugae solitudinique mandare? Refer,  
 inquis, ad senatum, (id enim postulas;) et si hic ordo

placere sibi decreverit, te ire in exsilium; obtemperatum esse dicis. Non referam, id quod abhorret a meis moribus; et tamen faciam, ut intelligas, quid hi de te sentiant: Egredere ex urbe, Catilina: libera rempublicam *n*) metu; in exsilium, si hanc vocem expectas, proficiscere. Quid est, Catilina? ecquid attendis? ecquid animadvertis horum silentium, patiuntur, tacent. Quid expectas auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicias? At si hoc idem *21* huic adolescentulo optimo, P. Sextio, *o*) si fortissimo viro M. Marcello *p*) dixissem: jam mihi consuli hoc ipso in templo senatus jure optimo vim et manus intulisset. De te autem Catilina, quum quiescunt, probant: quum patiuntur, decernunt: quum tacent, clamant. Neque hi solum, quorum tibi auctoritas est videlicet cara, vita vilissima; sed etiam illi equites romani, honestissimi atque optimi viri, ceterique fortissimi cives, qui circumstant senatum; quorum tu et frequentiam vide, et studia perspicere, et voces paulo ante exaudire potuisti; quorum ego vix abs te jam diu manus ac tela contineo: eosdem facile adducam, ut te haec, quae jam pridem vastare studes, relinquentem usque *2* ad portas prosequantur.

IX. Quamquam quid loquor? te ut ulla res frangat? *22* tu ut unquam te corrigas, tu ut ullam fugam meditere? tu ut ullum exsilium cogites? Utinam tibi istam mentem dii immortales duint! tametsi video, si mea voce perterritus ire in exsilium animum induxeris, quanta tempestas invidiae nobis, si minus in praesens tempus, recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendeat. Sed non est mihi tanti, dummodo ista privata sit calamitas, et a reipublicae periculis sejungatur. Sed tu ut vitiis tuis commovere, ut legum poenas pertimescas, ut temporibus reipublicae cedas, non est postulandum. Neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor a turpitudine, aut metus a periculo, aut *23* ratio a furore revocarit. Quamobrem, ut saepe jam dixi, proficiscere; ac, si mihi inimico, ut praedicas, tuo conflare vis invidiam, recta perge in exsilium: vix feram sermones hominum, si id feceris; vix molem istius invidiae, si in exsilium ieris jussu consulis, sustinebo. Sin autem servire meae laudi et gloriae mavis, egredere cum importuna sceleratorum manu: confer te ad Manlium: concita perditos cives, secerne te a bo-

nis: infer patriae bellum: exsulta impio latrocinio, ut  
 a me non ejectus ad alienos, sed invitatus ad tuos isse  
 24 videaris. Quamquam quid ego te invitem, a quo jam  
 sciam esse praemissos, qui tibi ad forum Aurelium q)  
 praestolarentur armati? quum sciam, jam pactam et  
 constitutam esse cum Manlio diem? a quo etiam aquilam  
 illam argenteam, quam tibi ac tuis omnibus perniciosam  
 esse confido, et funestam futuram, cui domi tuae sacrarium  
 scelerum tuorum constitutum fuit, sciam esse praemissam?  
 Tu ut illa diutius carere possis, quam venerari ad caedem  
 proficiscens solebas? a cujus altaribus saepe istam  
 impiam dexteram ad necem civium transulisti?

25 X. Ibis tandem aliquando, quo te jam pridem tua  
 ista cupiditas effrenata ac furiosa rapiebat. Neque enim  
 tibi haec res adfert dolorem, sed quamdam incredibilem  
 voluptatem. Ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas  
 exercuit, fortuna servavit. Numquam tu non modo otium,  
 sed ne bellum quidem, nisi a farium concupisti. Nactus es  
 ex perditis, atque ab omni non modo fortuna verum etiam  
 spe derelictis, conflata tam improborum manum. Hic tu qua  
 26 laetitia perfurere? quibus gaudiis exsultabis? quanta in  
 voluptate bacchabere, quum in tanto numero tuorum neque  
 audies virum bonum quemquam, neque videbis? Ad hujus  
 vitae studium meditati illi sunt, qui feruntur, labores  
 tui: jacere humi non modo ad obsidendum stuprum, verum  
 etiam ad facinus obeundum; vigilare non solum insidiantem  
 somno maritorum, verum etiam bonis otiosorum. Habes,  
 ubi ostentes illam praeclaram tuam patientiam famis,  
 frigoris, inopiae rerum omnium; quibus 27  
 te brevi tempore confectum esse senties. Tantum profeci  
 tum, quum te a consulatu repuli, ut exsul potius tentare,  
 quam consul vexare rempublicam posses; atque ut id, quod  
 esset a te scelerate susceptum, latrocinium potius quam  
 bellum nominaretur.

XI. Nunc, ut a me P. C. quandam prope justam patriae  
 querimoniam detester ac deprecet: percipite, quaeo, diligenter,  
 quae dicam, et ea penitus animis vestris mentibusque  
 mandate. Etenim, si cuncta Italia, quae mihi vita mea  
 multo est carior; si omnis respublica loquatur: *M. Tulli,  
 quid agis? tunc eum quem esse hostem comperisti: quem  
 ducem belli futurum vides: quem exspectari imperatorem  
 in castris hostium*

*sentis, auctorem sceleris, principem conjurationis, evocato-  
rem servorum et civium perditorum exire patieris: ut abs te  
non emissus ex urbe, sed immissus in urbem esse videatur?   
nonne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo  
supplicio moctari imperabis? Quid tandem impedit te? Mos- 28  
ne majorum? at persaepe etiam privati in hac republica per-  
niciosos cives morte multarunt. An leges, quae de civium  
romanorum supplicia rogatae sunt! at numquam in hac  
urbe ii, qui a republica defecerunt, civium jura tenuerunt.  
An invidiam posteritatis times? praeclaram vero populo  
romano refers gratiam, qui te, hominem per te cognitum,  
nulla commendatione majorum, tam mature ad summum  
imperium per omnes honorum gradus extulit, si propter in-  
vidiam aut alicujus periculi metum salutem civium tuorum  
negligis. Sed, si quis est invidiae motus, num est vehemen-  
tis severitatis ac formidinis invidia quam virtutis ac nequi-  
tatis pertimescenda? An quum bello vastabitur Italia, vexa-  
buntur urbes, tecta ardebunt: tum te non existimas invidiae  
incendio conflagraturum?*

XII. His ego sanctissimis reipublicae vocibus et eorum hominum, qui idem sentiunt, mentibus pauca respondebo. Ego, si hoc optimum factu judicarem, P. C. Catilinam morte multari, unius usuram horae gladiatori isti ad vivendum non dedissem. Etenim, si similes viri et clarissimi cives, Saturnini et Gracchorum et Flacci et superiorum complurium sanguine non modo se non contaminarunt, sed etiam honestarunt: certe verendum mihi non erat, ne quid, hoc parricida civium interfecto, invidiae mihi in posteritatem redundaret. Quod si ea mihi maxime impenderet: tamen hoc animo semper fui, ut invidiam virtute partam, gloriam, non invidiam putarem. Quamquam nonnulli sunt in hoc ordine, qui aut ea, quae imminet, non videant; aut ea, quae vident, dissimulent: qui spem 30  
Catilinae mollibus sententiis aluerunt, conjurationemque nascentem non credendo corroboraverunt. Quorum auctoritatem sequuti multi, non solum improbi, verum etiam imperiti; si in hunc animadvertissem, crudeliter et regie factum esse dicerent. Nunc intelligo, si iste, quo intendit, in Manliana castra pervenerit, neminem tam stultum fore, qui non videat, conjurationem esse factam; neminem tam improbum, qui non fateatur. Hoc autem uno interfecto, intelligo hanc reipublicae pestem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. Quod si se ejecerit, secumque suos edu-

xerit, et eodem ceteros undique collectos naufragos adgregaverit; exstinguetur atque delebitur non modo haec tam adulta reipublicae pestis, verum etiam stirps et semen malorum omnium.

- 31 XIII. Etenim jam diu, r) P. C. in his periculis conjurationis insidiisque versamur; sed nescio, quo pacto omnium scelerum, ac verteris furoris et audaciae maturitas in nostri consulatus tempus erupit. Quid si ex tanto latrocinio iste unus tolletur; videbimur fortasse ad breve quoddam tempus cura et metu esse relevati: periculum autem residebit, et erit inclusum penitus in venis atque in visceribus reipublicae. Ut saepe homines aegri morbo gravi, quum aestu febrique jactantur, si aquam gelidam biberint, primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque adffictantur: sic hic morbus,
- 32 qui est in republica, relevatus istius poena, vehementius, reliquis vivis, ingravescet. Quare, P. C. secedant improbi, secernant se a bonis, unum in locum congregentur: muro denique, id quod saepe jam dixi, secernantur a nobis: desinant insidiari domi suae consuli, circumstare tribunal praetoris urbani, obsidere cum gladiis curiam, malleolos et faces ad inflammandam urbem comparare: sit denique inscriptum in fronte uniuscujusque civis, quid de republica sentiat. Polliceor hoc vobis, P. C. tantam in nobis coss. fore diligentiam, tantam in vobis auctoritatem, tantam in equitibus romanis virtutem, tantam in omnibus bonis consensionem,
- 33 ut Catilinae profectioe omnia patefacta, illustrata, oppressa, vindicata esse videatis. Hisce omnibus, Catilina, cum summa reipublicae salute, et cum tua peste ac pernicie, cumque eorum exitio, qui se tecum omni scelere parricidioque junxerunt, proficiscere ad impium bellum ac nefarium. Tum tu, Jupiter, qui iisdem, quibus haec urbs, auspiciis a Romulo es constitutus, quem Statorem hujus urbis atque imperii vere nominamus: hunc et hujus socios a tuis aris, ceterisque templis, a tectis urbis ac moenibus, a vitafortanisque civium omnium arcebis, et omnes inimicos bonorum, hostes patriae, latrones Italiae, scelerum foedere inter se ac nefaria societate conjunctos, aeternis suppliciis vivos mortuosque mactabis.

a) Vide Liv. IV. 16

b) Non sine causa hoc additum, nam et Catilina claritate generis gloriabatur.

- e) Proprie *decimum octavum*.
- d) Haec Cicero dicit ad mitigandam seu fugam seu timiditatem fugientium, in quibus Crassus, Marcellus et Scipio erant.
- e) Urbs Latii, octo circiter lapidibus, seu miliaribus romanis distans ab urbe.
- f) *Respublica* pro senatu.
- g) Exsilium non proprie erat poena, sed potius via effugiendi poenas.
- h) Cum Aurelia Orestilla, cujus, ut ait Sall. c. 15. praeter formam nihil umquam bonus laudavit.
- i) Occidendo filium suum. *vide Sall. c. 15.*
- k) Vulgaris textus habet: *Nihil agis, nihil adsequeris, nihil moliris, quod mihi latere valeat in tempore: neque tamen velle et conari desistis.* Muretus vero, consentiente Cellario aliisque eruditis: qui haec verba, *nihil moliris, quod mihi latere valeat in tempore*, in Msc. desiderant ceu otiosa, et Cicerone haud digna ejiciunt. *Moliri* certe minus est quam *adsequi*.
- l) Tempore Sullae.
- m) In Africa, quam provinciam Catilina propraetor administrat, et, uti Verres Siciliam, despoliarat. Quare repetundarum adcusatus, sed frustra: Publius Clodius quippe, qui ipsum adcusandum susceperat, pecunia corruptus, rem negligenterractavit.
- n) i. e. senatum.
- o) Tum quaestor Antonii eos, quem in Macedoniam combatatur; dein tribunus plebis, tandem praetor. Sextius tribunus pl. in Cicerone revocando plurimum laborabat. Ejusdem mentio fit in oratione post reditum ad Quirites.
- p) Non ille, cujus supra §. 19. meminit, sed civis patriae amatissimus, pro quo orationem ad Caesarem habuit.
- q) Haud procul ab urbe ad viam Aureliam, Hetruriam versus.
- r) Jam a triennio.

## Oratio II.

habita ad Quirites.

I. Tandem a) aliquando, Quirites, L. Catilinam, furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriae nefarie molientem, vobis atque huic urbi ferrum flammamque minitantem, ex urbe vel ejecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem verbis prosequuti sumus. Abiit, excessit, evasit, erupit. Nulla jam pernicies a monstro illo atque prodigio moenibus ipsis intra moe-

nia comparabitur. Atque hunc quidem unum hujus belli domestici ducem sine controversia vicimus. Non enim jam inter latera nostra sica illa versabitur: non in campo, non in foro, non in curia, non denique intra domesticos parietes pertimescemus. Loco ille motus est, quum est ex urbe depulsus. Palam jam cum hoste, nullo impediante, bellum justum geremus. Sine dubio perdidimus hominem, magnificeque vicimus, quum illum ex occultis insidiis in apertum latrocinium conjecimus. b).

2 Quod vero non cruentum mucronem, ut voluit, extulit, quod vivis nobis egressus est, quod ei ferrum extorsimus e manibus, quod incolumes cives, quod stantem urbem reliquit, quanto tandem moerore illum adflictum esse et profligatum putatis? Jacet ille nunc prostratus, Quirites, et se perculsum atque abjectum esse sentit, et retorquet oculos profecto saepe ad hanc urbem, quam ex suis faucibus ereptam esse luget. Quae quidem laetari mihi videtur, quod tantam pestem evomuerit, forasque projecerit.

3 II. At si quis est talis, quales esse omnes oportebat, qui in hoc ipso, in quo exsultat et triumphat oratio mea, me vehementer aduset, quod tam capitalem hostem non comprehenderim potius, quum miserim: non est ista mea culpa, Quirites, sed temporum. Intererunt esse L. Catilinam, et gravissimo supplicio adfectum jam pridem oportebat: idque a me et mos majorum, et hujus imperii severitas, et respublica postulabat. Sed quam multos fuisse putatis, qui, quae ego deferrem, non crederent? quam multos, qui propter stultitiam non putarent? quam multos, qui etiam defenderent? quam multos, qui propter improbitatem faverent? Ac si, sublato illo, depelli a vobis omne periculum judicarem: jam pridem ego L. Catilinam non modo invidiae meae, verum etiam vitae periculo sustulisset. Sed quum viderem, ne vobis quidem omnibus re etiam tum probata, si illum, ut erat meritis, morte multassem, fore, ut ejus socios invidia oppressus persequi non possem: rem huc deduxi, ut tum palam pugnare possetis, quum hostem aperte videretis.

4 Quem quidem ego hostem, Quirites, quam vehementer foris esse timendum putem, licet hinc intelligatis, quod illud etiam moleste fero, quod ex urbe parum comitatus exierit. Utinam ille omnes secum suas co-

pias eduxisset: Tongillum mihi eduxit, quam amare in praetexta calumnia coeperat; Publicium et Munatium, quorum aes alienum contractum in popinam nullum rei publicae motum adferre poterat: reliquit, quos viros? quanto alieno aere? quam valentes? quam nobiles?

III. Itaque ego illum exercitum, et gallicanis legionibus, et hoc delectu, quem in agro Piceno et Gallico *e*) Q. Metellus habuit, et his copiis, quae a nobis quotidie comparantur, magnopere contemno; collectum ex senibus desperatis, ex agresti luxuria, ex rusticis decoctoribus; ex illis, qui vadimonia deserere, quam illum exercitum maluerunt; quibus ego non modo si aciem exercitus nostri, verum etiam si edictum praetoris ostendero, concident. Hos, quos video volitare in foro, quos stare ad curiam, quos etiam in senatum venire: qui nitent unguentis, qui fulgent purpura, mallem secum suos milites eduxisset: qui si hic permanent, mementote non tam exercitum illum esse nobis, quam hos qui exercitum deseruerunt, pertimescendos. Atque hoc etiam sunt timendi magis, quod, quid cogitent, me scire sentiunt; neque tamen permoventur.

Video, cui Apulia sit attributa, qui habeat Hertruriam, qui agrum Picenum, qui Gallicum, qui sibi has urbanas insidias caedis atque incendiorum deposcerit. Omnia superioris noctis consilia ad me sentiunt esse perlata: patefeci in senatu hesterno die: Catilina ipse pertimuit, profugit: hi quid exspectant? Nae illi vehementer errant, si illam meam pristinam lenitatem perpetuam sperant futuram.

IV. Quod exspectavi, jam sum adsequutus, ut vos omnes factam esse aperte conjurationem contra rempublicam videretis; nisi vero si quis est, qui Catilinae similes cum Catilina sentire non putet. Non est jam lenitati locus: severitatem res ipsa flagitat: unum etiam nunc concedam; exeant, proficiscantur, ne patiantur Catilinam desiderio sui miserum tabescere. Demonstrabo iter: Aurelia via profectus est; si accelerare volent, ad vesperam consequentur.

O fortunatam rempublicam, siquidem hanc sentinam hujus urbis ejecerit! Uno me hercule Catilina exhausto, releva a mihi et recreata respublica videtur. Quid enim mali aut sceleris fingi aut excugitari potest, quod non ille conceperit? quis tota Italia veneficus, quis

gladiator, quis latro, quis sicarius, quis parricida, quis testamentorum subjector, quis circumscriptor, quis ganeo, quis nepos, quis adulter, quae mulier infamis, quis corruptor juventutis, quis corruptus, quis perditus invenire potest, qui se cum Catilina non familiarissime vixisse fateatur? quae caedes per hosce annos sine illo facta est? quod nefarium stuprum non per illum?

8 Jam vero quae tanta in illo umquam homine juventutis illecebra fuit, quanta in illo? qui alios ipse amabat turpissime, aliorum amoris flagitiosissime serviebat: aliis fructum libidinum, aliis mortem parentum, non modo impellendo, verum etiam adjuvando, pollicebatur. Nunc vero quam subito non ex urbe, verum etiam ex agris ingentem numerum perditorum hominum collegerat? Nemo, non modo Romae, sed nec ullo in angulo totius Italiae oppressus aere alieno fuit, quem non ad hoc incredibile sceleris foedus adsciverit.

9 V. Atque, ut ejus diversa studia in dissimili ratione perspicere possitis, nemo est in ludo gladiatorio paullo ad facinus audacior, qui se non intimum Catilinae esse fateatur: nemo in scena levior et nequior, qui se non ejusdem prope sodalem fuisse commemorat. Atque idem tamen, stuprorum et scelerum exercitatione adsuefactus, frigore, et fame, et siti, ac vigiliis perferendis, fortis ab istis praedicabatur, quum industriae subsidia atque instrumenta virtutis, in libidine audaciaque consumeret.

10 Hunc vero si sui fuerint sequuti comites, si ex urbe exierint desperatorum hominum flagitiosi greges: o nos beatos, o rempublicam fortunatam, o praeclaram laudem consulatus mei! Non enim jam sunt mediocres hominum libidines, non humanae ac tolerandae audaciae: nihil cogitant, nisi caedes, nisi incendia, nisi rapinas: patrimonia sua profuderunt: fortunas suas abligurierunt, res eos jam pridem, fides deficere nuper coepit: eadem tamen illa, quae erat in abundantia, libido permanet. Quod si in vino et alea commissationes solum et scorta quaererent: essent illi quidem desperandi, sed tamen esset ferendi. Hoc vero quis ferre possit, inertes homines fortissimis viris insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis, dormientes vigilantibus? Qui mihi adcubantes in convi-

viis, complexi mulieres impudicas, vino languidi confecti cibo, redimiti sertis, unguentis oblitii, eructant sermonibus suis caedem bonorum, atque urbis incendia.

Quibus ego confido impendere fatum aliquid: et poenas jam diu improbitati, nequitiae, sceleri, libidini debitas, aut instare jam plane, aut certe jam adpropinquare. Quos si meus consulatus, quoniam sanare non potest, sustulerit: non breve nescio quod tempus, sed multa secula propagarit reipublicae. Nulla est enim natio, quam pertimescamus: nullus rex, qui bellum populo romano facere possit. Omnia sunt externa unius virtute *d*) terra marique pacata: domesticum bellum manet, intus insidiae sunt; intus inclusum periculum est; intus est hostis; cum luxuria nobis; cum amentia, cum scelere certandum est. Huic ego me bello ducem profiteor, Quirites: suscipio inimicitias hominum perditorum. Quae sanari poterunt, quacumque ratione sanabo: quae rescanda erunt, non patiar ad perniciem civitatis manere. Proinde aut exeant, aut quiescant: aut si et in urbe, et in eadem mente permanent, ea, quae merentur, exspectent.

VI. At etiam sunt, Quirites, qui dicant, a me in exsilium ejectum esse Catilinam. Quod ego si verbo adsequi possem, istos ipsos ejicerem, qui haec loquuntur. Homo videlicet timidus et permodestus vocem consulis ferre non potuit: simul atque ire in exsilium jussus est, paruit, ivit. Hesternò die, *e*) Quirites, quum domi meae paene interfectus essem, Senatum in aedem Jovis Statoris vocavi: rem omnem ad P. C. detuli. Quo quum Catilina venisset: quis eum senator adpellavit? quis salutavit? quis denique ita adspexit, ut perditum civem, ac non potius, ut importunissimum hostem? Quin etiam principes ejus ordinis partem illam subselliorum, ad quam ille accesserat, nudam atque inanem reliquerunt.

Hic ego vehemens ille consul, qui verbo cives in exsilium ejicio, quaesivi a Catilina, an nocturno conventu apud M. Laecam fuisset, necne. Quum ille homo audacissimus, conscientia convictus, primo reticisset, patefeci cetera; quid ea nocte egisset, (ubi fuisset), quid in proximam constituisset, quemadmodum esset ei ratio totius belli descripta, edocui. Quum haesitaret, quum teneretur; quaesivi, quid dubitaret

eo proficisci, quo jam pridem pararat: quum arma, quum secures, quum fascos, quum tubas, quum signa militaria; quum aquilam illam argentream, cui ille etiam sacrarium scelerum domi suae fecerat, sci-  
 14 rem esse praemissam. In exsilium eiciebam, quem jam ingressum esse in bellum videbam? Etenim, credo, Manlius iste, centurio, qui in agro Resulano castra posuit, bellum populo romano suo nomine indicavit: et illa castra nunc non Catilinam ducem expectant: et ille ejectus in exsilium, se Massiliam, ut ajunt, non in haec castra conferet.

VII. O conditionem miseram: non modo administrandae, verum etiam conservandae reipublicae! Nunc, si L. Catilina, consiliis, laboribus, periculis meis circumclusus, ac debilitatus, subito pertimuerit, sententiam mutaverit, suos deseruerit, consilium belli faciendi abjecerit, ex hoc cursu sceleris et belli iter ad fugam atque in exsilium converterit: non ille a me spoliatus armis audaciae, non obstupefactus ac perterritus mea diligentia, non de spe conatuque depulsus, sed indemnatus, innocens, in exsilium ejectus a consule vi et minis esse dicetur: et erunt, qui illum, si hoc fecerit, non improbum, sed miserum, me non diligentissimum consulem, sed crudelissimum tyrannum existimari velint.

15 Est mihi tanti, Quirites, hujus invidiae falsae atque iniquae tempestatem subire, dummodo a vobis hujus horribilis belli ac nefarii periculum depellatur. Dicatur sane ejectus esse a me, dummodo eat in exsilium: sed, mihi credite, non est iturus. Numquam ego a diis immortalibus optabo, Quirites, invidiae meae levandae causa, ut L. Catilinam ducere exercitum hostium, atque in armis volitare audiat; sed triduo tamen audietis; multoque magis illud timeo, ne mihi sit invidiosum aliquando, quod illum emisero potius, quam quod eiecerim. Sed quum sint homines, qui illum, quum profectus sit, ejectum esse dicant, iidem si interfectus esset, quid dicerent?

16 Quamquam isti, qui Catilinam Massiliam ire dicitant, non tam hoc queruntur, quam verentur. Nemo est istorum tam misericors, qui illum non ad Manlium, quam ad Massilienses ire malit. Ille autem, si, me hercule, hoc, quod agit, numquam ante cogitasset, tamen latrocinantem se interfici mallet, quam ex-

sulem vivere. Nunc vero, quum ei nihil adhuc praeter ipsius voluntatem cogitationemque acciderit, nisi quod vivis nobis Roma profectus est: optemus potius, ut eat in exsilium, quam queramur.

VIII. Sed cur tamdiu de uno hoste loquimur, et de eo hoste, qui jam fatetur se esse hostem, et quem, quia, quod semper volui, murus interest, non timeo: de his, qui dissimulant, qui Romae remanent, qui nobiscum sunt, nihil dicimus? quos quidem ego, si ullo modo fieri posset, non tam ulcisci studeo, quam sanare et ipsos placare reipublicae; neque id quare fieri non possit, si me audire volent, intelligo. Exponam enim vobis; Quirites, ex quibus generibus hominum istae copiae comparentur: deinde singulis medicinam consilii atque orationis meae, si quam poterò, adferam.

Unum genus est eorum, qui magno in aere alieno, majores etiam possessiones habent: quarum amore adducti, dissolvi nullo modo possunt. Horum hominum species est honestissima; sunt enim locupletes: voluntas vero et causa impudentissima. Tu agris, tu aedificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus et copiosus sis; et dubites de possessione detrahere, acquirere ad fidem? Quid enim exspectas? bellum? quid? ergo in vastatione omnium tuas possessiones sacrosanctas futuras putas? an tabulas novas? errant, qui istas a Catilina exspectant. Meo beneficio tabulae novae proferentur, verum auctionariae. Neque enim isti qui possessiones habent, alia ratione ulla salvi esse possunt. Quod si maturius facere voluissent, neque, (id quod stultissimum est) certare cum usuris fructibus praediorum, et locupletioribus his et melioribus civibus uteremur. Sed hosce homines minime puto pertimescendos, quod aut deduci de sententia possunt; aut, si permanebunt, magis mihi videntur vota facturi contra rempublicam, quam arma laturi.

IX. Alterum genus est eorum, qui quamquam pre-muntur aere alieno, dominationem tamen exspectant; rerum potiri volunt; honores, quos quieta republica desperant, perturbata consequi se posse arbitrantur. Quibus hoc praecipendum videtur, unum scilicet et idem quod ceteris omnibus, ut desperent, se id, quod conantur, consequi posse: primum omnium me ipsum vigilare, adesse, providere reipublicae; deinde ma-

gnos animos esse in bonis viris, magnam concordiam; maximam multitudinem, magnas praeterea militum copias, deos denique immortales huic invicto populo, clarissimo imperio, pulcherrimae urbi, contra tantam vim sceleris, praesentes auxilium esse laturos. Quod si jam sint id, quod cum summo furore cupiunt, adepti: num illi in cinere urbis, et sanguine civium, quae mente conscelerata ac nefaria-concupierunt, se consulentes ac dictatores, aut etiam reges sperant futuros? Non vident id se cupere, quod si adepti fuerit, fugitivo alicui aut gladiatori concedi sit necesse?

20 Tertium genus est aetate jam adfectum, sed tamen exercitatione robustum: quo ex genere est ipse Manlius, cui nunc Catilina succedit. Hi sunt homines ex iis coloniis, quas Sulla constituit: quas ego universas civium esse optimorum et fortissimorum virorum sentio: sed tamen hi sunt coloni, qui se insperatis repentinisque pecuniis sumtuosius insolentiusque jactant. Hi dum aedificant, tanquam beati; dum praediis, lecticis, familiis magnis; conviviis adparatis delectantur, in tantum aes alienum inciderunt; ut, si salvi esse velint, Sulla sit iis ab inferis excitandus; qui etiam nonnullos agrestes, homines tenues atque egenes, in eandem illam spem rapinarum veterum impulerunt. Quos ego utrosque, Quirites, in eodem genere praedatorum direptorumque pono. Sed eos hoc moneo, desinant furere, ac proscriptiones et dictaturas cogitare. Tantus enim illorum temporum dolor inustus est civitati, ut jam ista non modo homines, sed ne pecudes quidem mihi passurae esse videantur.

21 X. Quartum genus est sane varium, et mistum, et turbulentum: qui jam pridem premuntur; qui nunquam emergunt: qui partim inertia, partim male gerendo negotio, partim etiam sumptibus, in vetere aere alieno vacillant, qui vadimonis, judiciis, proscriptionibus bonorum defatigati, permulti et ex urbe et ex agris se in illa castra conferre dicuntur. Hosce ego non tam milites acres, quam infitiatores lentos esse arbitror. Qui homines primum, si stare non possunt, corruant: sed ita, ut non modo civitas, sed ne vicini quidem proximi sentiant. Nam illud non intelligo, quamobrem, si vivere honeste non possunt, perire turpiter velint, aut cur minore dolore perituros se cum multis, quam si soli pereant, arbitrentur.

Quintum genus est parricidarum, sicariorum, denique omnium facinorosorum: quos ego a Catilina non revoco. Nam neque ab eo divelli possunt: et pereant sane in latrocinio, quoniam sunt ita multi, ut eos capere carcer non possit. Postremum autem genus est, non solum numero, verum autem genere ipso atque vita, quod proprium est Catilinae, de ejus delectu, imo vero de complexu ejus ac sinu: quos pexo capillo, nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos videtis: manicatis et talaribus tunicis; velis amictos, non togis, quorum omnis industria vitae, et vigilandi labor in antelucanis coenis exprimitur.

In his gregibus aleatores omnes, omnes adulteri, omnes impuri impudicique versantur. Hi pueri tam lepidi ac delicati, non solum amare et amari, neque cantare et saltare, sed etiam sicas vibrare, et spargere venena didicerunt: qui nisi exeunt, nisi pereunt, etiam si Catilina perierit, scitote hoc in republica seminarium Catilinarium futurum. Verum tamen quid sibi isti miseri volunt? num suas secum mulierculas sunt in castra ducturi? Quemadmodum autem illis carere poterunt, his praesertim jam noctibus? Quo autem pacto illi Apenninum, atque illas pruinas ac nives perferent? nisi idcirco se facilius hiemem toleraturos putant, quod nudi in conviviis saltare didicerunt. O bellum magnopefe pertimescendum, quum hanc sit habiturus Catilina scortorum cohortem praetoriam!

XI. Instruite nunc, Quirites, contra has tam praeclaras Catilinae copias vestra praesidia, vestrosque exercitus: et primum gladiatori illi confecto et saucio consules imperatoresque vestros opponite: deinde contra illam naufragorum ejectam ac debilitatam manum florem totius Italiae ac robur educite. Jam vero vires coloniarum ac municipiorum respondebunt Catilinae tumulis silvestribus. Neque vero ceteras copias, ornamenta, praesidia vestra cum illius latronis inopia atque egestate conferre debeo.

Sed, si, omissis his rebus omnibus, quibus nos suppeditamus, eget ille, senatu, equitibus romanis, populo, urbe, aerario, vectigalibus, cuncta Italia, provinciis omnibus, exteris nationibus; si, inquam, his rebus omissis, ipsas causas, quae inter se configunt, contendere velimus, ex eo ipso, quam valde illi jaceant, intelligere possumus. Ex hac enim parte pudor

pugnat, illinc petulantia, hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio, hinc pietas, illinc scelus; hinc constantia, illinc furor; hinc honestas, illinc turpitude; hinc continentia, illinc libido; denique aequitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant, cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus, postremo copiae cum egestate, bona ratio cum perdita, mens sana cum amentia, bona denique spes cum omnium rerum desperatione confligit. In hujusmodi certamine ac proelio, nonne, etiamsi hominum studia deficient, dii ipsi immortales cogent ab his praeclarissimis virtutibus tot et tanta vitia superari?

26 XII. Quae quum ita sint, Quirites, vos quemadmodum jam antea dixi, vestra tecta custodiis vigiliisque defendite: mihi, uti urbi sine vestro motu ac sine ullo tumultu satis esset praesidii, consultum ac provisum est. Coloni omnes, municipesque vestri certiores a me facti de hac nocturna excursione Catilinae; facile urbes suas finesque defendent: gladiatores, quam sibi ille maximam manum, et certissimam fore putavit, quamquam meliore animo sunt, quam pars patriciorum, potestate tamen nostra continebuntur. Q. Metellus, quem ego, prospiciens hoc, in agrum Gallicanum Picenumque praemisi, aut opprimet hominem; aut omnes ejus motus conatusque prohibebit. Reliquis autem de rebus constituendis, maturandis, agendis jam ad senatum referemus, quem vocari videtis.

27 Nunc illos, qui in urbe remanserunt, atque adeo qui contra urbis salutem omniumque nostrum, in urbe a Catilina relictis sunt, quamquam sunt hostes, tamen quia nati sunt cives, monitos etiam atque etiam volo. Mea lenitas adhuc, si cui solutior visa est, hoc exspectavit, ut id, quod latebat, erumperet. Quod reliquum est, jam non possum oblivisci, meam hanc esse patriam, me horum esse consulem: mihi aut cum his vivendum, aut pro his esse moriendum. Nullus est portae custos, nullus insidiator viae: si qui exire volunt, consulere sibi possunt; qui vero in urbe se commoverit, cujus ego non modo factum, sed inceptum ullum, conatumve contra patriam deprehendero: sentiet in hac urbe esse consules vigilantes, esse egregios magistratus, esse fortem senatum, esse arma, esse car-

cerem; quem vindicem nefariorum ac manifestorum scelerum majores nostri esse voluerunt.

XIII. Atque haec omnia sic agentur, Quirites, ut res maximo minimae motu, pericula summa nullo tumultu, bellum intestinum ac domesticum, post hominum memoriam crudelissimum ac maximum, me uno togato duce et imperatore, sedetur. Quod ego sic administrabo, Quirites, ut, si ullo modo fieri poterit ne Improbis quidem quisquam in hac urbe poenam sui sceleris sufferat. Sed si vis manifestae audaciae, si impendens patriae periculum me necessario de hac animi lenitate deduxerint: illud profecto perficiam, quod in tanto et tam insidioso bello vix optandum videtur, ut ne quis bonus intereat, paucorumque poena vos omnes jam salvi esse possitis.

Quae quidem ego neque mea prudentia, neque humanis consiliis fretus polliceor vobis, Quirites, sed multis et non dubiis deorum immortalium significationibus; quibus ego ducibus in hanc spem sententiamque sum ingressus; qui jam non procul, ut quondam solebant, ab externo hoste atque longinquo; sed hic praesentes suo numine atque auxilio sua templa atque urbis tecta defendant: quos vos, Quirites, precari, venerari; atque implorare debetis, ut, quam urbem pulcherrimam, florentissimam, potentissimamque esse voluerunt, hanc omnibus hostium copiis, terra marique superatis, a perditissimorum civium nefario scelere defendant.

a) Tandem et ad diuturnitatem temporis, et ad difficultatem rei refertur.

b) Adlusio ad factum Herculis et Caci, vide Liv. 17. Virg. Aen. VIII, 193.

c) sc. Gallia Cisalpina, seu Italia superior: quae Cicero obligit provincia consularis, quam Metello praetori concesserat.

d) sc. Pompeji, cujus laudes Cicero libenter celebrat.

e) Hic incipit rei expositio, quam scire populi intererat.

f) seu abolitionem omnis aeris alieni. Tabulas novas (neue Schulden-Register, Schuldentilgung). Catilina suis erat pollicitus.

## Oratio III.

habita ad Quirites.

- 1 I. **R**empublicam, Quirites, vitamque omnium vestrum bona, fortunas, conjuges liberosque vestros, atque hoc domicilium clarissimi imperii, fortunatissimam pulcherrimamque urbem, hodierno die, deorum immortalium summo erga vos amore, laboribus, consillis periculisque meis, ex flamma atque ferro ac paene ex faucibus fati ereptam et vobis conservatam ac restitutam videtis.
- 2 Et, si non minus nobis jucundi atque illustres sunt ii dies, quibus conservamur, quam illi, quibus nascimur; quod salutis certa laetitia est, nascendi incerta conditio; et quod sine sensu nascimur, cum voluptate servamur: profecto, quoniam illum, qui hanc urbem condidit, ad deos immortales benevolentia famaque sustulimus; esse apud vos posterosque vestros in honore debebit is, qui eandem hanc urbem conditam amplificatamque servavit. Nam toti urbi, templis, delubris, tectis ac moenibus omnibus subjectos prope jam ignes circumdatosque restinximus; iidemque gladios in rempublicam destructos retulimus, mucronesque eorum a jugulis vestris rejecimus.
- 3 Quae quoniam in senatu illustrata, patefacta, compertaque sunt per me, vobis jam exponam breviter, Quirites: ut et quanta, et quam manifesta, et qua ratione investigata et comprehensa sint, vos, qui ignoratis, ex actis scire possitis.
- Principio, ut Catilina paucis ante diebus erupit ex urbe, quum sceleris sui socios, hujusce nefarii belli acerrimos duces, Romae reliquisset: semper vigilavi et providi. Quirites, quemadmodum in tantis et tam absconditis insidiis salvi esse possemus.
- II. Nam tum, quum ex urbe Catilinam ejiciebam (non enim vereor jam hujus verbi invidiam, quum illa magis sit timenda, quod vivus exierit), sed tum, quum illum exterminari volebam; aut reliquam conjuratorum manum simul exituram, aut eos, qui restitissent, infirmos sine illo ac debiles fore putabam.
- 4 Atque ego, ut vidi, quos maximo furore et scelere esse inflammatos sciebam, eos esse nobiscum et Ro-

mae remansissae, in eo omnes dies noctesque consumsi: ut, quid agerent, quid molirentur, sentirem ac viderem: ut, quoniam auribus vestris, propter incredibilem magnitudinem sceleris, minorem fidem faceret oratio mea, rem ita comprehenderem, ut tum demum animis salutem vestrae provideretis, quum oculis maleficium ipsum videretis. Itaque ut comperi, legatos Allobrogum, belli Transalpini, et tumultus gallici excitandi causa, a P. Lentulo esse sollicitatos, eosque in Galliam ad suos cives, eodemque itinere, cum literis mandatisque ad Catilinam esse missos, comitemque iis adjunctum Vulturcium; atque huic esse datas ad Catilinam literas: facultatem mihi oblatam putavi, ut, quod erat difficillimum, quodque ego semper optabam a diis immortalibus, tota res non solum a me sed etiam a senatu et a vobis manifesto deprehenderetur.

Itaque hesterno die L. Flaccum, et C. Pontinum 5 Praetores, fortissimos atque amantissimos reipublicae viros, ad me vocavi; rem omnem exposui; quid fieri placeret, ostendi. Illi autem, qui omnia de republica praeclara atque egregia sentirent, sine recusatione ac sine ulla mora negotium susceperunt, et, quum ad vesperasceret, occulte ad pontem Mulvium a) pervenerunt; atque ibi in proximis villis ita bipartiti fuerunt, ut Tiberis inter eos et pons interesset. Eodem autem et ipsi sine cujusquam suspitione multos fortes viros eduxerunt, et ego ex praefectura Reatina b) complures delectos adolescentes, quorum opera in republica, adsidue utor, praesidio cum gladiis miseram.

Interim tertia fere vigilia exacta, quum jam pontem 6 Mulvium cum magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent, unaque Vulturcius: fit in eos impetus, educuntur et ab illis gladii et a nostris. Res erat praetoribus nota solis, ignorabatur a ceteris.

III. Tum interventu Pontini atque Flacci pugna, quae erat commissa, sedatur; literae, quaecumque erant in eo comitatu, integris signis, praetoribus traduntur; ipsi comprehensi ad me, quum jam diluscesceret, deducuntur. Atque horum omnium scelerum improbissimum machinatorem Cimbrum Gabinium statim ad me, nihil tum suspicantem, vocavi. Deinde item accessit P. Statilius, et post eum Cethegus: tardissime autem Lentulus venit, credo, quod in literis dandis, praeter consuetudinem, proxima nocte vigilarat

- 7 Quum vero summis ac clarissimis hujus civitatis viris, qui audita re, frequentes ad me mane convenerunt, literas a me prius aperiri, quam ad senatum referrem, placeret, ne, si nihil esset inventum, temere a me tantus tumultus injectus civitati videretur: negavi me esse facturum, ut de periculo publico non ad consilium publicum rem integram deferrem. Etenim, Quirites, si ea, quae erant ad me delata, reperia non essent: tamen ego non arbitrabar in tantis reipublicae periculis mihi esse nimiam diligentiam pertimescendam. Senatum frequentem celeriter, ut vidistis, 8 coëgi. Atque interea statim, admonitu Allobrogum, C. Sulpitium, praetorem, fortem virum, misi, qui ex aedibus Cethegi, si quid telorum esset, efferret; ex quibus ille maximum sicarum numerum et gladiatorum extulit.

IV. Introduxi Vulturcium sine Gallis; fidem ei publicam jussu senatus dedi; hortatus sum, ut ea, quae sciret, sine metu indicaret. Tum ille, quum vix se ex magno timore recreasset, dixit, a P. Lentulo se habere ad Catilinam mandata et literas, ut servorum praesidio uteretur, et ad urbem quam primum cum exercitu accederet: id autem eo consilio, ut, quum urbem omnibus ex partibus, quemadmodum descriptum distributumque erat, incendissent, caedemque infinitam civium fecissent; praesto esset ille, qui et fugientes exciperet, et se cum his urbanis ducibus conjungeret.

- 9 Introducti autem Galli, jusjurandum sibi et literas a P. Lentulo, Cethego, Statilio ad suam gentem datas esse dixerunt; atque ita sibi ab his et a L. Cassio esse praescriptum, ut equitatum in Italiam quam primum mitterent; pedestres sibi copias non defuturas; Lentulum autem sibi confirmasse ex fati Sibyllinis aruspicumque responsis, se esse tertium illum Cornelium, ad quem regnum hujus urbis atque imperium pervenire esset necesse; Cinnam ante se, et Sullam fuisse; eundemque dixisse, fatalem hunc esse annum ad interitum hujus urbis atque imperii, qui esset decimus annus post virginum absolutionem, post Capitolii autem incensionem vicesimus.

- 10 Hanc autem Cethego cum ceteris controversiam fuisse, dixerunt, quod Lentulo et aliis caedem Saturnalibus fieri, atque urbem incendi placeret, Cethego nimium id longum videri.

V. Ac, ne longum sit, Quirites, tabellas proferri iussimus, quae a quoque dicebantur datae. Primum ostendimus Cethego signum: cognovit. Nos linum incidimus: legimus. Erat scriptum ipsius manu, Allobrogum Senatui et populo sese, quae eorum legatis confirmasset, esse facturum; orare, ut item illi facerent, quae sibi legati eorum praecepissent. Tum Cethegus, qui paulo ante aliquid tamen de gladiis ac sicis, quae apud ipsum erant deprehensae, respondisset, dixissetque, se semper bonorum ferramentorum studiosum fuisse, recitatis literis debilitatus atque abjectus, conscientia convictus, repente conticuit. Introductus Statilius cognovit et signum et manum suam. Recitatae sunt tabellae in eandem fere sententiam: confessus est. Tum ostendi tabellas Lentulo, et quaesivi, cognosceretne signum? Adnuit. Est vero, inquam, notum quidem signum, imago avi tui, clarissimi viri, qui amavit unice patriam et cives suos; quae quidem te a tanto scelere etiam muta revocare debuit.

Leguntur eadem ratione ad senatum Allobrogum 11 literae. Si quid de his rebus dicere vellet, feci potestatem. Atque ille primo quidem negavit; post autem aliquanto, toto jam indicio exposito atque edito, surrexit: quaesivit a Gallis, quid sibi esset cum iis: quamobrem domum suam venissent; itemque a Vulturcio. Qui quum illi breviter constanterque respondissent, per quem ad eum, quotiesque venissent, quaesissentque ab eo, nihilne secum esset de fatis Sibyllinis loquutus: tum ille subito, scelere demens, quanta vis conscientiae esset, ostendit. Nam, quum id posset infitari, repente praeter opinionem omnium confessus est. Ita eum non modo ingenium illud, et dicendi exercitatio, qua semper valuit, sed etiam, propter vim sceleris manifesti atque deprehensi, impudentia, qua superabat omnes, improbitasque defecit.

Vulturcius vero subito proferri literas atque aperiri iussit, quas sibi a Lentulo ad Catilinam datas esse dicebat. Atque ibi vehementissime perturbatus Lentulus, tamen et signum suum et manum cognovit. Erant autem scriptae sine nomine, sed ita: *Qui sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. Cura, ut vir sis, et, quem in locum sis progressus, cogita; et vide, quid jam tibi sit necesse. Cura, ut omnium tibi auxilia adjungas, etiam infimorum.* Gabinius deinde introductus, quum primo im-

puenter respondere coepisset, ad extremum, nihil ex his quae Galli insimulabant, negavit.

- 13 Ac mihi quidem, Quirites, quum illa certissima sunt visa argumenta atque indicia sceleris, tabellae signa, manus, denique uniuscujusque confessio: tum multo illa certiora, oculi, color, vultus, taciturnitas. Sic enim obstuperant, sic terram intuebantur, sic furtim nonnumquam inter se adspiciebant, ut non jam ab illis indicari, sed ipsi a se viderentur.

VI. Indiciis expositis atque editis, Quirites, senatum consului, de summa reipublicae quid fieri placeret. Dictae sunt a principibus acerrimae ac fortissimae sententiae, quas senatus sine ulla varietate est consequutus. Et quoniam nondum est perscriptum senatus consultum, ex memoria vobis, Quirites, quid senatus censuerit, exponam.

- 14 Primum mihi gratiae verbis amplissimis aguntur, quod virtute, consilio, providentia mea respublica periculis sit maximis liberata; deinde Flaccus, et C. Pontinus, praetores, quod eorum opera forti fidelique usus essem, merito ac jure laudantur; atque etiam viro forti, collegae meo, laus impertitur, quod eos, qui hujus conjurationis participes fuissent, a suis et a reipublicae consiliis removisset; atque ita censuerunt, ut P. Lentulus, quum se praetura abdicasset, tum in custodiam traderetur; itemque uti C. Cethegus, L. Stilius, P. Gabinus, qui omnes praesentes erant, in custodiam traderentur; atque idem hoc decretum est in L. Cassium, qui sibi procurationem incendendae urbis depoposcerat; in M. Caeparium, cui ad sollicitandos pastores Apuliam esse attributam erat indicatum; in P. Furium, qui est ex his coloniis, quas Fesulas L. Sulla deduxit; in Q. Manlium Chilonem, qui una cum hoc Furio semper erat in hac Allobrogum sollicitatione versatus; in P. Umbrenum, libertinum hominem, a quo primum Gallos ad Gabinium perductos esse constabat.

Atque ea lenitate senatus est usus, Quirites, ut tanta conjuratione, tantaque vi ac multitudine domesticorum hostium, novem hominum perditissimum poena, respublica conservata, reliquorum mentes sanari posse arbitraretur. Atque etiam supplicatio diis immortalibus pro singulari eorum, merito meo nomine decreta est, Quirites, quod mihi primum post hanc

urbem conditam togato contigit, et his decreta verbis est, *quod urbem incendiis, caede cives, Italiam bello liberasset*. Quae supplicatio si cum ceteris supplicationibus conferatur, Quirites, hoc interest, quod ceterae bene gesta, haec una, conservata republica, constituta est. Atque illud, quod faciendum primum fuit, factum atque transactum est. Nam P. Lentulus, quamquam patefactus indiciis, et confessionibus suis, iudicio senatus, non modo praetoris jus verum etiam civis amiserat, tamen magistratu se abdicavit: ut, quae religio C. Mario, clarissimo viro, non fuerat, quo minus C. Glauciam, de quo nihil nominatim erat decretum, praetorem occideret, ea nos religione in privato P. Lentulo puniendo liberaremur.

VII. Nunc, quoniam, Quirites, sceleratissimi periculosissimique belli nefarios duces captos jam et comprehensos tenetis, existimare debetis, omnes Catilinae copias, omnes spes atque opes, his depulsis urbis periculis, concidisse. Quem quidem ego quum ex urbe pellebam, hoc providebam animo, Quirites, remoto Catilina, nec mihi esse P. Lentuli somnum, nec L. Cassii adipem, nec Cethegi furiosam temeritatem pertimescendam. Ille erat unus timendus ex his omnibus, sed tamdiu, dum moenibus urbis continebatur. Omnia norat, omnium aditus tenebat, adpellare, tentare, sollicitare poterat, audebat; erat ei consilium ad facinus aptum: consilio autem neque lingua neque manus deerat. Jam ad ceteras res conficiendas certos homines delectos ac descriptos habebat: neque vero, quum aliquid mandaverat, confectum putabat. Nihil erat, quod non ipse obiret, occurreret, vigilaret, laboraret; frigus, sitim, famem ferre poterat.

Hunc ego hominem tam acrem, tam paratum, tam audacem, tam callidum, tam in scelere vigilantem, tam in perditis rebus diligentem, nisi ex domesticis insidiis in castrense latrocinium compulsissem (dicam id, quod sentio, Quirites), non facile hanc tantam molem mali a cervicibus vestris depulissem. Non ille nobis Saturnalia constituisset, neque tanta ante exitii ac fati diem reipublicae denuntiasset, neque commississet, ut signum, ut literae suae testes denique manifesti sceleris deprehenderentur. Quae nunc, illo absente, sic gesta sunt, ut nullum in privata domo furtum umquam sit tam palam inventum, quam haec

tanta in rempublicam conjuratio manifesto inventa atque deprehensa est. Quod si Catilina in urbe ad hanc diem remansisset; quamquam, quoad fuit, omnibus ejus consiliis occurri atque obstiti, tamen, ut levissime dicam, dimicandum nobis cum illo fuisset, neque nos umquam, dum ille in urbe hostis fuisset, tantis periculis rempublicam, tanta pace, tanto silentio liberassemus.

18 VIII. Quamquam haec omnia, Quirites, ita sunt a me administrata, ut deorum immortalium nutu atque consilio et gesta et provisa esse videantur. Idque quum conjectura consequi possumus, quod vix videtur humani consilii tantarum rerum gubernatio esse potuisse, tum vero ita praesentes his temporibus opem et auxilium nobis tulerunt, ut eos paene oculis videre possemus. Nam, ut illa omittam, visas nocturno tempore ab occidente fasces ardoremque coeli; ut fulminum jactus, ut terrae motus, ut cetera, quae tam multa nobis consulibus, facta sunt, ut haec, quae nunc fiunt, canere dii immortales viderentur: hoc certe, Quirites, quod sum dicturus, neque praetermittendum, neque relinquendum est.

19 Nam profecto memoria tenetis, Cotta et Torquato coss. complures in capitolio turres de coelo esse percussas, quum et simulacra deorum immortalium depulsa sunt, et statuae veterum hominum dejectae, et legum aera liquefacta. Tactus est ille etiam, qui hanc urbem condidit, Romulus: quem inauratum in capitolio parvum atque lactentem, uberibus lupinis inhiantem, fuisse meministis. Quo quidem tempore, quum aruspices ex tota Hetruria convenissent, caedes atque incendia, et legum interitum, et bellum civile ac domesticum, et totius urbis atque imperii occasum adpropinquare dixerunt, nisi dii immortales omni ratione placati, suo numine prope fata ipsa flexissent.

20 Itaque illorum responsis tunc et ludi decem per dies facti sunt, neque res ulla, quae ad placandum deos pertinet, praetermissa est: iidemque jusserunt, simulacrum Jovis facere majus, et in excelso collocare, et contra, atque ante fuerunt, ad orientem convertere; ac se sperare dixerunt, si illud signum, quod videtis, solis ortum et forum curiamque conspiceret, fore, ut ea consilia, quae clam essent inita, contra salutem urbis atque imperii, illustrarentur, a. S. P.

Q. R. perspici possent. Atque illud ita collocandum consules illi statuerunt: sed tanta fuit operis tarditas, ut neque a superioribus consulibus, neque a nobis ante hodiernum diem collocaretur.

IX. Hic quis potest esse, Quirites, tam aversus a 21  
 vero, tam praeceps, tam mente captus, qui neget, haec omnia, quae videmus, praecipueque hanc urbem, deorum immortalium nutu atque potestate administrari? Etenim quum esset ita responsum, caedes, incendia, interitumque reipublicae comparari, et ea a perditis civibus, quae tum propter magnitudinem scelerum nonnullis incredibilia videbantur: ea non modo cogitata a nefariis civibus, verum etiam suscepta esse sensitis. Illud vero nonne ita praesens est, ut nutu Jovis Opt. Max. factum esse videatur, ut, quum hodierno die mane per forum meo jussu et conjurati et eorum indices in aedem Concordiae ducerentur, eo ipso tempore signum statueretur? quo collocato, atque ad vos senatumque converso, omnia et senatus et vos, quae erant contra salutem omnium cogitata, illustrata et patefacta vidistis.

Quo etiam majore sunt isti odio supplicioque di- 22  
 gni, qui non solum vestris domiciliis atque tectis, sed etiam deorum templis atque delubris sunt funestos ac nefarios ignes inferre conati: quibus ego, si me restitisse dicam, nimium mihi sumam, et non sim ferendus. Ille, ille Jupiter restitit, ille Capitolium, ille haec templa, ille hanc urbem, ille vos omnes salvos esse voluit. Diis ego immortalibus ducibus hanc mentem, Quirites, voluntatemque suscepi, atque ad haec tanta indicia perveni. Jam vero illa Allobrogum sollicitatio, sic a Lentulo ceterisque domesticis hostibus, tanta res tam dementer credita et ignotis et barbaris, e) commissaeque literae numquam essent profecto, nisi a diis immortalibus huic tantae audaciae consilium esset ereptum. Quid vero? ut homines Galli ex civitate male pacata, quae gens una restat, quae populo romano bellum facere et posse et non nolle videatur, spem imperii, et rerum amplissimarum ultro sibi a patriciis hominibus oblatam negligerent, vestramque salutem suis opibus anteponerent: id nonne divinitus factum esse putatis? praesertim qui nos non pugnando, sed tacendo superare potuerunt.

- 23 X. Quamobrem, Quirites, quoniam ad omnia pulvinaria supplicatio decreta est, celebratote illos dies cum conjugibus ac liberis vestris. Nam multi saepe honores diis immortalibus justi habiti sunt ac debiti, sed profecto justiores numquam. Erepti enim ex miserissimo et crudelissimo interitu, et erepti sine caede, sine sanguine, sine exercitu, sine dimicatione, togati,
- 24 me uno togato duce et imperatore, vicistis. Etenim recordamini, Quirites, omnes civiles dissensiones, neque solum eas, quas audistis, sed et has, quas vosmetipsi meministis et vidistis: L. Sulla P. Sulpicium oppressit, ejecit ex urbe C. Marium, custodem hujus urbis; multos fortesque viros partim ejecit ex civitate, partim interemit. Cn. Octavius consul armis ex urbe collegam suum expulit. Omnis hic locus acervis corporum et civium sanguine redundavit. Superavit postea Cinna cum Mario. Tum vero, clarissimis viris interfectis, lumina civitatis exstincta sunt. Ultus est hujus victoriae crudelitatem postea Sulla; nec dici quidem opus est, quanta deminutione civium, et quanta calamitate reipublicae. Dissensit M. Lepidus a clarissimo et fortissimo viro. Q. Catulo; attulit non tam ipsius interitus reipublicae luctum, quam ceterorum.
- 25 Atque ille dissensiones erant hujusmodi, Quiritus, quae non ad delendam, sed ad commutandam rempublicam pertinerent. Non illi nullam esse rempublicam, sed in ea, quae esset, se esse principes, neque hanc urbem conflagrare; sed se in hac urbe florere voluerunt. Atque illae tamen omnes dissensiones, quarum nulla exitium reipublicae quaesivit, ejusmodi fuerunt, ut non reconciliatione concordiae, sed internectione civium dijudicatae sint. In hoc autem uno post hominum memoriam maximo crudelissimoque bello, quale bellum nulla umquam barbaria cum sua gente gessit, quo in bello lex haec fuit a Lentulo, Catilina, Cassio, et Cethego constituta, ut omnes, qui salvi esse possent, in hostium numero ducerentur, ita me gessi, Quirites, ut omnes salvi conservarentur; et, quum hostes vestri tantum civium superfuturum putassent, quantum infinitae caedi restitisset; tantum autem urbis, quantum flamma obire non potuisset: et urbem et cives integros incolumesque servavi.

XI. Quibus pro tantis rebus, Quirites, nullum ego <sup>26</sup>  
 a vobis praemium virtutis, nullum insigne honoris,  
 nullum monumentum laudis postulo, praeterquam hu-  
 jus diei memoriam sempiternam. In animis ego ve-  
 stris omnes triumphos meos, omnia ornamenta ho-  
 noris, monumenta gloriae, laudis insignia condi et col-  
 locari volo. Nihil me mutum potest delectare, nihil  
 tacitum, nihil denique hujusmodi, quod etiam minus  
 digni adsequi possint. Memoria vestra, Quirites, no-  
 strae res alentur, sermonibus crescent, literarum mo-  
 numentis inveterascent et corroborabuntur: eandem-  
 que diem intelligo, quam spero aeternam fore, et ad  
 salutem urbis, et ad memoriam consulatus mei propa-  
 gatam esse: unoque tempore in hac republica duos ci-  
 ves *f*) exstitisse, quorum alter fines vestri imperii, non  
 terrae sed coeli regionibus, terminaret; alter ejusdem  
 imperii domicilium sedemque servaret.

XII. Sed quoniam earum rerum, quas ego gessi, <sup>27</sup>  
 non est eadem fortuna atque conditio, quae illorum,  
 qui externa bella gesserunt; quod mihi cum his viven-  
 dum est, quos vici ac subegi; illi hostes aut interfe-  
 ctos aut oppressos reliquerunt, vestrum est, Quirites,  
 si ceteris recte facta sua prosunt, mihi mea ne quando  
 obsint, providere. Mentis enim hominum audacissi-  
 morum sceleratae ac nefariae ne vobis nocere possent,  
 ego providi: ne mihi noceant, vestrum est providere.  
 Quamquam, Quirites, mihi quidem ipsi nihil jam ab  
 istis noceri potest; magnum enim est in vobis praesi-  
 dium, quod mihi in perpetuum comparatum est: ma-  
 gna in republica dignitas, quae me semper tacita de-  
 fendet: magna vis est conscientiae, quam qui negli-  
 gent, quum me violare volent, se ipsi indicabunt.

Est etiam in nobis is animus, Quirites, ut non <sup>28</sup>  
 modo nullius audaciae cedamus, sed etiam omnes im-  
 probos ultro semper lacessamus. Quod si omnis im-  
 petus domesticorum hostium depulsus a vobis, se in  
 me unum converterit: vobis erit providendum, Quiri-  
 tes, qua conditione posthac eos esse velitis, qui se pro  
 salute vestra obtulerint invidiae periculisque omnibus.  
 Mihi quidem ipsi quid est, quod jam ad vitae fructum  
 possit acquiri, praesertim quum neque in honore ve-  
 stro neque in gloria virtutis quidquam videam altius,  
 quo quidem mihi libeat adscendere?

29 Illud perficiam profecto, Quirites, ut ea, quae gessi in consulatu, privatus tuear atque ornem: ut, si qua est invidia in conservanda republica suscepta, laedat invidos, mihi valeat ad gloriam. Denique ita me in republica tractabo, ut meminerim semper, quae gesserim, curemque, ut ea virtute non casu gesta esse videantur. Vos, Quirites, quoniam jam nox est, veneramini illum Jovem, custodem hujus urbis ac vestrum, atque in vestra tecta discedite; et ea, quamquam jam est periculum depulsum, tamen aequae ac priori nocte custodiis vigiliisque defendite. Id ne vobis diutius faciendum sit atque ut in perpetua pace esse possitis, providebo.

a) *Pons Mulvius*, ad initium viae Flaminiae, Hetruriam versus, conditus ab Aemilio Scauro Censore, hodie *Pontemole*.

b) *Praefecturae* dicebantur urbes seu oppida, quae neque juri- bus neque magistratibus suis gaudebant, et quibus *praefecti* Roma mittebantur. *Reate* in regione Sabinorum.

c) h. e. 17. Dec. Oratio haec habita est 3 Dec.

d) *Custodia* (*Gast*) differt a carcere (*Gefängniß*). Reus ordi- nis patricii aut magistratui aut senatori tradebatur, custodiendus (*zur Bewahrung*). Vide Sall. in Bello Catil. c. 47.

e) *Barbari* sunt Romanis omnes, qui aut Romani aut Gracchi non sunt. Hic autem sub hac voce simul notio stupidita- tis latet. Fides enim apud populos incultos, historia teste, minus colitur, quam apud cultiores. Solide igitur egit Len- tulus, qui barbaris, quibus nulla est religio, fidem fallere, sese credidit.

f) sc. Pompejum et Ciceronem.

#### Oratio IV.

habita in senatu.

1 I. **V**ideo, Patres Conscripti, in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos. Video vos, non solum de vestro ac reipublicae, verum etiam, si id depulsum sit, de meo periculo esse sollicitos. Est mihi jucunda in malis, et grata in dolore, vestra erga me voluntas: sed eam, per deos immortales! quaeso, deponite, atque obliti salutis meae, de vobis ac de liberis vestris cogitate. Mihi si haec conditio consulatus data est, ut omnes acerbitates, omnes dolores crucia- tusque perferrem; feram non salum fortiter, sed etiam

libenter, dummodo meis laboribus vobis populoque romano dignitas salusque pariat.

Ego sum ille consul, Patres Conscripti, cui non forum, in quo omnis aequitas continetur; non campus, consularibus auspiciis consecratus, non curia, summum auxilium omnium gentium; non domus commune perugium; non lectus, ad quietem datus; non denique haec sedes honoris, sella curulis, umquam vacua mortis periculo atque insidiis fuit. Ego multa tui, multa pertuli, multa concessi, multa meo quodam dolore sine vestro timore sanavi. Nunc, si hunc exitum consulatus mei dii immortales esse voluerunt, ut vos, Patres Conscripti, populumque romanum ex caede misera, conjuges liberosque vestros virginesque Vestales ex acerbissima vexatione; templa atque delubra, hanc pulcherrimam patriam omnium nostrum ex foedissima flamma: totam Italiam ex bello et vastitate eriperem: quaecumque mihi uni proponetur fortuna, subeatur. Etenim, si P. Lentulus suum nomen, inductus a vatibus, fatale ad perniciem reipublicae fore putavit: cur ego non laeter, meum consulatum ad salutem reipublicae prope fatalem exstitisse?

II. Quare, Patres Conscripti, consulite vobis, prospicite patriae, conservate vos, conjuges, liberos fortunisque vestras; populi Romani nomen salutemque a) defendite; mihi parcere ac de me cogitare desinite. Nam primum debeo sperare, omnes deos, qui huic urbi praesident, pro eo mihi, ac mereor, relatores gratiam esse; deinde, si quid obtigerit, aequo animo paratoque moriar. Neque enim turpis mors forti viro potest accidere, neque immatura consulari, neque misera sapienti. Nec tamen ego sum ille ferreus, qui fratris carissimi atque amantissimi praesentis moerore non movear, horumque omniumque lacrimis, a quibus me circumsessum videtis; neque meam mentem non domum saepe revocat exanimata uxor, abjecta metu filia, et parvulus filius, quem mihi videtur amplecti respublica tamquam obsidem consulatus mei; neque ille, qui exspectans hujus exitum diei, adstat in conspectu meo b) gener; moveor his rebus omnibus, sed in eam partem, ut salvi sint vobiscum omnes, etiamsi vis aliqua me oppresserit, potius, quam et illi, et nos una reipublicae peste pereamus.

4 Quare, Patres Conscripti, incumbite ad salutem reipublicae, circumspicite omnes procellas, quae impendent, nisi providetis. Non Tib. Gracchus, qui iterum tribunus plebis fieri voluit; non C. Gracchus, qui agrarios *e*) concitare conatus est, non L. Saturninus, qui C. Memmium occidit, in discrimen aliquod atque in vestrae severitatis iudicium adducitur; sed tenentur *d*) hi, qui ad urbis incendium, ad vestram omnium caedem, ad Catilinam accipiendum, Romae restiterunt. Tenentur literae, signa, manus, denique uniuscujusque confessio; sollicitantur Allobroges; servitia excitantur: Catilina arcessitur; id est initum consilium, ut, interfectis omnibus, nemo ne ad deplorandum quidem reipublicae nomen atque ad lamentandam tanti imperii calamitatem relinquatur.

5 III. Haec omnia indices detulerunt, rei confessi sunt; vos multis jam iudiciis iudicastis: primum, quod mihi gratias egistis singularibus verbis, et mea virtute atque diligentia perditorum hominum patefactam esse conjurationem decrevistis: deinde quod P. Lentulum, ut se abdicaret praetura, coëgistis; tum quod eum et ceteros, de quibus iudicastis, in custodiam dandos censuistis: maximeque quod meo nomine supplicationem decrevistis: qui honos togato habitus ante me est ~~nomini~~: postremo hesterno die praemia legatis Allobrogum, Titoque Vulturcio dedistis amplissima. Quae sunt omnia ejusmodi, ut il, qui in custodiam nominatim dati sunt, sine ulla dubitatione a vobis damnati esse videantur.

6 Sed ego institui referre ad vos, Patres Conscripti, tamquam integrum, et de facto, quid iudicetis, et de poena, quid censeatis. Illa praedicam, quae sunt consulis. Ego magnum in republica versari furorem, et nova quaedam misceri et concitari mala jam pridem videbam: sed hanc tantam, tam exitiosam haberi conjurationem a civibus, numquam putavi. Nunc, quidquid est, quocumque vestrae se mentes inclinant atque sententiae, statuendum vobis *e*) ante noctem est. Quantum facinus ad vos delatum sit, videtis. Huic si paucos putatis adfines esse, vehementer erratis. Latius opinione disseminatum est hoc malum: manavit non solum per Italiam, verum etiam transcendit Alpes, et obscure serpens multas jam provincias occupavit. Id opprimi sustentando ac prolatando nullo pacto potest

Quacumque ratione placet, ceteriter vobis vindicandum est.

IV. Video duas adhuc esse sententias: unam D. 7  
 Silani, qui censet, eos, qui haec delere conati sunt, morte esse multandos: alteram C. Caesaris, qui mortis poenam removet, ceterorum suppliciorum omnes acerbitates amplectitur. Uterque et pro sua dignitate et pro rerum magnitudine in summa severitate versatur. Alter eos, qui nos omnes, qui *populum* romanum vita privare conati sunt, qui delere imperium, qui populi romani nomen extinguere, punctum temporis frui vita, et hoc communi spiritu non putat oportere; atque hoc genus poenae saepe improbos cives in hac republica esse usurpatum recordatur. Alter intelligit, mortem a diis immortalibus non esse supplicii causa constitutam, sed aut necessitatem naturae, aut laborum ac miseriarum quietem esse. Itaque eam sapientes nunquam inviti, fortes etiam saepe libenter oppetiverunt. Vincula vero, et ea sempiterna, certe ad singularem poenam nefarii sceleris inventa sunt, quae municipiis dispertiri jubet. Habere videtur ista res iniquitatem, si imperare velis: difficultatem, si rogare. Decernatur tamen, si placet.

Ego enim suscipiam, et, ut spero reperiam, qui §  
 id, quod salutis omnium causa statueritis, non putet esse suae dignitatis recusare. Adjungit gravem poenam municipibus, si quis eorum vincula ruperit: horribiles custodes circumdat, et digna scelere hominum perditorum. Sancit, ne quis eorum poenam, quos condemnat, aut per senatum, aut per populum levare possit. Eripit etiam spem, quae sola homines in miseriis consolari solet. Bona praeterea publicari jubet: vitam solam reliquit nefariis hominibus: quam si eripuisset, multas uno dolore animi atque corporis, et omnes scelerum poenas ademisset. Itaque ut aliqua in vita formido improbis esset posita, apud inferos ejusmodi quaedam illi antiqui supplicia impiis constituta esse voluerunt: quod videlicet intelligebant, his remotis, non esse mortem ipsam pertimescendam.

V. Nunc, Patres Conscripti, ego mea video quid 9  
 intersit. Si eritis sequuti sententiam C. Caesaris: quoniam hanc is in republica viam, quae popularis habetur, sequutus est, fortasse minus erunt, hoc auctore et cognitore hujusce sententiae, mihi populares im-

petus pertimescendi, sin illam alteram, nescio an amplius mihi negotii contrahatur, sed tamen meorum periculorum rationes utilitas reipublicae vincat. Habemus enim a C. Caesare, sicut ipsius dignitas et majorum ejus amplitudo postulabat, sententiam, tamquam obsidem perpetuae in rempublicam voluntatis. Intellectum est, quid intersit inter lenitatem concionatorum, et animum vere popularem, saluti populi consulentem.

10 Video de istis, qui se populares haberi volunt, abesse non neminem, ne de capite videlicet civium romanorum sententiam ferat. Is et nudius tertius in custodiam cives romanos dedit, et supplicationem mihi decrevit, et indices hesterno die maximis praemiis adfecit. Jam hoc nemini dubium est, qui reo custodiam, quaesitori *f*) gratulationem, indici praemium decrevit, quid de tota re et causa judicavit. At vero C. Caesar intelligit, legem Sempronianam *g*) esse de civibus romanis constitutam. Qui autem reipublicae sit hostis, eum civem esse nullo modo posse: denique ipsum latorem legis Sempronianae jussu populi poenas reipublicae dependisse. Idem ipsum Lentulum largitorem et prodigum, non putat, quum de pernicie populi romani, exitio hujus urbis tam acerbè, tamque crudeliter cogitarit, adpellari posse popularem. Itaque homo mitissimus atque lenissimus non dubitat P. Lentulum aeternis tenebris vinculisque mandare: et sancit in posterum, ne quis hujus supplicio levando se jactare, ut in pernicie populi romani posthac popularis esse possit. Adjungit etiam publicationem bonorum, ut omnes animi cruciatus et corporis etiam egestas ac mendicitas consequatur.

11 VI. Quamobrem sive hoc statueritis, dederitis mihi comitem ad concionem, populo carum atque jucundum: sive Silani sententiam sequi malueritis, facile me atque vos a crudelitatis vituperatione defenditis: atque obtinebo, eam multo leviozem fuisse.

Quamquam, Patres Conscripti, quae potest esse in tanti sceleris immanitate puniendae crudelitas? ego enim de meo sensu judico. Nam ita mihi salva republica vobiscum perfrui liceat, ut ego, quod in hac causa vehementior sum. non atrocitate animi moveor, (quis enim est me mitior?) sed singulari quadam humanitate et misericordia. Videor enim mihi hanc urbem

videre, lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium, subito uno incendio concidentem: cerno animo sepulta in patria miseros atque insepultos acervos civium: versatur mihi ante oculos adspectus Cethegi et furor in vestra caede bacchantis.

Quum vero mihi proposui regnantem Lentulum, 11 sicut ipse se ex fati sperasse confessus est, purpuratum esse hunc Gabinium, cum exercitu venisse Catilinam, tum lamentationem matrum familias, tum fugam virginum atque puerorum, ac vexationem virginum Vestalium perhorresco, et, quia mihi vehementer haec videntur misera atque miseranda, idcirco in eos, qui ea perficere voluerunt, me severum vehementemque praebeo. Etenim quaero, si quis paterfamilias, liberis suis a servo interfectis, uxore occisa, incensa domo, supplicium de servis quam acerbissimum sumserit: utrum is clemens ac misericors, an inhumanissimus et crudelissimus esse videatur? mihi vero importunus ac ferreus, qui non dolore ac cruciatu *h)* nocentis suum dolorem cruciatumque lenierit. Sic nos in his hominibus, qui nos, qui conjuges, qui liberos nostros trucidare voluerunt: qui singulas uniuscujusque nostrum domos, et hoc universum reipublicae domicilium delere conati sunt: qui id egerunt, ut gentem Allobrogum in vestigiis hujus urbis, atque in cinere deflagrati imperii collocarent; si vehementissimi fuerimus, misericordes habebimur: sin remissiores esse voluerimus, summae nobis crudelitatis in patriae civiumque perniciæ fama subeunda est.

Nisi vero cuipiam L. Caesar, vir fortitissimus et 13 amantissimus reipublicae, crudelior nudius tertius visus est, quum sororis suae, feminae electissimae, virum *i)* praesentem et audientem, vita privandum esse dixit, quum avum *k)* jussu consulis interfectum, filiumque ejus impuberem, legatum a patre missum, in carcere necatum esse dixit: quorum, quod simile factum? quod initum delendae reipublicae consilium? largitionis voluntas, tum in republica versata est, et partium quaedam contentio. Atque illo tempore hujus avus *l)* Lentuli, clarissimus vir, armatus Gracchum est persecutus: et grave tum vulnus accepit, ne quid de summa dignitate reipublicae minueretur. Hic ad evertenda fundamenta reipublicae Gallos accessit, servitia concitat, Catilinam evocat, attribuit

nos trucidandos Cethego, ceteros cives interficiendos Gabinio, urbem inflammandam Cassio, totam Italiam vastandam diripiendamque Catilinae. Vereamini, censeo, ne in hoc scelere immani ac nefando nimis aliquid statuisse severe videamini: quum multo magis sit verendum, ne remissione poenae crudeles magis in patriam, quam ne severitate animadversionis nimis vehementer in acerbissimos hostes fuisse videamur.

14 VII. Sed ea, quae exaudio, Patres Conscripti, dissimulare non possum. Jactantur enim voces, quae perveniunt ad aures meas, eorum, qui vereri videntur, ut habeam satis praesidii ad ea, qua vos staueritis hodierno die, transigenda. Omnia et provisa, et parata, et constituta sunt, Patres Conscripti, quum mea summa cura atque diligentia, tum multo etiam majore populi romani ad summum imperium retinendum et ad communes fortunas conservandas voluntate. Omnes adsunt omnium ordinum homines, omnium denique aetatum; plenum est forum, plena templa circa forum, pleni omnes aditus hujus loci ac templi. Causa enim est post urbem conditam haec inventa sola, in qua omnes sentirent unum atque idem, praeter eos, qui quum sibi viderent esse pereundum, cum omnibus potius, quam soli perire voluerant.

15 Hosce ego homines excipio, et secerno libenter. Neque enim ii improborum civium, sed in acerbissimorum hostium numero habendos puto. Ceteri vero, dii immortales! qua frequentia, quo studio, qua virtute ad communem dignitatem salutemque consentiunt? Quid ego hic equites romanos commemorem? qui vobis ita summam ordinis consillique concedunt, ut vobiscum de amore reipublicae certent; quos ex multorum annorum dissensione ad hujus ordinis societatem concordiamque revocatos hodiernus dies vobiscum atque haec causa *m*) conjungit: quam conjunctionem si in consulatu confirmatam meo, perpetuam in republica tenuerimus; confirmo vobis, nullum posthac malum civile ac domesticum ad ullam reipublicae partem esse venturum. Pari studio defendendae reipublicae convenisse video tribunos aerarios *n*), fortissimos viros: scribas item universos: quos quum casu hic dies ad aerarium frequentasset, video ab expectatione sortis ad communem salutem esse conversos. Omnis ingenuorum adest multitudo, etiam te-

nuissimorum. Quis est enim, cui non haec templa, adspectus urbis, possessio libertatis, denique lux haec ipsa, et hoc commune patriae solum quum sit carum, tum vero dulce atque jucundum?

VIII. Operae pretium est, Patres Conscripti, libertinorum hominum studia cognoscere, qui sua virtute fortunam civitatis consequuti, hanc vere suam patriam esse judicant: quam quidam hinc nati, et summo nati loco, non patriam suam, sed urbem hostium judicaverunt. Sed quid ego hujusce ordinis homines commemorem, quos privatae fortunae, quos communis respublica, quos denique libertas ea, quae dulcissima est, ad salutem patriae defendendam excitavit? servus est nemo, qui modo tolerabili conditione sit servitutis, qui non audaciam civium perhorrescat; qui non haec stare cupiat, qui non tantum, quantum audet, et quantum potest, conferat ad communem salutem, voluntatis.

Quare si quem vestrum forte commovet hoc, quod 17  
auditum est, lenonem quemdam Lentuli concursare circum tabernas, pretio sperare sollicitari posse animos egentium atque imperitorum; est id quidem coeptum atque tentatum: sed nulli sunt inventi tam aut fortuna miseri, aut voluntate perditii, qui non ipsum illum sel-lae atque operis et quaestus quotidiani locum, qui non cubile ac lectum suum, qui denique non cursum hunc otiosum vitae suae salvum esse velit. Multo vero maxima pars eorum, qui in tabernis sunt; imo vero (id enim potius est dicendum) genus hoc universum amantissimum est otii. Etenim omne eorum instrumentum, omnis opera ac quaestus frequentia civium sustinetur, aliter otio: quorum si quaestus oclusis tabernis minui solet, quid tandem incensis futurum est?

Quae quum ita sint, Patres Conscripti, vobis populi romani non desunt praesidia: vos ne populo romano deesse videamini, providete.

IX. Habetis consulem ex plurimis periculis et insidiis atque ex media morte non ad vitam solum, sed ad salutem vestram reservatum: omnes ordines ad conservandam rempublicam mente, voluntate, studio, virtute voce consentiunt: obsessa facibus et telis impiae conjurationis, vobis supplex manus tendit patria communis: vobis se, vobis vitam omnium civium, vobis arcem et capitolium, vobis aras Penatium, vobis illum

ignem Vestae perpetuum ac sempiternum, vobis omnia deorum templa atque delubra, vobis muros atque urbis tecta commendat. Praeterea de vestra vita, de conjugum vestrarum, ac liberorum anima, de fortunis omnium, de sedibus, de focis vestris hodierno die vobis iudicandum est.

19 Habetis ducem, memorem vestri, oblitum sui; quae non semper facultas datur: habetis omnes ordines, omnes homines, universum populum romanum, id quod in civili causa hodierno die primum videmus, unum atque idem sentientem. Cogitate, quantis laboribus fundatum imperium, quanta virtute stabilitam libertatem, quanta deorum benignitate auctas exaggeratasque fortunas una nox paene deleverit. Id ne unquam posthac non modo confici, sed ne cogitari quidem possit a civibus, hodierno die providendum est. Atque haec, non ut vos, qui mihi studio paene praecurreritis, excitarem, loquutus sum: sed ut mea vox, quae debet esse in republica princeps, officio functa consulari videretur.

20 X. Nunc ante quam, Patres Conscripti, ad sententiam *o*) redeo, de me pauca dicam. Ego, quanta manus est conjuratorum, quam videtis esse permagnam, tantam me inimicorum multitudinem suscepisse video: sed eam esse iudico turpem, et infirmam, et contemptam et abjectam. Quod si aliquando alicujus furore et scelere concitata manus ista plus valuerit, quam vestra ac reipublicae dignitas: me tamen meorum factorum atque consiliorum numquam, Patres Conscripti, poenitebit. Etenim, quam illi mihi fortasse minitantur, omnibus est parata; vitae tantam laudem, quanta vos me vestris decretis honestatis, nemo est adsequutus. Ceteris enim semper bene gestae, mihi uni conservatae reipublicae gratulationem decrevistis.

21 Sit Scipio clarus, ille, cujus consilio atque virtute Hannibal in Africam redire, atque ex Italia decedere coactus est: ornetur alter eximia laude Africanus, qui duas urbes huic imperio infestissimas, Carthaginem Numantiamque, deleverit: habeatur vir egregius L. Paullus, ille, cujus currum rex potentissimus quondam et nobilissimus, Perses honestavit, sit in aeterna gloria Marius, qui bis Italiam obsidione et metu liberavit servitutis: anteponatur omnibus Pompejus, cujus res gestae atque virtutes iisdem, quibus solis

arsus, regionibus ac terminis continentur. Erit profecto inter horum laudes aliquid loci nostrae gloriae: nisi forte majus est patefacere nobis provincias, quo exire possimus, quam curare, ut etiam illi, qui absunt, habeant, quo victores revertantur.

Quamquam est uno loco conditio melior externae 22  
victoriae quam domesticae; quod hostes alienigenae aut oppressi serviunt, aut recenti beneficio se obligatos putant: qui autem ex numero civium, dementia aliqua depravati, hostes patriae semel esse coeperunt, eos, quum a pernicie reipublicae repuleris, nec vi coërcere, nec beneficio placare possis. Quare mihi cum perditis civibus aeternum bellum susceptum esse video: quod ego vestro bonorumque omnium auxilio, memoriaque tantorum periculorum, quae non modo in hoc populo, qui servatus est, sed etiam in omnium gentium sermonibus ac mentibus semper haerebit, a me atque a meis facile propulsari posse confido. Neque ulla profecto tanta vis reperietur, quae conjunctionem vestram equitumque romanorum, et tantam conspirationem bonorum omnium perfringere et labefactare possit.

XI. Quae quum ita sint, Patres Conscripti, pro 23  
imperio, pro exercitu, pro provincia, *p*) quam neglexi, pro triumpho ceterisque laudis insignibus, quae sunt a me propter urbis vestraeque salutis custodiam repudiata, pro clientelis hospitibusque provincialibus, quae tamen urbanis opibus non minore labore tueor, quam comparo: pro his igitur omnibus rebus, et pro meis in vos singularibus studiis, proque hac, quam conspiciatis, ad conservandam rempublicam diligentia, nihil aliud a vobis, nisi hujus temporis totiusque mei consulatus memoriam postulo: quae dum erit vestris mentibus infixae, firmissimo me muro septum esse arbitror. Quod si meam spem vis improborum fefellerit atque superaverit, commendo vobis parvum meum filium: cui profecto satis erit praesidii non solum ad salutem verum etiam ad dignitatem, si ejus, qui haec omnia suo solus periculo conservaverit, illum esse filium memineritis.

Quapropter de summa salute vestra, Patres Con- 24  
scripti, populique romani, de vestris conjugibus ac liberis, de aris ac focus, de fanis ac templis, de totius urbis tectis ac sedibus, de imperio, de libertate, de

salute Italiae, denique de universa republica decernite diligenter, ut instituitis, ac fortiter. Habetis, enim consulem, qui et parere vestris decretis non dubitet: et ea, quae statueritis, quoad vivet, defendere et per se ipsum praestare possit.

- a) i. e. dignitatemque populi romani.  
 b) C. Calpurnius Piso.  
 c) i. e. plebem pauperem et egentem: hinc agrorum divisionis studiosam.  
 d) vel custodia vel crimine.  
 e) quia lumen in senatum inferre non licuit; hinc senatus-consulta noctu iniecta erant irrita. Verendum etiam erat, ne conjuratorum, in carcere detentorum, amici aliquid contra rem publicam hac nocte molirentur.  
 f) *Quaesitor*, der Präsident der Untersuchung, der Oberrichter.  
 g) C. Sempronius Gracchus legem tulerat, ne quis civis injussu populi necaretur.  
 h) Si quis civis a servo occisus est, *vetere ex more*, ut ait Tacitus, *familiam omnem, quae sub eodem tecto mansiverat, ad supplicium agi oportebat*. Ceterum observe in hac lege inhumana humanitatem Ciceronis, qui non omnium servorum supplicio, sed tantum nocentis cruciatu suum dolorem cruciatumque leniendum censet.  
 i) Publium Lentulum, praetorem.  
 k) Lucii Caesaris, nec non Lentuli avus maternus erat M. Fulvius Flaccus, consularis, qui a C. Gracchi partibus steterat, et cum eo cecidit. Ejus filiorum alter in proelio occisus est, alter 18 annorum adolescens in carcere necatus est.  
 l) sc. paternus.  
 m) Scissio erat inter ordinem patricium et equestrem judiciorum causa, quae Sulla, equitibus abrogata, patribus restituit, Lucius vero Aurelius Cotta ordinibus patricio, equestri et plebejo communia esse voluit.  
 n) *Tribuni aerarii*, ordinis plebeji, quaestoribus numerabant militum stipendia; judiciis etiam adhibebantur.  
 o) sc. rogandam.  
 p) sc. Macedonia, quae Ciceroni obtigerat, et quam collegae Antonio, ut eum, Catilinae partibus faventem, reipublicae lucraretur, ultro concessit. Erat vero cum hac provincia conjunctus exercitus cum imperio et spes triumphi.

## O r a t i o

ad

## Q u i r i t e s

post reditum \*).

## A r g u m e n t u m.

**P.** *Lentulo et Q. Metello coss. quum, agente Lentulo, deprecante Cn. Pompejo ab exsilio revocatus esset Cicero, in quo sedecim menses fuerat: populo in hac oratione gratias egit. Omnis ergo oratio versatur in demonstranda beneficii sibi tributi magnitudine; quod haec ipsa est grati animi significatio, quum, quantum sit beneficium, intelligere nos ostendimus, et facilius fidem facimus, gratum nobis beneficium esse. Haec demonstratio duas partes habet: prima bonparat hunc praesentem statum suum, quem populo debe fiat, cum superiore, eumque huic longe praefert, quamquam et illum amplissimum fuisse fateatur: altera autem restitutionem suam comparat cum restitutione aliorum consularium, P. Popilii, Q. Metelli Numidici et C. Marii, sequae multo honorificentius esse restitutum ostendit; quum illi, deprecantibus propinquis multis, rogantibus tribunis, tantum restituti sint: ipse autem nemine praeter fratrem supplicante, Scto et lege, totius Italiae consensione, incredibili bonorum omnium studio, agente Lentulo, deprecante Pompejo, revocatus est. In conclusione populo suam fidem, pietatem omniaque pollicetur, quae ab homine grato in populum et rempublicam proficisci possint.*

**I.** *Quod precatus a Jove Optimo Maximo ceterisque diis immortalibus sum, Quirites, eo tempore, quum me fortunasque meas pro vestra incolumitate, otio concordiaque devovi, ut, si meas rationes umquam vestrae saluti anteposuissem, sempiternam poenam sustinerem, mea voluntate susceptam; sin et ea, quae ante gesseram a), conservandae civitatis causa gessissem, et illam miseram profectionem vestrae salutis gratia suscepissem: ut, quod odium scelerati et audaces in rempublicam et in omnes bonos conceptum jam diu contingerent, id in me uno potius, quam in optimo quoque et in civitate b) deficeret: hoc si animo in vos liberosque vestros fuissem, ut aliquando*

vos, Patres Conscriptos, Italiamque universam e) memoria mei, misericordia, desideriumque teneret: ejus devotionis me esse convictum iudicio deorum immortalium, testimonio senatus, consensu Italiae, confessione inimicorum, beneficio divino immortalique vestro, maxime laetor, Quirites. Etsi homini nihil est magis optandum, quam prospera, aequabilis perpetuaque fortuna, secundo vitae sine ulla offensione cursu: tamen si mihi tranquilla et placata omnia fuissent, incredibili quadam et paene divina, qua nunc vestro beneficio fruor, laetitiae voluptate caruissem. Quid dulcius hominum generi a natura datum est, quam sui cuique liberi? mihi vero et propter indulgentiam meam, et propter excellens eorum ingenium vita sunt  
 3 pti, quam nunc sunt restituti. Nihil cuiquam fuit unquam jucundius, quam mihi meus frater; non tam id sentiebam, quum fruebar, quam tunc, quum carebam, et posteaquam vos me illi, et mihi eum reddidistis. Res familiaris sua quemque delectat: reliquae meae fortunae recuperatae plus mihi nunc voluptatis adferunt, quam tunc incolumitates adferebant. Amicitiae, consuetudines, vicinitates, clientelae, ludi denique et dies festi quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quam fruendo. Jam vero honos, dignitas, locus, ordo, beneficia vestra, quamquam mihi semper clarissima visa sunt: tamen ea, nunc renovata, illustriora videntur, quam si obscurata non essent. Ipsa autem patria, dii immortales! dici vix potest, quid caritatis, quid voluptatis habet! quae species Italiae! quae celebritas oppidorum! quae forma regionum! qui agri! quae fruges! quae pulchritudo urbis! quae humanitas civium! quae reipublicae dignitas! quae vestra majestas! quibus ego omnibus antea rebus sic fruebar, ut nemo magis. Sed tamquam bona valetudo jucundior est iis, qui e gravi morbo recreati sunt, quam qui numquam aegro corpore fuerunt; sic ea omnia desiderata magis, quam adsidue percepta, delectant.

5 II. Quorsum igitur haec dispuo? quorsum? ut intelligere possitis, neminem umquam tanta eloquentia fuisse, neque tam divino atque incredibili genere dicendi, qui vestrorum magnitudinem multitudinemque beneficiorum, quae in me fratremque meum et libe-

ros nostros contulistis, non modo augere aut ornare oratione, sed enumerare aut consequi possit. A parentibus, id quod necesse erat, parvus sum procreatus; a vobis natus sum consularis. Illi mihi fratrem, incognitum, qualis futurus esset, dederunt: vos spectatum et incredibili pietate cognitum reddidistis. Rempublicam illis accepi temporibus eam, quae paene amissa est: a vobis jam recuperavi, quam aliquando omnes unius *d*) opera servatam judicaverunt. Dii immortales mihi liberos dederunt, vos reddidistis: multa praeterea a diis immortalibus optata consequuti sumus: nisi vestra voluntas fuisset, omnibus divinis muneribus caruissemus: vestros denique honores, quos eramus gradatim singulos adsequuti, nunc a vobis universos habemus: ut, quantum antea parentibus, quantum diis immortalibus, quantum vobismet ipsis, tantum hoc tempore universim cuncto populo romano debeamus. Nam, quum in ipso beneficio vestro tanta magnitudo est, ut eam complecti oratione non possim: tum in studiis vestris tanta animorum declarata est voluntas, ut non solum calamitatem mihi detraxisse, sed etiam dignitatem auxisse videamini.

III. Non enim pro meo reditu, ut pro P. Popillio *e*), nobilissimi hominis, adolescentis filii, et multi praeterea cognati atque adfines deprecati sunt: non, ut pro Q. Metello, clarissimo viro, jam spectata aetate filius *f*): non L. Diadematus *g*), consularis, summa auctoritate vir: non C. Metellus censorius, non eorum liberi, non Q. Metellus Nepos, qui tum consulatum petebat, non sororum filii, Luculli, Servilii, Scipiones: permulti enim tum Metelli aut Metellorum libri pro Q. Metelli reditu vobis ac patribus vestris supplicaverunt. Quod si ipsius summa dignitas maximaeque res gestae non satis valerent: tamen filii pietas, propinquorum preces, adolescentium squalor, majorum natu lacrimae populum romanum movere poterunt. Nam C. Marii, qui post illos veteres clarissimos consulares, vestra patrumque memoria, tertius ante me consularis subiit indignissimam fortunam praestantissima sua gloria, dissimilis fuit ratio. Non enim ille deprecatione rediit, sed in discessu civium, exercitu se armisque revocavit. Me autem nudum a propinquis, nulla cognatione munitum, nullo armorum ac tumultus metu, C. Pisonis, generi mei divina

quaedam et inaudita auctoritas atque virtus, fratrisque  
 8 mei miserrimi atque optimi quotidianae lacrimae sordesque lugubres a vobis deprecatae sunt. Frater erat unus, qui suo squalore vestros oculos inflecteret: qui suo fletu desiderium mei memoriamque renovaret: qui statuerat, Quirites, si vos me sibi non reddidissetis, eandem subire fortunam: et tanto in me amore existit, ut negaret, fas esse non modo domicilio, sed ne sepulcro quidem se a me esse sejunctum. Pro me praesente senatus, hominumque praeterea viginti milia vestem mutaverunt: pro eodem me absente unius squalorem sordesque vidistis. Unus hic, qui in foro posset esse, mihi pietate filius inventus est beneficio parens, amore idem, qui semper fuit, frater. Nam conjugis miserae squalor et luctus, atque optimae filiae moeror adsiduus, filiique parvi desiderium mei lacrimaeque pueriles, aut itineribus necessariis aut magnam partem tectis ac tenebris continebantur.

IV. Quare hoc majus est vestrum in nos promeritum, quod non multitudini propinquorum, sed nobismet ipsis reddidistis. Sed quemadmodum propinqui,  
 9 quos ego parare non potui, mihi ad deprecandam calamitatem meam non adfuerunt: sic illud, quod mea virtus praestare debuit, adjuutores, auctores hortatoresque ad me restituendum ita multi fuerunt, ut longe superiores omnes hac dignitate copiaque superarem. Numquam de P. Popilio, clarissimo atque fortissimo viro; numquam de C. Mario, custode civitatis atque  
 10 imperii vestri, in senatu mentio facta est. Tribuniciis superiores illi rogationibus, nulla auctoritate senatus sunt restituti. Marius vero non modo non a senatu, sed etiam oppresso senatu est restitutus: nec rerum gestarum memoria in reditu C. Marii, sed exercitus atque arma valuerunt: at de me ut *h*) valeret, semper senatus flagitavit: ut aliquando perficeretur, quum primum licuit, frequentia atque auctoritas perfecit. Nullus in eorum reditu motus municipiorum et coloniarum factus est; at me in patriam ter suis decretis Italia cuncta revocavit. Illi, inimicis interfectis, magna civium caede facta, reducti sunt; ego iis *i*), a quibus ejectus sum, provincias obtinentibus, inimico *k*) autem, optimo viro et mitissimo, altero consule referente reductus sum: quum is inimicus, qui ad meam perniciem vocem suam communibus hosti-

bus praebuisset, spiritu dumtaxat viveret, re quidem infra omnes mortuos amandatus esset.

V. Numquam de P. Popilio L. Opimius, fortissimus consul, numquam de Q. Metello non modo C. Marius, qui erat inimicus, sed ne is quidem, qui sequutus est, M. Antonius, homo eloquentissimus, cum A. Albino collega senatum aut populum est cohortatus. At pro me superiores consules *l*) semper, ut referrent, efflagitati sunt: sed veriti sunt, ne gratiae causa facere viderentur; quod alter mihi adfinis erat, alterius causam capitis receperam; qui provinciarum foedere irretiti *m*), totum illum annum querelas senatus, luctum bonorum, Italiae gemitum pertulerunt. Calendis vere Januariis posteaquam orba respublica consulis fidem, tamquam legitimi tutoris, imploravit, P. Lentulus consul, parens, deus, salus nostrae vitae, fortunae, memoriae, nominis, simul ac de solempni religione retulit, nihil humanarum rerum sibi prius, quam de me agendum iudicavit. Atque eo die confecta esset res, nisi is tribunus plebis, quem ego maximis beneficiis quaestorem consul ornaveram, quum et cunctus ordo, et multi cum summi viri orarent, et Cn. Oppius socer, optimus vir, ad pedes ejus flens jaceret; noctem sibi ad deliberandum postulasset: quae deliberatio non in reddenda, quemadmodum nonnulli arbitrabantur, sed, ut patefactum est, in augenda mercede consumpta est. Postea res acta est in senatu alia nulla; quum variis rationibus impediretur, et voluntate tamen perfecta senatus causa ad vos mense Januario *n*) deferebatur. Hic tantum interfuit inter me, et inimicos meos. Ego, quum homines in tribunali Aurelio *o*) palam conscribi, centuriarique vidissem: quum intelligerem, veteres ad spem caedis Catilinae copias esse revocatas, quum viderem ex ea parte *p*) homines, ejus partis nos vel principes numerabamur, partim, quod mihi inviderent, partim, quod sibi timerent, aut potiores esse aut desertores salutis meae: quum duo consules, emti pactione provinciarum, auctores se inimicis reipublicae tradidissent; quum egestatem, avaritiam, libidines suas viderent expleri non posse, nisi me constrictum domesticis hostibus dedissent: quum senatus equitesque romani flere pro me, ac mutata veste vobis supplicare edictis atque imperiis vetarentur: quum omnium pro-

vinciarum pactiones, quum omnia cum omnibus foedera, reconciliationes gratiarum, sanguine meo sancirentur: quum omnes boni non recusarent, quin vel pro me vel mecum perirent: armis decertare pro mea salute nolui, quod et vincere et vinci luctuosum reipublicae fore putavi. At inimici mei mense Januario quum de me ageretur, corporibus civium trucidatis, flumine sanguinis meum reditum intercludendum putaverunt.

14 VI. Itaque quum ego abfui, eam rempublicam habuistis, ut aequae me, atque illam restituendam putaretis. Ego autem in qua civitate nihil valeret senatus, omnis esset impunitas, nulla judicia, vis et ferum in foro versarentur: quum privati se parietum praesidio, non legum tuerentur: tribuni plebis vobis inspectantibus vulnerarentur, ad magistratuum domos cum ferro et facibus iretur, consulis fasces frangerentur, deorum immortalium templa incenderentur: rempublicam esse nullam putavi. Itaque neque republica exterminata, mihi locum in hac urbe esse duxi, nec, si illa restitueretur, dubitavi, quin me secum ipsa re-

15 duceret. An ego, quum mihi esset exploratissimum, P. Lentulum proximo anno consulem futurum, qui illis ipsis reipublicae periculosissimis temporibus aedilis curulis, me consule omnium meorum consiliorum particeps periculorumque socius fuisset, dubitarem, quin is me, confectum consularibus vulneribus, consulari medicina ad salutem reduceret? Hoc duce, collega auiem ejus clementissimo atque optimo viro, primo non adversante, post etiam adjuvante, reliqui magistratus paene omnes fuerunt defensores salutis meae, ex quibus excellenti animo, virtute auctoritate, praesidio, q) copiis T. Annius et P. Sextius praestanti in me benevolentia et divino studio exstiterunt; eodemque P. Lentulo auctore, et pariter referente collega, frequentissimus senatus, uno r) dissentiente, nullo intercedente, dignitatem meam, quibus potuit, verbis amplissimis ornavit, salutem vobis, municipiis

16 coloniisque omnibus commendavit. Ita me, nudum a propinquis, nulla cognatione munitum, consules, praetores, tribuni plebis, senatus, Italia cuncta semper a vobis deprecata est: denique omnes, qui vestris beneficiis maximis honoribusque sunt ornati, producti ad vos ab eodem, non solum ad me conservandum vos

cohortati sunt, sed etiam rerum mearum gestarum auctores, testēs, laudatores fuerunt.

VII. Quorum princeps ad cohortandos vos et ad rogandos fuit Cn. Pompejus, vir omnium, qui sunt, fuerunt, erunt, virtute, sapientia ac gloria princeps; qui mihi unus uni privato amico eadem omnia dedit, quae universae reipublicae, salutem, otium, dignitatem: cujus oratio fuit; quemadmodum accepi, tripartita; primum vos docuit, meis consiliis rempublicam esse servatam, causamque meam cum communi salute conjunxit; hortatusque est, ut auctoritatem senatus, statum civitatis, fortunas civis bene meriti defenderetis: tum in perorando posuit, vos rogari a senatu, rogari ab equitibus romanis, rogari ab Italia cuncta: denique ipse ad extremum pro mea vos salute non rogavit solum, verum etiam obsecravit. Huic ego homini, Quirites, tantum debeo, quantum hominem homini debere vix fas est. Hujus consilia, P. Lentuli sententiam, senatus auctoritatem vos sequuti, in eo me loco, in quo vestris beneficiis fueram, iisdem centuriis, quibus collocaratis, reposuistis. Eodem tempore audistis eodem ex loco summos ornatissimos atque amplissimos, principes civitatis, omnes consulares, omnes praetorios eadem dicere, ut omnium testimonio per me unum rempublicam conservatam esse constaret. Itaque quum P. Servillus, gravissimus vir et ornatissimus civis, dixisset, opera mea rempublicam incolumem magistratibus deinceps traditam, dixerunt in eandem sententiam ceteri. Sed audistis eo tempore clarissimi viri non solum auctoritatem, sed etiam testimonium L. Gellii: qui, quia suam classem attentatam s) magno cum suo periculo paene sensit, dixit in concione vestra: *si ego consul, quum fui, non fuisset, rempublicam funditus interituram fuisse.*

VIII. En ego tot testimoniis, Quirites, hac auctoritate senatus, tanta consensione Italiae, tanta studio bonorum omnium, agente P. Lentulo, consentientibus ceteris magistratibus, deprecante Cn. Pompejo omnibus hominibus faventibus, diis denique immortalibus frugum ubertate, copia, vilitate redditum meum comprobantibus, mihi, meis, reipublicae restitutus, tantum vobis, quantum facere possum, Quirites, pollicebor: primum, qua sanctissimi homines pietate erga deos immortales esse solent, eadem me erga populum

romanum semper fore, numenque vestrum aequè mihi grave et sanctum, ac deorum immortalium in omni vita futurum: deinde, quoniam me in civitatem rem publicam ipsa reduxit, nullo me loco reipublicae defuturum. Quod si quis existimat, me aut voluntate esse mutata, aut debilitata virtute, aut animo fracto, vehementer errat. Mihi, quod potuit vis et injuria et sceleratorum hominum furor detrahere, eripuit, abstulit, dissipavit: quod viro forti adimi non potest, id manet et permanebit. Vidi ego fortissimum virum, municipem meum, C. Marium; quoniam nobis quasi aliqua fatali necessitate non solum cum his, qui haec delere voluissent, sed etiam cum fortuna belligerandum fuit: eum tamen vidi, quum esset summa senectute, non modo non infracto animo propter magnitudinem calamitatis, sed confirmato atque renovato. Quem egomet dicere audivi, tum se fuisse miserum, quum carere patria, quam obsidione liberavisset: quum sua bona possideri ab inimicis ac diripi audiret: quum adolescentem filium videret ejusdem socium calamitatis: quum in paludibus demersus, concursu ac misericordia Minturnensium *t*), corpus, ac vitam suam conservasset: quum parva navicula trajectus in Africam, quibus regna ipse dederat, ad eos inops supplexque venisset: recuperata vero sua dignitate, se non commissurum, ut, quum ea, quae amiserat, sibi restituta essent, virtutem animi non haberet, quam numquam perdidisset. Sed hoc inter me atque illum interest: quod ille, qua re plurimum potuit, ea ipsa re inimicos suos ultus est, armis; ego, quae consuevi, utar: quoniam illi arti in bello ac seditione locus est, huic in pace atque otio. Quamquam ille animo irato nihil nisi de inimicis ulciscendis agebat: ego de ipsis inimicis tantum, quantum mihi respublica permittet, cogitabo.

IX. Denique, Quirites, quoniam me quatuor omnino genera hominum violarunt: unum eorum, qui odio reipublicae, quod eam ipsis invitis conservarem, mihi inimicissimi fuerunt: alterum, qui per simulationem amicitiae nefarie prodiderunt: tertium, qui quum propter inertiam suam, eadem adsequi non possent, inviderunt laudi et dignitati meae: quartum, qui quum custodes reipublicae esse debuerunt, salutem meam, statum civitatis, dignitatem ejus imperii, quod erat penes ipsos *u*), vendiderunt; sic ulciscar facinorum sin-

gula, quemadmodum a quibusque sum provocatus; malos cives, rempublicam bene gerendo: perfidos amicos, nihil credendo atque omnia cavendo: invidos, virtuti et gloriae serviendo: mercatores provinciarum revocando domum, atque ab iis provinciarum rationem repetendo *x*. Quamquam mihi majori curae est, quemadmodum quidem vobis, qui de me estis optime meriti, gratiam referam, quam, quemadmodum inimicorum injurias crudelitatemque persequar. Etenim ulciscendae injuriae facilius ratio est, quam beneficii remunerandi, propterea quod superiorem esse contra improbum, minus est negotii, quam bonis exaequari: tum etiam ne tam necessarium quidem est, male meritis quam optime meritis, referre, quod debeas. Odium vel precibus mitigari potest, vel temporibus reipublicae communique utilitate deponi, vel difficultate ulciscendi teneri vel vetustate sedari. Bene meritis quin colas, nec exorari fas est, nec id reipublicae repetere utcumque necesse est, neque est excusatio difficultatis, neque aequum est, tempore et die memoriam beneficii definire. Postremo, qui in ulciscendo remissior fuit, mox aperte laudatur: at gravissime vituperatur, qui in tantis beneficiis, quanta vos in me contulistis, remunerandis est tardior: neque solum ingratus, quod ipsum grave est, verum etiam impius adpellatur, necesse est. Atque in officio persolvendo dissimilis est ratio, pecuniae debitae, propterea quod pecuniam qui retinet, non dissolvit: qui reddidit, non habet: gratiam et qui retulit, habet; et qui habet, dissolvit.

X. Quapropter memoriam vestri beneficii colam benevolentia sempiterna, non solum dum anima spirabo mea, sed etiam cum mortuo monumenta vestri in me beneficii permanebunt. In referenda autem gratia hoc vobis repromitto, semperque praestabo, mihi neque in consiliis de republica capiendis diligentiam; neque in periculis a republica propulsandis animum; neque in sententia simpliciter referenda fidem; neque in hominum voluntatibus pro republica laedendis, libertatem; nec in perferendo labore industriam; nec in vestris commodis augendis gratam animi benevolentiam defuturam. Atque haec cura, Quirites, erit infixam animo meo sempiterna, ut quum vobis, qui apud me deorum immortalium vim et numen tenetis, tum posteris vestris cunctisque gentibus dignissimus ea

civitate videar, quae suam dignitatem non posse tenere se, nisi me recuperasset, cunctis suffragiis iudicavit.

- \*) De hac oratione inter criticos magna lis est, multi eandem Ciceronis opus esse negant, plures tamen adfirmant.
- a) scilicet consul adversus Catilinam ejusque socios.
- b) *Optimus, quisque*, senatores et optimates etiam *optimi* dicti a graeco *ἀριστοι*. *Civitas* ponitur hic pro domibus earumque incolis, Catilina enim cogitabat senatum interficere, urbemque cum infinita caede civium incendere.
- c) i. e. municipia et colonias, quae jure civitatis romanae gaudebant et comitiis centuriatis intererant.
- d) sc. mea unius opera.
- e) Popilius, qui Tiberium Gracchum interfecerat, a C. Graccho tribuno plebis in exilium actus, a quo per Lucium Bestiam tribunum plebis, hortante L. Opimio cos., interlectore C. Gracchi, est revocatus.
- f) *Metelli*, a victo Jugurtha Numidiae rege *Numidicus* dicti, filius, quum pater in exilio viveret, lugubri indutus veste incedebat, et cognomen *Pii* promeruit.
- g) *Lucius Metellus*, Q. Metelli Macedonici filius, dictus est *Diadematus*, quia caput laesum diademate cingere debebat.
- h) sc. memoria factorum meorum.
- i) Consulibus anni praecedentis, Pisone et Gabinio, quorum ille Macedoniam, hic Syriam obtinebat.
- k) Qu. Metellus, hujus anni consul, tum, quum Cicero consulatu decederet, tribunus plebis vetuit, orationem a Cicerone haberi ad populum; quo facto primus eundem induxit in invidiam. Quem deinde plures sequuti sunt, in primis P. Clodius ejusdem frater. Sed consul ad saniora rediit consilia. Quum enim in senatu de Cicerone revocando mentio facta esset: non se opposuit; sed odium hominis civitati se condonare professus est.
- l) Cicero mense Martio exeunte urbe excesserat: et jam cal. Junii ejusdem anni, ac deinde saepius, universus senatus revocandum censuit, sed irrito conatu, quippe consulibus contrariis.
- m) P. Clodius consulibus, quas vellent, provincias pollicitus est, si sibi Ciceronem perdendum concederent.
- n) sc. 25. Januarii.
- o) Tribunal, ab Aurelio Cotta exstructum, ab eodem denominatum est.
- p) sc. senatus et bene sentientium.
- q) Praesidio, quo comitia tuebatur.

- r) Hunc unum alii Clodium, alii Attilium Gavianum esse volunt.
- s) L. Gellius in comitiis centuriatis, quibus Cicero revocatus est, erat classis custos, qui, ne inferendis numerandisque suffragiis fraus aliqua intercederet, invigilabat. Clodius eandem hanc classem quum attentaret, ut eam in suam perduceret sententiam, Gellius magno cum suo periculo Clodii conatus irritos fecit.
- t) Minturnae urbs ad fines Campaniae et Latii.
- u) Piso et Gabinius coss.
- x) Quod fecit in orationibus in Pisonem, et de provinciis consularibus.

### M. Tullii Ciceronis pro M. Marcello Oratio.

#### A r g u m e n t u m.

**M.** *Marcellus Pompejanarum partium in bello civili fuerat, neque tamen exire na persequutus erat, sed victo ad Pharsalum Pompejo, Mitylenas se contulerat, ibique otium literis solabatur, sine ullo patriae desiderio. Cui ut daret veniam reditumque in patriam concederet Caesar, quum esset a fratre ejus et senatu universo suppliciter rogatus, dolorem suum senatui condonavit. Quo facto hac oratione gratias Caesari amplissimas in senatu egit Cicero. Ea duas habet partes: quarum prima in laude hujus facti versatur, et est magnificentissimi verbis scripta; altera autem Caesaris de insidiis suspiciones esse inanes ostendit.*

I. Diuturni silentii, Patres Conscripti, quo eram his temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia, finem hodiernus dies attulit: idemque initium, quae vellem, quaeque sentirem, meo pristino more dicendi. Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam inauditamque clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam ac paene divinam tacitus nullo modo praeterire possum. Marco enim Marcello vobis, Patres Conscripti, reique publicae reddito, non solum illius, sed meam etiam vocem et auctoritatem, et vobis et reipublicae conservatam ac restitutam puto. Dolebam enim, Patres Conscripti, ac vehementer angebar, quum viderem, virum talem, qui in eadem causa esset, in qua ego fuissem, non in eadem esse fortuna: nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam, versari

me in nostro veteri circulo, illo aemulo atque imitatore studiorum ac laborum meorum, quasi quodam socio a me et comite, distracto. Ergo et mihi meae pristinae vitae consuetudinem, Cai Caesar, interclusam aperuisti, et his omnibus ad bene de omni republica sperandum quasi signum aliquod sustulisti. Intellectum est enim mihi quidem in multis, et maxime in me ipso, sed paullo ante omnibus, quum M. Marcellum senatui populoque romano concessisti, commemoratis praesertim offensionibus, te auctoritatem hujus ordinis dignitatemque reipublicae tuis vel doloribus vel suspicionibus anteferre. Ille quidem fructum omnium anteactae vitae hodierno die maximum cepit, quum summo consensu senatus, tum praeterea judicio tuo gravissimo et maximo: ex quo profecto intelligis, quanta in dato beneficio sit laus, quum in accepto tanta sit gloria. Est vero fortunatus ille, cujus ex salute non minor paene ad omnes, quam ad illum ventura sit, laetitia pervenerit. Quod ei quidem merito atque optimo jure contigit. Quis enim est illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut ullo genere laudis praestantior?

II. Nullius tantum est flumen ingenii, nulla dicendi aut scribendi tanta vis, tanta copia, quae non dicam exornare, sed enarrare, C. Caesar, res tuas gestas possit: tamen hoc adfirmo, et hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem ampliolem, quam eam, quam hodierno die consequutus es. Soleo saepe ante oculos ponere, idque libenter crebris usurpare sermonibus, omnes nostrorum imperatorum, omnes exterarum gentium potentissimorumque populorum, omnes clarissimorum regum res gestas cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero proeliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri: nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis, non dicam cursibus, sed victoriis illustratae sunt. Quae quidem ego nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cujusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim: sed tamen sunt alia majora. Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum multis, ne propriae sint imperatorum. Et certe in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus

multum juvant: maximam vero partem, quasi suo jure, fortuna sibi vindicat, et quidquid est prospere gestum, id paene omne ducit suum. At vero hujus gloriae, C. Caesar, quam es paulo ante adeptus, socium habes neminem. Totum hoc, quantumcumque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum. Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil praefectus, nihil cohors, nihil turma decerpit: quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina, fortuna, in istius se societatem gloriae non offert: tibi cedit, tuam esse totam, et propriam fatetur. Numquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur.

III. Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes, sed tamen ea vicisti, quae et naturam et conditionem, ut vinci possent, habebant. Nulla est enim tanta vis, quae non ferro ac viribus debilitari frangique possit. Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute praestantem non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem, haec qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum deo judico. Itaque, C. Caesar, bellicae tuae laudes celebrabuntur illae quidem non solum nostris, sed paene omnium gentium literis atque linguis: neque ulla umquam aetas de tuis laudibus conticescet. Sed tamen ejusmodi res, nescio quomodo, etiam quum leguntur, obstrepi clamore militum videntur et tubarum sono. At vero quum aliquid clementer, mansuete, juste, moderate, sapienter factum, in iracundia praesertim, quae est inimica consilio, et in victoria, quae natura insolens et superba est, aut audimus aut legimus: quo studio incendimur, non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis, ut eos saepe, quos numquam vidimus, diligamus? Te vero; quem praesentem intuemur, cujus mentem sensusque et os cernimus, ut, quidquid belli fortuna reliquum reipublicae fecerit, id esse salvum velis, quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? qua benevolentia complectemur? Parietes, medius fidius, C. Caesar, ut mihi videtur, hujus curiae tibi gratias agere gestiunt, quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his majorum suorum et suis sedibus.

- IV. Equidem quum C. Marcelli, viri optimi et commemorabili pietate praediti, lacrimas modo vobiscum viderem, omnium Marcellorum meum pectus memoria offudit, quibus tu etiam mortuis, M. Marcello conservato, dignitatem suam reddidisti, nobilissimamque familiam, jam ad paucos redactam, paene ab interitu vindicasti. Hunc tu igitur diem tuis maximis et
- 11 innumerabilibus gratulationibus jure antepones; haec enim res unius est propria Caesaris, ceterae, duce te gestae magnae illae quidem, sed tamen multo magnoque comitatu; hujus autem rei tu idem es et dux et comes. Quae quidem tanta est, ut tropaeis monumentisque tuis allatura sit finem aetas: nihil enim est opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat, et consumat vetustas: at vero haec tua justitia
- 12 et lenitas animi florescet quotidie magis, ita, ut quantum operibus tuis diurnitas detrahet, tantum adferat laudibus. Et ceteros quidem omnes victores bellorum civilium jam ante aequitate et misericordia viceras, hodierno vero die te ipsum vicisti. Vereor, ut hoc, quod dicam, perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio. Ipsam victoriam vicisse videris, quum ea ipsa, quae illa erat adepta, victis remisisti. Nam quum ipsius victoriae conditione jure omnes victi occidissetis, clementiae tuae judicio conservati sumus. Recte igitur unus invictus es, a quo etiam ipsius victoriae conditio, visque devicta est.
- 13 V. Atque hoc C. Caesaris judicium, Patres Conscripti, quam late pateat, attendite: omnes enim, qui ad illa arma fato sumus, nescio quo, reipublicae misero funes toque compulsi, etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, a scelere certe liberati sumus. Nam quum M. Marcellum, deprecantibus vobis, reipublicae, conservavit, memet mihi et item reipublicae, nullo deprecante, reliquos amplissimos viros et sibi ipsis et patriae reddidit, quorum et frequentiam et dignitatem hoc ipso, in consessu videtis: non ille hostes induxit in curiam; sed judicavit, a plerisque ignoratione potius et falso atque inani metu, quam cupiditate aut crudelitate civile bellum esse susceptum. Quo quidem in bello semper de pace agendum, audiendum putavi; semperque dolui, non modo pacem sed orationem etiam civium pacem efflagitantium repudiari. Neque enim ego illa, nec ulla umquam sequutus sum arma civilia,
- 14

semperque mea consilia pacis et togae socia non belli atque armorum fuerunt. Hominem sum sequutus privato officio, non publico: tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut nulla non modo cupiditate, sed ne spe quidem, prudens et sciens, tamquam ad interitum ruerem voluntarium. Quod quidem meum consilium minime obscurum fuit. Nam et in hoc ordine, integra re, multa de pace dixi, et in ipso bello eadem etiam cum capitis mei periculo sensi. Ex quo nemo erit tam injustus rerum aestimator, qui dubitet, quae Caesaris voluntas de bello fuerit: quum pacis auctores conservandos statim censuerit, ceteris fuerit iratior. Atque id minus mirum fortasse, tum, quum esset incertus exitus et anceps fortuna belli, qui vero victor pacis auctores diligit, is profecto declarat, se maluisse non dimicare, quam vincere.

VI. Atque hujus quidem rei M. Marcello sum testis. Nostri enim sensus, ut in pace semper, sic tum etiam in bello congruebant. Quoties ego eum et quanto cum dolore vidi, quam insolentiam ceterorum hominum tum etiam ipsius victoriae ferocitatem extimescentem? Quo gratior tua liberalitas, C. Caesar, nobis, qui illa vidimus, debet esse, non enim jam causae sunt inter se, sed victoriae comparandae. Vidimus tuam victoriam proeliorum exitu terminatum; gladium vagina vacuum in urbe non vidimus: quos amisimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriae; ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Caesar ab inferis excitaret; quoniam ex eadem acie conservat, quos potest. Alterius vero partis, nihil amplius dicam, quam id, quod omnes verebamur, nimis iracundam futuram fuisse victoriam. Quidam enim non modo armatis sed interdum etiam otiosis minabantur: nec, quid quisque sensisset, sed ubi fuisset, cogitandum esse dicebant: ut mihi quidem videantur dii immortales, etiam si poenas a populo romano ob aliquod delictum expetiverunt, qui civile bellum tantum et tam luctuosum excitaverunt, vel placati jam vel etiam satiati aliquando, omnem spem salutis ad clementiam victoris et sapientiam contulisse. Quare gaude tuo isto tam excellenti bono, et fruire quum fortuna et gloria, tum etiam natura et moribus tuis, ex quo quidem maximus est fructus jucunditasque sapienti. Cetera quum tua recordabere, etsi persaepe

virtuti, tamen plerumque felicitati tuae congratulabere. De nobis, quos in republica tecum simul salvos esse voluisti, quoties cogitabis: toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de singulari sapientia tua cogitabis: quae non modo summa bona, sed nimirum audebo vel sola dicere. Tantus est enim splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi et consilii dignitas, ut haec a virtute donata, 20 cetera a fortuna commodata esse videantur. Noli igitur in conservandis bonis viris defatigari, non cupiditate praesertim aut pravitate aliqua lapsis, sed opinione officii, stulta fortasse, certe non improba, et specie quadam reipublicae. Non enim tua ulla culpa est, si te aliqui timuerunt: contraque summa laus, quod plerique minime timendum fuisse senserunt.

- 21 VII. Nunc vero venio ad gravissimam querelam, et atrocissimam suspicionem tuam: quae non tibi ipsi magis, quam quum omnibus civibus, tum maxime nobis, qui a te conservati sumus, providenda est. Quam etsi spero esse falsam, numquam tamen verbis extenuabo. Tua enim cautio nostra cautio est: ut, si in alterutro peccandum sit, malim videri nimis timidus, quam parum prudens. Sed quisnam est iste tam demens? de tuisne? tametsi qui magis sunt tui, quam quibus tu salutem insperantibus reddidisti? an ex eo numero, qui tecum una fuerunt? non est credibilis tantus in ullo furor, ut, quo duce omnia summa sit adeptus, hujus vitam non anteponat suae. *At si tui nihil cogitant sceleris, cavendum est, ne quid inimici?* Qui? omnes enim, qui fuerunt, aut sua pertinacia vitam amiserunt, aut tua misericordia retinuerunt: ut aut nulli supersint de inimicis, aut, qui superfuerunt, amicissimi sint. Sed 22 tamen, quum in animis hominum tantae latebrae sint et tanti recessus; augeamus sane suspicionem tuam, simul enim augebimus et diligentiam. Nam quis est omnium tam ignarus rerum, tam rudis in republica, tam nihil umquam nec de sua, nec de communi salute cogitans, qui non intelligat, tua salute contineri suam? et ex unius tua vita pendere omnium? Equidem de te dies noctesque, ut debeo, cogitans, casus dumtaxat humanos, et incertos eventus valetudinis et naturae communis fragilitatem extimesco; doleoque, quum respublica immortalis esse debeat, eam in uni- 23 us mortalis anima consistere. Si vero ad humanos

casus incertosque eventus valetudinis, sceleris etiam accedat insidiarumque consensio: quem deum si cupiat, opitulari posse reipublicae credamus?

VIII. Omnia sunt excitanda tibi, C. Caesar, uni, quae jacere sentis, belli ipsius impetu, quod necesse fuit, perculsa atque prostrata: constituenda judicia, revocanda fides, comprimendae libidines, propaganda soboles: omnia, quae dilapsa jam fluxerunt, severis legibus vincienda sunt. Non fuit recusandum in tanto civili bello tantoque animorum ardore et armorum, quin quassata respublica, quicumque belli eventus fuisset, multa perderet ornamenta dignitatis et praesidia stabilitatis suae; multaue uterque dux faceret armatus, quae idem togatus fieri prohibuisset: quae quidem nunc tibi omnia belli vulnera curanda sunt, quibus praeter te mederi nemo potest. Itaque illam tuam praeclarissimam et sapientissimam vocem invitatus audivi, *satis te diu vel naturae vixisse, vel gloriae*. Satis, si ita vis, naturae fortasse, addo etiam, si placet, gloriae: at, quod maximum est, patriae certe parum. Quare omitte, quaeso, istam doctorum hominum in contempnenda morte prudentiam: noli nostro periculo sapiens esse. Saepe enim venit ad aures meas, te idem istud nimis crebro dicere, *satis te tibi vixisse*. Credo; sed tum id audirem, si tibi soli viveres, aut si tibi etiam soli natus esses. Nunc, quum omnium salutem civium, cunctamque rempublicam res tuae gestae complexae sint, tantum abes a perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quae cogitas, nondum jeceris. Hic tu modum tuae vitae, non salute reipublicae, sed aequitate animi definies? Quid? si illud ne gloriae quidem tuae satis est? cujus te esse avidissimum, quamvis sis sapiens, non negabis. *Parumne igitur, inquires, gloriam magnam relinquemus?* Imo vero aliis, quamvis multis, satis; tibi uni parum. Quidquid enim est, quamvis amplum sit, id certe parum est tum, quum est aliquid amplius. Quod si rerum tuarum immortalium, C. Caesar, hic exitus futurus fuit, ut, devictis adversariis, rempublicam in eo statu relinqueres, in quo nunc est: vide, quaeso, ne tua divina virtus admirationis plus sit habitura quam gloriae: siquidem gloria est illustris ac pervagata multorum et magnorum vel in suos, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum.

27 IX. Haec igitur tibi reliqua pars est; hic restat  
 a) actus, in hoc elaborandum est, ut rempublicam  
 constituas, eaque tu in primis composita summa tran-  
 quillitate et otio perfruare, tum te, si voles, quum  
 et patriae, quod debes, solveris, et naturam ipsam  
 expleveris satietate vivendi, *satis diu vixisse* dicito.  
 Quid est enim omnino hoc ipsum diu, in quo est ali-  
 quid extremum; quod quum venerit, omnis voluptas  
 praeterita pro nihilo est, quia postea nulla futura sit?  
 Quamquam iste tuus animus numquam his angustiis,  
 quas natura nobis ad vivendum dedit, contentus fuit,  
 semperque immortalitatis amore flagravit. b)

Nec vero haec tua vita ducenda est, quae corpore  
 28 et spiritu continetur. Illa inquam, illa vita est tua,  
 Caesar, quae vigebit memoria seculorum omnium,  
 quam posteritas alet, quam ipsa aeternitas semper tue-  
 bitur. Huic tu inservias, huic te ostentes, oportet:  
 quae quidem, quae miretur, jam pridem multa ha-  
 bet; nunc etiam, quae laudet, exspectat. Obstupe-  
 scent posteri certe imperia, provincias, Rhenum, Oce-  
 anum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles vi-  
 ctorias, monumenta, munera, triumphos audientes et  
 29 legentes tuos. Sed nisi haec urbs stabilita tuis consi-  
 liis et institutis erit, vagabitur modo nomen tuum lon-  
 ge atque late: sedem quidem stabilem et domicilium  
 certum non habebit. Erit inter eos etiam, qui na-  
 scentur, sicut inter nos fuit, magna dissensio, quum  
 alii laudibus ad coelum res tuas gestas efferent: alii  
 fortasse aliquid requirent, idque vel maximum, nisi  
 belli civilis incendium salute patriae restinxeris; ut  
 illud fati fuisse videatur, hoc consilii. Servi igitur eti-  
 am iudicibus, qui multis post seculis de te iudicabunt,  
 et quidem haud scio, an incorruptius quam nos. Nam  
 et sine amore et sine cupiditate, et rursus sine odio  
 30 et sine invidia iudicabunt. Id autem etiamsi tunc ad  
 te, ut quidam falso putant, non pertinebit; nunc cer-  
 te, pertinet, te esse talem, ut tuas laudes obscuratura  
 nulla umquam sit oblivio.

X. Diversae voluntates civium fuerunt, distractae-  
 que sententiae. Non enim consiliis solum et studiis,  
 sed armis etiam et castris dissidebamus. Erat autem  
 obscuritas quaedam, erat certamen inter clarissimos  
 duces: multi dubitabant, quid optimum esset; multi,  
 quid sibi expediret; multi, quid deceret; nonnulli

etiam, quid liceret. Perfuncta respública est hoc misero, fatalique bello, vicit is, qui non fortuna inflammaret odium suum, sed bonitate leniret; nec qui omnes, quibus iratus esset, eosdem etiam exsilio aut morte dignos judicaret. Arma ab aliis posita, aliis erepta sunt. Ingratus est injustusque civis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum; ut etiam ille sit melior, qui in acie cecidit, qui in causa animam profudit. Quae enim pertinacia quibusdam, eadem aliis constantia videri potest. Sed jam omnis fracta dissensio est armis, et exstincta aequitate victoris: restat, ut omnes unum velint, qui modo habent aliquid non solum sapientiae, sed etiam sanitatis. Nisi te, C. Caesar, salvo, et in ista sententia, qua quum antea tum hodie vel maxime usus es, manente, salvi esse non possumus. Quare omnes te, qui haec salva esse volumus, et hortamur et obsecramus, ut vitae, ut saluti tuae consulas: omnesque tibi, ut pro aliis etiam loquar, quod te me ipse sentio, quoniam subesse aliquid putas, quod cavendum sit, non modo excubias et custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus, et corporum pollicemur.

XI. Sed unde est orsa, in eodem terminetur oratio: maximas tibi omnes gratias agimus, C. Caesar, majores etiam habemus. Nam omnes idem sentiunt, quod ex omnium precibus et lacrimis sentire potuisti. Sed quia non est stantibus omnibus necesse dicere, a me certe dici volunt, cui necesse est quodam modo, et quod volunt, et quod decet, et quod, M. Marcello a te huic ordini populoque romano et reipublicae reddito, fieri intelligo. Nam laetari omnes, non ut de unius solum, sed ut de communi omnium salute sentio. 33

Quod autem summae benevolentiae est, quae mea erga illum omnibus semper nota fuit, ut vix C. Marcello, optimo et amantissimo fratri, praeter eum quidem cederem nemini, quum id sollicitudine, cura, labore tamdiu praestiterim, quamdiu est de illius salute dubitatum, certe hoc tempore magnis curis, molestiis, doloribus liberatus, praestare debeo. Itaque, C. Caesar, sic tibi gratias ago, ut omnibus me rebus a te non innumerato solum, sed etiam ornato, tamen ad tua innumerabilia in me unum merita, quod fieri

jam posse non arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus accesserit.

a) Adlusio ad dramata, quorum ultimus actus, catastrophem exhibens est praecipuus. Eodem vocabulo utitur Cicero ep. ad Div. L. I. 1. ad Quintum: *Illud te ad extremum et ero et hortor, ut tamquam poëtae boni et actores industrii solent, sic su in extrema parte et conclusione muneris ac negotii tui diligentissimus sis, ut hic tertius annus imperii tui, tamquam tertius actus perfectissimus atque ornatus fuisse videatur.*

b) Caesar sequutus est placita Epicuri, qui animum humanum simul cum corpore interire adfirmarat.

### M. Tullii Ciceronis pro A. Licinio Archia Poëta Oratio.

#### Argumentum.

*A. Licinius Archias fuit Antiochenus; qui quum poëticae floreret laude, et ab omnibus paene Italiae populis expetere-tur, atque in primis apud principes quosdam romanos esset gratiosus; hoc etiam eorum opera est consequutus, ut civitate romana donaretur. Sed ei controversiam de civitate postea movit Gracchus quidam, eumque reum fecit lege Plautia Papiria de civitate, qua cautum erat, ut qui foederatis civitatibus adscripti essent, si tum, quum lex ferebatur, in Italia domicilium haberent, et LX. diebus apud praetorem essent professi, ii demum haberentur cives. Hujus igitur causa suscepta Cicero, commemorata Archiae secum et cum summis hominibus familiaritate, omnia adversarii argumenta diluit ac refellit, sed leviter et non nisi perfunctorie. Itaque, ut justae orationis mensuram impleret, arripuit occasionem, quum in humilitatis, et imprimis poëticae facultatis, tum in ipsius Archiae laudes digrediendi: ostenditque, dignissimum civitate romana esse Archiam.*

I. Si quid est in me ingenii, iudices, quod sentio, quam sit exiguum; aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non infitior mediocriter esse versatum; aut si hujusce rei ratio aliqua, ab optimarum artium studiis ac disciplina profecta, a) a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse: earum rerum omnium vel in primis hic A. Licinius fructum a me repetere prope suo jure debet. Nam quoad longissime

potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis, et pueritiae memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, hunc video mihi principem et ad suscipiendam et ad ingrediendam rationem horum studiorum exstitisse. Quod si haec vox, hujus hortatu praeceptisque conformata, nonnullis aliquando saluti fuit: a quo id accepimus, quo ceteris opitulari et alios servare possemus, huic profecto ipsi, quantum est situm in nobis, et opem et salutem ferre debemus. Ac ne quis a nobis hoc ita dici forte miretur, quod<sup>2</sup> alia quaedam in hoc facultas sit ingenii, neque haec dicendi ratio aut disciplina: ne nos quidem huic uni studio penitus umquam dediti fuimus. Etenim omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quaedam inter se continentur.

II. Sed ne cui vestrum mirum esse videatur, me in<sup>3</sup> quaestione legitima, et in iudicio b) publico, quum res agatur apud praetorem populi romani, lectissimum virum, et apud severissimos iudices, tanto conventu hominum, ac frequentia, hoc uti genere dicendi, quod non modo a consuetudine iudiciorum, verum etiam a forensi sermone abhorreat: quaeso a vobis, ut in hac causa mihi detis hanc veniam, ad commodatam huic reo, vobis quemadmodum spero, non molestam; ut me, pro summo poeta atque eruditissimo homine dicentem, hoc concursu hominum literatissimorum, hac vestra humanitate, hoc denique praetore exercente iudicium, patiamini de studiis humanitatis ac literarum paullo loqui liberius: et in ejusmodi persona, quae propter otium et studium e) minime in iudiciis periculisque jactata est, uti prope novo quodam et inusitato genere dicendi. Quod si mihi a vobis tribui concedique sentiam: perficiam profecto, ut hunc A. Licinium non modo non segregandum, quum sit civis, a numero civium; verum etiam, si non esset, putetis adsciscendum fuisse.

III. Nam ut primum ex pueris excessit Archias, atque ab iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, se ad scribendi studium contulit: primum Antiochiae d) (nam ibi natus est, loco nobili, celebri quondam urbe et copiosa, atque eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis adfluenti) ei celeriter antecellere omnibus ingenii gloria con-

tigit. Post in ceteris Asiae partibus cunctaeque Graeciae sic ejus adventus celebrabatur, ut famam ingenii exspectatio hominis, exspectationem ipsius adventus  
 5 admiratioque superaret. Erat Italia tunc plena graecarum artium ac disciplinarum, studiaque haec et in Latio vehementius tum colebantur, quam nunc iisdem in oppidis; et hic Romae propter tranquillitatem reipublicae non negligebantur. Itaque hunc et Tarentini et Rhegini et Neapolitani civitate ceterisque praemiis donarunt: et omnes, qui aliquid de ingeniis poterant judicare, cognitione atque hospitio dignum existimarent. Hac tanta celebritate famae quum esset jam absentibus notus, Romam venit, Mario consule et Catulo. Nactus est primum consules eos, quorum alter res ad scribendum maximas, alter quum res gestas tum etiam studium atque aures adhibere posset. Statim Luculli, quum praetextatus etiam tum Archias esset, eum domum suam receperunt. Sed enim hoc non solum ingenii ac literarum, verum etiam naturae atque virtutis fuit, ut domus, quae hujus adolescentiae prima fuerit, eadem esset familiarissima senectuti.  
 6 Erat temporibus illis jucundus Q. Metello illi Numidico, et ejus Pio filio: audiebatur a M. Aemilio: vivebat cum Q. Catulo, et patre, et filio; a L. Crasso colebatur: Lucullus vero et Drusum, et Octavios, et Catonem, et totam Hortensiorum domum devinctam consuetudine quum teneret; adiciebatur summo honore, quod eum non solum colebant, qui aliquid percipere atque audire studebant, verum etiam, si qui forte simulabant.

IV. Interim satis longo intervallo, quum esset cum L. Lucullo in Ciliciam profectus, et quum ex ea provincia cum eodem Lucullo decederet, venit e) Heracleam: quae quum esset civitas aequissimo jure ac foedere, adscribi se in eam civitatem voluit: idque, quum ipse per se dignus putaretur, tum auctoritate et  
 7 gratia Luculli ab Heracleensibus impetravit. Data est civitas Silvani lege, et Carbonis: *Si qui foederatis civitatibus adscripti fuissent: si tum, quum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent: et, si sexaginta diebus apud praetorem essent professi.* Quum hic domicilium Romae multos jam annos haberet, professus est apud praetorem Q. Metellum, familiarissimum suum. Si nihil aliud nisi de civitate ac lege dicimus, nihil dico amplius:

causa dicta est. Quid enim horum infirmari, Gracche, potest? Heracleaene esse tum adscriptum negabis? Adest vir summa auctoritate et religione et fide, M. Lucullus, qui se non opinari, sed scire: non audivisse, sed vidisse: non interfuisse, sed egisse dicit. Adsunt Heracleenses legati, nobilissimi homines: hujus judicii causa cum mandatis et cum publico testimonio venerunt, qui hunc adscriptum dicunt. Hic tu tabulas desideras Heracleensium publicas: quas Italico bello, incenso tabulario interisse scimus omnes. Est ridiculum, ad ea, quae habemus, nihil dicere; quaerere, quae habere non possumus: et de hominum memoria tacere, literarum memoriam flagitare: et quum habeas amplissimi viri religionem, integerrimi municipii jusjurandum fidemque: ea, quae depravari nullo modo possunt, repudiare; tabulas, quas idem dicis solere corrumpi, desiderare. At domicilium in Italia non habuit; is, qui tot annis ante civitatem datam, sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Romae collocavit. At non est professus. Imo vero iis tabulis professus, quae solae ex illa professione collegioque praetorum obtinent publicarum tabularum auctoritatem.

V. Nam quum Appii tabulae negligentius adservatae dicerentur, Gabinii, quamdiu incolumis fuit, levitas, post damnationem calamitas omnem tabularum fidem resignasset: Metellus, homo sanctissimus modestissimusque omnium, tanta diligentia fuit, ut ad L. Lentulum praetorem, et ad iudices venerit, et unius nominis litura se commotum esse dixerit. His igitur tabulis nullam lituram in nomen A. Licinii videtis. Quae quum ita sint, quid est, quod de ejus civitate dubitetis, praesertim quum aliis quoque in civitatibus fuerit adscriptus? Etenim quum mediocribus multis, et aut nulla aut humili aliqua arte praeditis gratuito civitatem in *f*) Graecia homines impertiebantur: Rheginos, credo, aut Locrenses, aut Neapolitanos, aut Tarentinos, quod scenicis artificibus largiri solebant, id huic summa ingenii praedito gloria, noluisse. Quid? quum ceteri non modo post civitatem datam, sed etiam post legem Papiam aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepserint: hic, qui ne utitur quidem illis, in quibus est scriptus, quod semper se Heracleensem esse voluit, rejicietur? Cen- 11

sus nostros requiris scilicet. Est enim obscurum, proximis censoribus, hunc cum clarissimo imperatore L. Lucullo apud exercitum fuisse: superioribus, cum eodem quaestore fuisse in Asia: primis, Julio et Crasso, nullam populi partem esse censam. Sed quoniam census non jus civitatis confirmat, ac tantummodo indicat, eum, qui sit census, ita se jam tum gessisse pro cive; iis temporibus, quae tu criminaris, ne ipsius quidem iudicio eum in civium romanorum iure esse versatum, et testamentum saepe fecit nostris legibus, et adiit haereditates civium romanorum, et in beneficiis g) ad aerarium delatus est a L. Lucullo praetore et consule. Quaere argumenta, si quae potes: numquam enim hic neque suo, neque amicorum iudicio revincetur.

- 12 VI. Quaeres a nobis, Gracche, cur tantopere hoc homine delectemur. Quia suppeditat nobis, ubi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, et aures convicio defessae conquiescant. An tu existimas, aut suppetere nobis posse, quod quotidie dicamus in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina excolamus; aut ferre animos tantam posse contentionem nisi eos doctrina eadem relaxemus? Ego vero fateor, me his studiis esse deditum. Ceteros pudeat, si qui ita se literis abdicarunt, ut nihil possint ex his neque ad communem adferre fructum, neque in adspectum lucemque proferre. Me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo, Iudices, ut ab nullius unquam me tempore aut commodo aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit?
- 13 Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure succenseat, si, quantum ceteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, et ad ipsam requiem animi et corporis conceditur temporis: quantum alii tribuunt tempestivis h) conviviis: quantum denique aleae, quantum pilae; tantum mihi egomet ad haec studia recolenda sumsero? Atque hoc adeo mihi concedendum est magis, quod ex his studiis haec quoque censetur oratio et facultas; quae quantacumque est in me, numquam amicorum periculis defuit. Quae si cui levior videtur; illa quidem certe, quae summa
- 14 sunt, ex quo fonte hauriam, sentio. Nam, ni multorum praeceptis multisque literis mihi ab adolescen-

tia suasissem, nihil esse in vita magnopere expectendum, nisi laudem atque honestatem, in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exsilii parvi esse ducenda: numquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus objecissem. Sed pleni omnes sunt libri, plenae sapientium voces, plena exemplorum vetustas: quae jacerent in tenebris omnia, nisi literarum lumen accederet. Quam multas nobis imagines, non solum ad intuendum verum etiam ad imitandum, fortissimorum virorum expressas scriptores et graeci et latini reliquerunt? quas ego mihi semper in administranda republica proponens, animum et mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam.

VII. Quaeret quispiam: *Quid? illi ipsi summi viri, quorum virtutes literis proditae sunt, istane doctrina, quam tu laudibus effers eruditi fuerunt?* Difficile est hoc de omnibus confirmare. Sed tamen est certum, quid respondeam. Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse, et sine doctrina, naturae ipsius habitu prope divino, per se ipsos et moderatos et graves existisse fateor. Etiam illud adjungo, saepius ad laudem atque virtutem *i)* naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego contendo, quum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam confirmatioque doctrinae: tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere existere. Ex hoc esse hunc numero, quem patres nostri viderunt, divinum hominem, Africanum: ex hoc C. Laelium, L. Furium, moderatissimos homines et continentissimos: ex hoc fortissimum virum et illis temporibus doctissimum. M. Catonem illum senem: qui profecto, si nihil ad percipiendam, colendamque virtutem literis adjuvarentur, numquam se ad earum studium contulissent. Quod si non hic tantus fructus ostenderetur, et si ex his studiis delectatio sola peteretur: tamen ut opinor, hanc animi aversionem humanissimam ac liberalissimam judicaretis. Nam ceterae neque temporum sunt, neque aetatum omnium, neque locorum. Haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, ru-

- 17 sticantur. Quod si ipsi haec neque attingere, neque sensu nostro gustare possumus: tamen ea mirari deberemus, etiam quum in aliis videremus.

- VIII. Quis nostrum tam animo agresti ac duro fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur? qui quum esset senex mortuus, tamen, propter excellentem artem ac venustatem, videbatur omnino moriturum debuisse. Ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus: nos animorum incredibiles motus celeritatemque ingeniorum negligemus?
- 18 Quoties ego hunc Archiam vidi, iudices, (utar enim vestra benignitate, quoniam me in hoc novo genere dicendi tam diligenter attenditis) quoties ego hunc vidi, quum literam scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de his ipsis rebus, quae tum agerentur, dicere ex tempore? Quoties revocatum eandem rem dicere, commutatis verbis atque sententiis? Quae vero accurate cogitateque scripsisset: ea sic vidi probari, ut ad veterum scriptorum laudem pervenirent. Hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem? Atqui sic a summis hominibus eruditissimisque accepimus, ceterum rerum studia et doctrina et praeceptis et arte constare: poetam natura ipsa valere, et mentis viribus excitari, et quasi divino quodam spiritu inflari. Quare suo jure noster ille Ennius sanctos adpellat poetas; quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur. Sit igitur, iudices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc poetarum nomen, quod nulla umquam barbaria violavit. Saxa et solitudines voci respondent; bestiae saepe immanes cantu flectuntur atque consistunt: nos instituti rebus optimis non poetarum voce moveamur? Homerum Colophonii civem esse dicunt suum; Chii suum vindicant; Salaminii repetunt; Smyrnaei vero suum esse confirmant. Itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt. Permulti alii praeterea pugnant inter se atque contendunt.

IX. Ergo illi alienum, quia poeta fuit, post mortem etiam expetunt: nos hunc vivum, qui et voluntate et legibus noster est, repudiabimus? praesertim quum omne olim studium atque omne ingenium contulerit Archias ad populi romani gloriam laudemque celebrandam. Nam et Cimbricas res adolescens atti-

git, et ipsi illi C. Mario, qui durior ad haec studia videbatur, jucundus fuit. Neque enim quisquam est tam aversus a musis, qui non mandari versibus aeternum suorum laborum facile praeconium patiatur. Themistoclem illum, summum Athenis virum, dixisse ajunt, quum ex eo quaeretur, quod acroama aut cujus vocem libentissime audiret: *Ejus a quo sua virtus optime praedicaretur.* Itaque ille Marius item eximie L. Plotium dilexit; cujus ingenio putabat ea, quae gesserat, posse celebrari. Mithridaticum vero bellum magnum atque difficile, et in multa varietate  $\kappa$ ) terra marique versatum: totum ab hoc expressum est: qui libri non modo L. Lucullum, fortissimum et clarissimum virum, verum etiam populi romani nomen illustrant. Populus enim romanus aperuit, Lucullo imperante, Pontum, et regis quondam opibus, et ipsa natura regionis vallatum: populi romani exercitus, eodem duce, non maxima manu innumerabiles Armenicorum copias fudit: populi romani laus est, urbem amicissimam Cyzicenorum, ejusdem consilio, ex omni impetu regio ac totius belli ore ac faucibus ereptam esse, atque servatam: nostra semper feretur et praedicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depressa hostium classis, et incredibilis apud Tenedum  $\iota$ ) pugna illa navalis: nostra sunt tropaea, nostra monumenta, nostri triumphus. Quare, quorum ingeniis haec feruntur, ab his populi romani fama celebratur. Carus fuit Africano superiori noster Ennius. Itaque etiam in sepulcro Scipionum putatur is esse constitutus e marmore. At iis laudibus certe non solum ipsi, qui laudamur, sed etiam populi romani nomen ornatur. In coelum hujus proavus Cato tollitur, magnus honos populi romani rebus adjungitur. Omnes denique illi Maximi, Marcelli, Fulvii non sine communi omnium nostrum laude decorantur.

X. Ergo illum, qui haec fecerat, Rudium  $m$ ) hominem majores nostri in civitatem receperunt; nos hunc Heracleensem multis civitatibus expetitum, in hac autem legibus constitutum, de nostra civitate ejiciemus? Nam si quis minorem gloriae fructum putat ex graecis versibus percipi quam ex latinis, vehementer errat; propterea quod graeca leguntur, in omnibus fere gentibus: latina suis finibus exiguis sane continentur. Quare si res hae, quas gesimus,

- orbis terrae regionibus definiuntur: cupere debemus, quo manuum nostrarum tela pervenerint, eodem gloriam famamque penetrare: quod quum ipsis populis, de quorum rebus scribitur, haec ampla sunt; tum iis certe, qui de vita gloriae causa dimicant, hoc maximum et periculorum incitamentum est et laborum.
- 24 Quam multos scriptores rerum suarum Magnus ille Alexander secum habuisse dicitur? Atque is tamen, quum in Sigeo *n*) ad Achillis tumulum adstitisset: *O fortunate, inquit, adolescens, qui tuae virtutis Homerum praekonem inveneris!* Et vere. Nam, nisi Ilias illa exstitisset: idem tumulus, qui corpus ejus contexerat, nomen etiam obruisset. Quid? noster *o*) hic Magnus qui cum virtute fortunam adaequavit, nonne Teophanem Mitylanaeum, scriptorem rerum suarum, in concione militum civitate donavit? et nostri illi fortes viri, sed rustici ac milites, dulcedine quadam gloriae commoti, quasi participes ejusdem laudis, magno illud clamore adprobaverunt? Itaque, credo, si civis romanus Archias legibus non esset, ut ab aliquo imperatore civitate donaretur, perficere non potuit. Sulla quum Hispanos et Gallos donaret, credo, hunc petentem repudiasset; quem nos in concione vidimus, quum ei libellum poëta de populo subjecisset, quod epigramma in eum fecisset, tantummodo alternis verbis longiusculis, statim ex iis rebus, quas tunc vendebat, jubere ei praemium tribui, sub ea conditione; *ne quid postea scriberet.* Qui sedulitatem mali poëtae duxerit aliquo tamen praemio dignam, hujus ingenium et virtutem in scribendo et copiam non expetisset? Quid? a Q. Metello Pio, familiarissimo suo, qui civitate multos donavit, neque per se neque per Lucullos impetravisset, qui praesertim usque eo de suis rebus scribi cuperet, ut etiam Cordubae *p*) natis poëtis, pingue quiddam sonantibus atque peregrinum, tamen aures suas dederet.

XI. Neque enim est hoc dissimulandum, quod obscurari non potest; sed prae nobis ferendum; trahimur omnes laudis studio, et optimus quisque maxime gloria ducitur. Ipsi illi philosophi, etiam illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt: in eo ipso, in quo praedicationem nobilitatemque despiciunt, praedicari de se ac nominari volunt. Decimus *q*) quidem Brutus, summus ille

vir et imperator, Attii, amicissimi sui, carminibus templorum ac monumentorum aditus exornavit suorum. Jam vero ille, qui cum Aetolis, Ennio comite, bellavit, Fulvius, non dubitavit Martis manubias Musis consecrare. Quare, in qua urbe imperatores prope armati poëtarum nomen et Musarum delubra coluerunt, in ea non debent togati iudices a Musarum honore, et a poëtarum salute abhorrere. Atque ut id libentius faciatis, jam me vobis, iudices, indicabo; et de meo quodam amore gloriae, nimis acri fortasse, verumtamen honesto, vobis confitebor. Nam quas res nos in consulatu nostro vobiscum simul pro salute urbis atque imperii, et pro vita civium, proque universa republica gessimus, attigit hic versibus atque inchoavit: quibus auditis, quod mihi magna res et jucunda visa est, huic ad perficiendum hortatus sum. Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, praeter hanc, laudis et gloriae: qua quidem detracta, iudices, quid est, quod in hoc tam exiguo vitae curriculo et tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus? Certe, si nihil animus praesentiret in posterum, et si, quibus regionibus vitae spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas: ne tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur, neque toties de vita ipsa dimicaret. Nunc insidet quaedam in optimo quoque virtus, quae noctes et dies animum gloriae stimulis concitat atque admonet, non cum vitae tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adaequandam.

XII. An vero tam parvi animi videamur esse omnes, qui in republica atque in his vitae periculis laboribusque versamur, ut, quum usque ad extremum spatium nullum tranquillum atque otiosum spiritum duxerimus, nobiscum simul moritura omnia arbitremur? An quum statuas et imagines, non animorum simulacra sed corporum, studiose multi summi homines reliquerunt: consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem nonne multo malle debemus, summis ingeniis expressam et politam? Ego vero omnia, quae gerebam, jam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar in orbis terrae memoriam sempiternam. Haec vero sive a meo sensu post mortem abfutura est, si ve, ut sapientissimi homines putaverunt, ad aliquam

31 mei partem pertinebit: nunc quidem certe cogitatione quadam speque delector: Quare conservate, iudices, hominem pudore eo, quem amicorum videtis comprobati tum dignitate, tum etiam vetustate; ingenio autem tanto, quantum id convenit existimari, quod summorum hominum ingeniis expetitur esse videatis; causa vero ejusmodi, quae beneficio legis, auctoritate municipii, testimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur. Quae quum ita sint, petimus a vobis, iudices, si qua non modo humana, verum etiam divina in tantis negotiis commendatio debet esse, ut eum, qui vos, qui vestros imperatores, qui populi romani res gestas semper ornavit; qui etiam his recentibus nostris, vestrisque domesticis periculis aeternum se testimonium laudum daturum esse profiteretur; quique est eo numero, qui semper apud omnes sancti sunt habiti atque dicti, sic in vestram accipiatis fidem, ut humanitate vestra levatus potius, quam acerbitate violatus esse videatur.

32 Quae de causa pro mea consuetudine breviter simpliciterque dixi, iudices, ea confido, probata esse omnibus: quae non fori, neque judiciali consuetudine, et de hominis ingenio, et communiter de ipsius studio loquutus sum, ea, iudices, a vobis spero esse in bonam partem accepta; ab eo, qui iudicium exercet, certe scio.

a) Ad eloquentiam oratoriam tria necessaria sunt: 1. *ingenium*, natürliche Anlage, Fähigkeit, 2. *exercitatio*, Übung, 3. *ratio perfecta ab optimarum artium studiis ac disciplina*, Kunst mit Wissenschaft und Gelehrsamkeit verbunden.

b) *Judicia publica* dicebantur illa, quae primis temporibus penes populum erant, deinde a praetoribus, quibus a populo in perpetuum commissa fuerunt, exercabantur. Praetori, iudicii publici praesidi, additi erant sexdecim iudices. In iudiciis publicis, quaerebatur de criminibus, *Capital Verbrechen*, quae erant 1. *crimen repetundarum*, 2. *crimen peculatus*, 3. *crimen majestatis*, quod adversus populum romanum aut ejus securitatem commissum est.

c) i. e. propter studium otii plenum.

d) Plures urbes nomine *Antiochiae* notae sunt; hoc loco *Antiochia* est metropolis Syriae ad Orontem fluvium.

e) *Heraclea*, urbs in finibus Italiae ad sinum Tarentinum.

f) Italia inferior, in qua sermo graecus erat patrius, dicta est *Graecia Magna*.

- g) Beneficiorum nomine apud Romanos veniunt illi, qui per imperatores scripto tenus commendabantur populo.
- h) *Tempestiva convivia*, quae ante solitum tempus, i. e. ante vesperam, incipiebant, et a tempore meridiano usque in seram noctem trahebantur.
- i) *Laus atque virtus*, abstractum pro concreto.
- k) sc. fortunae.
- l) *Tenedos*, insula maris Aegaei ad Trojam.
- m) *Rudiae*, urbs Calabriae, Ennii patria.
- n) *Sigeum*, promontorium Trojae.
- o) sc. Pompejus.
- p) *Corduba* in Hispania, Lucani atque Senecae rhetoris et philosophi patria.
- q) Decimus Brutus A. U. 616, cum Scipione Africano consul de Gallaeis triumphavit.

M. Tullii Ciceronis pro Lege Manilia,

s e u

de Imperatore Pompejo deligendo,

ad populum oratio.

A r g u m e n t u m.

**M.** *Aemilio et Volcatio Coss. quum L. Lucullus, qui pro consulari imperio administrarat prope septem annos bellum Mithridaticum, a senatu revocatus, Romam redisset: tulit ad populum C. Manilius tribunus plebis, ut ejus belli administratio committeretur Pompejo, qui tum bellum maritimum gerebat. Eam rogationem Cicero, praetor creatus, populo persuadendam suscepit; quod in Pompejo essent omnia, quae ad imperatorem perfectum pertinerent: scientia rei militaris, virtus, auctoritas; ei felicitas; rejectis objectis, nibus Hortensii et Catuli: quorum alter, non esse uni omnia committenda dicebat: alter vero in uno homine saepe esse periclitandam fortunam negabat, eumque majoribus reipublicae temporibus servari volebat.*

I. **Q**uamquam mihi semper frequens conspectus vester multo jucundissimus; hic autem locus a) ad agendam amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus, Quirites: tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maxime patuit, non mea me voluntas,

sed meae vitae rationes ab ineunte aetate susceptae prohibuerunt. Nam quum antea per aetatem nondum hujus auctoritatem loci contingere auderem; statueremque, nihil huc, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, adferri oportere: omne meum tempus  
 2 amicorum temporibus transmittendum putavi. Ita neque hic locus vacuus fuit umquam ab iis, qui vestram causam defenderent, et meus labor, in privatorum periculis caste integreque versatus, ex vestro judicio fructum est amplissimum consequutus. Nam quum propter dilationem comitiorum ter praetor primus centuribus cunctis renuntiatus sum: facile intellexi, Quirites, et quid de me judicaretis, et quid aliis praescriberetis. Nunc quum et auctoritatis in me tantum sit, quantum vos honoribus mandandis esse voluistis: et ad agendum facultatis tantum, quantum homini vigilantibus ex forensi usu prope quotidiana dicendi exercitatio potuit adferre: certe, et si quid auctoritatis in me est, ea apud eos utar, qui eam mihi dederunt; et si quid etiam dicendo consequi possum; iis ostendam potissimum, qui ei quoque rei fructum suo judicio tribuendum esse censuerunt.  
 3 Atque illud in primis mihi laetandum jure esse video, quod in hac insolita mihi ex hoc loco ratione dicendi causa talis oblata est, in qua oratio deesse nemini potest. Dicendum est enim de Cn. Pompeji singulari eximiaque virtute: hujus autem orationis difficilior est exitum quam principium invenire. Itaque non mihi tam copia quam modus in dicendo quaerendus est.

4 II. Atque ut inde oratio mea proficiscatur, unde haec omnis causa ducitur: bellum grave et periculosum vestris *b*) vectigalibus atque sociis a duobus potentissimis regibus infertur, Mithridate et Tigrae: quorum alter relictus, alter lacessitus, occasionem sibi ad occupandam Asiam oblatam esse arbitrabatur. Equitibus romanis, honestissimis viris, adferuntur ex Asia quotidie literae, quorum magnae res aguntur in vestris vectigalibus exercendis occupatae; qui ad me pro necessitudine, quae mihi est cum illo ordine, causam reipublicae periculaque rerum suarum detulerunt: Bithyniae, quae nunc vestra *c*) provincia est, vicis exustos esse complures: regnum *d*) Ariobarzanis, quod finitimum est vestris vectigalibus, totum esse in hostium potestate: Lucullum, magnis rebus gestis, ab eo bello

discedere: huic qui successerit e), non satis esse paratum ad tantum bellum administrandum: unum ab omnibus sociis et civibus ad id bellum imperatorem deponci atque expeti: eundem hunc unum ab hostibus metui, praeterea neminem. Causa quae sit, videtis; 6 nunc, quid agendum sit, considerate. *Primum mihi vide ur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo esse dicendum.* Genus est enim huiusmodi, quod maxime vestros animos excitare atque inflammare debet; in quo agitur de populi romani gloria, quae vobis a maioribus quum magna in rebus omnibus, tum summa in re militari, tradita est: agitur salus sociorum atque amicorum, pro qua multa majores vestri magna et gravia bella gesserunt: aguntur certissima populi romani vectigalia et maxima, quibus amissis, et pacis ornamenta et subsidia belli requiretis: aguntur bona multorum civium, quibus est a vobis et a moderatoribus reipublicae consulendum.

III. Et quoniam semper adpetentes gloriae praeter 7 ceteras gentes atque avidi laudis fuistis; delenda est vobis illa macula, Mithridatico bello superiore suscepta: quae penitus jam insedit atque inveteravit in populi romani nomine: quod is, qui una die, tota Asia, tot in civitatibus, uno nuntio atque una literarum significatione, cives romanos necandos trucidandosque denotavit, non modo adhuc poenam nullam suo dignam scelere suscepit, sed ab illo tempore annum jam tertium et vicesimum regnat, et ita regnat: ut se non Ponto neque Cappadociae latebris occultare velit, sed emergere e patrio regno, atque in vestris vectigalibus, hoc est, in Asiae luce versari. Etenim adhuc ita vestri 8 cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab illo insignia victoriae, non victoriam reportarent. Triumphavit L. Sulla, triumphavit L. Muraena de Mithridate, duo fortissimi viri et summi imperatores: sed ita triumpharunt, ut ille pulsus superatusque regnaret. Verumtamen illis imperatoribus laus est tribuenda, quod frugerunt; venia danda, quod reliquerunt; propterea quod ab eo bello Sullam in Italiam respublica, Muraenam Sulla revocavit.

IV. Mithridates autem omne reliquum tempus, non 9 ad oblivionem veteris belli, sed ad comparationem non vi contulit; qui posteaquam maximas aedificasset ornassetque classes, exercitusque permagnos, quibuscum-

que ex gentibus potuisset, comparasset, et se Bosphoranis *f*), finitimis suis, bellum inferre simulasset; usque in Hispaniam legatos Ecbatanis *g*) misit ad eos duces, quibuscum tum bellum gerebamus; ut, quum duobus in locis disjunctissimis maximeque diversis, uno consilio, a binis hostium copiis bellum terra marique gereretur, vos ancipiti contentione districti, de imperio dimicaretis. Sed tamen alterius partis periculum *h*), Sertorianae atque Hispaniensis, quae multo plus firmamenti ac roboris habebat, Cn. Pompeji divino consilio ac singulari virtute depulsum est; in altera parte ita res a L. Lucullo, summo viro, est administrata, ut initia illa gestarum rerum magna atque praeclara non felicitati ejus, sed virtuti: haec autem extrema, quae nuper acciderunt, non culpa, sed fortunae tribuenda esse videantur. Sed de Lucullo dicam alio loco, et ita dicam, Quirites, ut neque vera laus ei detracta oratione nostra, neque falsa adficta esse videatur. De vestri imperii dignitate atque gloria, quoniam is est exorsus orationis meae, videte, quem vobis animum suscipiendum putetis.

V. Majores vestri saepe, pro mercatoribus ac navicularioribus injuriosius tractatis, bella gesserunt: vos tot civium romanorum millibus *i*), uno nuntio atque uno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis? Legati quod erant adpellati superbius, Corinthum *k*) patres vestri totius Graeciae lumen extinctum esse voluerunt: vos eum regem inultum esse patiimini, qui legatum *l*) populi romani, consularem, vinculis ac verberibus atque omni supplicio excruciatum necavit? Illi libertatem civium romanorum imminutam non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis? Jus legationis verbo violatum illi persecuti sunt: vos legatum populi romani, omni supplicio interfectum; inultum relinquetis? Videte, ne, ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperii gloriam relinquere; sic vobis turpissimum sit, illud, quod accepistis, tueri et conservare non posse. Quid? quod salus sociorum summum in periculum ac discrimen vocatur. Regno expulsus est Ariobarzanes rex, socius populi romani atque amicus; imminent deo reges totius Asiae, non solum vobis inimicissimi sed etiam vestris sociis atque amicis; civitates autem omnes, cuncta Asia atque Graecia vestrum auxilium expectare propter periculi magnitudi-

nem coguntur; imperatorem a vobis certum deponere, quum praesertim vos alium miseritis, neque audent, neque se id facere summo sine periculo posse arbitrantur. Vident et sentiunt hoc idem, quod vos, unum 13  
virum esse, in quo summa sunt omnia, et eum prope esse; (quo etiam carent aegrius) cujus adventu ipso atque nomine, tametsi ille ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hostium repressos esse intelligunt ac retardatos. Hi vos, quoniam libere loqui non licet, tacite rogant, ut se quoque, sicut ceterarum provinciarum socios, dignos existimetis, quorum salutem tali viro commendetis. Atque hoc etiam magis quam ceteros; quod ejusmodi in provinciam homines cum imperio mittimus, ut, etiamsi ab hoste defendant, tamen ipsorum adventus in urbes sociorum non multum ab hostili expugnatione differant. Hunc audiebant antea, nunc praesentem vident, tanta temperantia, tanta mansuetudine, tanta humanitate, ut ii beatissima esse videantur, apud quos ille diutissime commoratur.

VI. Quare si propter socios, nulla ipsi injuria la- 14  
cessiti, majores vestri cum Antiocho, cum Philippo, cum Aetolis, cum Poenis bella gesserunt: quanto vos studio convenit, injuriis provocatos, sociorum salutem una cum Imperii vestri dignitate defendere; praesertim quum de vestris maximis vectigalibus agatur? Nam ceterarum provinciarum vectigalia, Quirites, tanta sunt, ut iis ad ipsas provincias tutandas vix contenti esse possimus: Asia vero tam opima est et fertilis, ut et ubertate agrorum, et varietate fructuum, et magnitudine pastionis, et multitudine earum rerum, quae exportantur, facile omnibus terris antecellat. Itaque haec vobis provincia, Quirites, si et belli utilitatem et pacis dignitatem sustinere vultis, non modo a calamitate, sed etiam a metu calamitatis est defendenda. Nam ceteris, in rebus, quum venit calamitas, tum detrimentum, accipitur: 15  
~~Et~~ in vectigalibus non solum adventus mali, sed etiam metus ipse adfert calamitatem. Nam quum hostium copiae non longe absunt, etiamsi irruptio facta nulla sit: tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit. Ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conservari potest. Quare saepe totius anni fructus uno rumore periculi, atque uno belli terrore amittitur. Quo tan-

dem animo esse existimatis aut eos, qui vectigalia vobis pensitant, aut eos, qui exercent atque exigunt, quum duo reges cum maximis copiis prope adsint? quum una excursio equitatus perbreui tempore totius anni vectigal auferre possit? quum publicani familias maximas, quas in salinis habent, quas in agris, quas in portibus atque custodiis, magno periculo se habere arbitrentur? Putatisne, vos illis rebus frui posse, nisi eos, qui vobis fructuosi sunt, conservaveritis, non solum (ut antea dixi) calamitate, sed etiam calamitatis formidine liberatos?

- 17 VII. Ac ne illud quidem vobis negligendum est, quod mihi ego extremum proposueram, quum essem de belli genere dicturus, quod ad multorum bona civium romanorum pertinet: quorum pro vestra sapientia, Quirites, habenda est ratio diligenter. Nam et publicani, homines et honestissimi et ornatissimi, suas rationes et copias in illam provinciam contulerunt: quorum ipsorum per se res et fortunae curae vobis esse debent. Etenim si vectigalia nervos esse republicae semper duximus; eum certe ordinem, qui exercet illa, firmamentum ceterorum ordinum recte esse dicemus.
- 18 Deinde ceteris ex ordinibus homines gnavi et industrii partim in Asia negotiantur, quibus vos absentibus consulere debetis; partim suas et suorum in ea provincia pecunias magnas collocatas habent. Erit igitur humanitatis vestrae, magnum eorum civium numerum calamitate prohibere; sapientiae videre, multorum civium calamitatem a republica se junctam esse non posse. Etenim illud primum parvi refert, vos publicanis amissa vectigalia postea victoria recuperare. Neque enim, iisdem redimendi facultas erit propter calamitatem, neque aliis voluntas propter
- 19 timorem. Deinde, quod nos eadem Asia, atque idem iste Mithridates initio belli Asiatici docuit, id quidem certe calamitate docti memoria retinere debemus. Nam tum, quum in Asia res magnas permulti amiserant, scimus Romae, solutione impedita, fidem concidisse. Non enim possunt una in civitate multi rem atque fortunas amittere, ut non plures secum in eandem calamitatem trahant. A quo periculo prohibete rempublicam, et mihi credite, id quod ipsi videtis, haec fides atque haec ratio pecuniarum, quae Romae, quae in foro versatur, implicita est eum illis pecuniis Asia-

ticis et cohaeret. Ruere illa non possunt, ut haec non eodem labefactata motu concidant. Quare videte, num dubitandum vobis sit, omni studio ad id, bellum incumbere, in quo gloria nominis vestri, salus sociorum, vectigalia maxima, fortunae plurimorum civium cum republica defenduntur.

VIII. Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. Potest enim hoc dici: belli 20 genus ita esse necessarium, ut sit gerendum: non esse ita magnum, ut sit pertimescendum. In quo maxime laborandum est, ne forte a vobis, quae diligentissime providenda sunt, contemnenda esse videantur. Atque ut omnes intelligant, me L. Lucullo tantum impertire laudis, quantam forti viro, et sapientissimo homini, et magno imperatori debeatur: dico, ejus adventu maximas Mithridatis copias omnibus rebus ornatas atque instructas fuisse: urbemque Asiae clarissimam nobisque amicissimam, Cyzicenorū *m*), obsessam esse ab ipso rege magna multitudine, et oppugnatam vehementissime, quam L. Lucullus virtute, 21 adsiduitate, consilio summis obsidione periculis liberavit; ab eodem imperatore classem magnam et ornata, quae ducibus Sertorianis ad Italiam studio inflammato raperetur, superatam esse atque depressam: magnas hostium praeterea copias vultis proeliis esse deletas: patefactumque nostris legionibus esse Pontum, qui ante populo romano ex omni aditu clausus esset: Sinopem atque Amisum, quibus in oppidis erant domicilia regis, omnibus rebus ornata atque referta, ceterasque urbes Ponti et Cappadociae permultas uno aditu atque adventu esse captas: regem, spoliatum regno patrio atque avito, ad alios se reges atque alias gentes supplicem contulisse: atque haec omnia, salvis populi romani sociis atque integris vectigalibus, esse gesta. Satis opinor hoc esse laudis, atque ita, Quirites, ut hoc vos intelligatis, a nullo istorum, qui huic obtrectant legi atque causae, L. Lucillum similiter ex hoc loco esse laudatum.

IX. Requiretur fortasse nunc, quemadmodum, 22 quum haec ita sint, reliquum possit esse magnum bellum. Cognoscite, Quirites, non enim sine causa quaeri videtur. Primo ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur: quam praedicant in fuga fratris sui

membra in his locis, qua se parens persequeretur, dissipavisse, ut eorum collectio *n*) dispersa moerorque patrius celeritatem persequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens maximam vim auri atque argenti pulcherrimarumque rerum omnium, quas et a majoribus acceperat, et ipse bello superiore ex tota Asia direptas in suum regnum congesserat, in Ponto omnem reliquit. Haec dum nostri colligunt omnia diligentius, rex ipse e manibus effugit. Ita illum in persequendi studio moeror, hos laetitia retardavit. Hunc <sup>23</sup> in illo timore et fuga Tigranes, rex Armenius, excepit, diffidentemque rebus suis confirmavit, et afflictum erexit, perditumque recreavit. Cujus in regnum posteaquam L. Lucullus cum exercitu venit, plures etiam gentes *o*) contra imperatorem nostrum concitatae sunt. Erat enim metus injectus iis nationibus, quas numquam populus romanus neque lacessendas bello neque tentandas putavit. Erat et alia gravis atque vehemens opinio, quae per animos gentium barbararum pervaserat, fani locupletissimi et religiosissimi diripiendi causa in eas oras nostrum exercitum esse adductum. Ita nationes multae atque magnae novo quodam terrore ac metu concitabantur. Noster autem exercitus, etsi urbem *p*) ex Tigranis regno cepit, et proeliis usus erat secundis, tamen nimia longinquitate locorum, ac desiderio suorum commovebatur. Hic jam plura non dicam: fuit enim illud extremum, ut ex iis locis a militibus nostris reditus magis maturus, quam processio longior quaereretur. Mithridates autem manum suam jam confirmarat, et eorum, qui se ex ejus regno collegerant, et magnis adventitiis multorum regum atque nationum copiis juvabatur. Hoc jam fere sic fieri solere accepimus, ut regum afflictarum fortunae facile multorum opes alliciant ad misericordiam, maximeque eorum, qui aut reges sunt, aut vivunt in regno: quod regale iis nomen magnum et sanctum esse videatur. Itaque tantum victus efficere potuit, quantum incolumis numquam est ausus optare. Nam quum se in regnum recepisset suum, non fuit eo contentus, quod ei praeter spem acciderat, ut illam, posteaquam pulsus erat, terram umquam attingeret: sed in exercitum vestrum, clarum atque victorem, impetum fecit. Sinite hoc loco, Quirites (sicut poetae solent, qui res romanas scribunt) praeterire

me nostram calamitatem; quae tanta fuit, ut eam ad 26  
 aures L. Luculli non ex praelio nuntius, sed ex ser-  
 mone rumor adferret. Hic in ipso illo malo, gravissi-  
 maque belli offensione L. Lucullus, qui tamen aliqua  
 ex parte iis incommodis mederi fortasse potuisset, ve-  
 stro jussu coactus, (quod imperij diuturnitati modum  
 statuendum veteri exemplo putavistis), partem mili-  
 tum, qui jam stipendiis confectis erant, dimisit, par-  
 tem Glabrioni tradidit. Multa praetereo consulto: sed  
 ea vos conjectura perspiciatis, quantum illud bellum  
 futurum putetis, quod jungant reges potentissimi,  
 renovent agitatae nationes, suscipiant integrae gentes,  
 novus imperator vester accipiat, vetere pulso exercitu. 27

X. Satis mihi multa verba fecisse videor, quare  
 hoc bellum esset genere ipso necessarium, magnitudi-  
 ne periculosum: restat, ut de imperatore ad id bel-  
 lum deligendo ac tantis rebus praeficiendo dicendum  
 esse videatur. Utinam, Quirites, virorum fortium, at-  
 que innocentium copiam tantam haberetis, ut haec  
 vobis deliberatio difficilis esset, quemnam potissimum  
 tantis rebus ac tanto bello praeficiendum putaretis?  
 Nunc vero, quum sit unus Cn. Pompejus, qui non mo-  
 do eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam, sed eti-  
 am antiquitatis memoriam virtute superarit: quae res  
 est, quae cujusquam animum in hac causa dubium fa- 28  
 cere possit? Ego enim sic existimo, in summo impe-  
 ratore quatuor has res inesse oportere: *scientiam rei  
 militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem*. Quis igitur  
 hoc homine scientior unquam aut fuit, aut esse de-  
 buit? qui e ludo atque pueritiae disciplina, bello ma-  
 ximo atque acerrimis hostibus, ad patris exercitum at-  
 que in militiae disciplinam profectus est? qui extrema  
 pueritia q) miles fuit summi imperatoris? ineunte ado-  
 lescentia r) maximi ipse exercitus imperator? qui sae-  
 pius cum hoste confligit, quam quisquam cum inimi-  
 co concertavit? plura bella gessit, quam ceteri lege-  
 runt? plures provincias confecit, quam alii concupi-  
 verunt? cujus adolescentia ad scientiam rei militaris  
 non alienis praeceptis, sed suis imperiis; non offen-  
 sionibus belli, sed victoriis; non stipendiis, sed tri-  
 umphis est erudita? Quod denique genus belli esse  
 potest, in quo illum non exercuerit fortuna reipubli-  
 cae? Civile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense  
 mistum ex civitatibus atque ex bellicosissimis nationi-

bus servile, navale bellum: varia et diversa genera et bellorum et hostium, non solum gesta ab hoc uno sed etiam confecta, nullam rem esse declarant in usu militari positam, quae hujus viri scientiam fugere possit.

- 29 XI. Jam vero virtuti Cn. Pompeji quae potest par oratio inveniri? quid est, quod quisquam aut dignum illo, aut vobis novum, aut cuiquam inauditum possit adferre? Neque enim illae sunt solae virtutes imperatoriae, quae vulgo existimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo: quae tanta sunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus aut audivimus, non fuerunt.
- 30 Testis est Italia, quam ille ipse victor, L. Sulla, hujus virtute et subsidio confessus est liberatam. Testis est Sicilia: quam multis undique cinctam periculis, non terrore belli, sed celeritate consilii explicavit. Testis est Africa, quae, magnis oppressa nostrum copiis, eorum ipsorum sanguine redundavit. Testis et Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter Gallorum interneccione patefactum est. Testis est Hispania, quae saepissime plurimos hostes ab hoc superatos prostratosque conspexit. Testis est iterum et saepius Italia; quae, quum servili bello tetra periculosoque premeretur, ab hoc auxilium absente expetivit; quod bellum expectatione Pompeji attenuatum atque imminutum est, adventu sublatum ac sepultum.
- 31 Testes vero jam omnes orae atque omnes exterae gentes ac nationes, denique maria omnia, tum universa, tum in singulis oris omnes sinus atque portus. Quis enim toto mari locus per hos annos aut tam firmum habuit praesidium, ut tutus esset; aut tam fuit abditus, ut lateret? quis navigavit, qui non se aut mortis aut servitutis periculo committeret, quum aut hieme aut referto praedonum mari navigaret? Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam late divisum atque dispersum quis umquam arbitraretur, aut ab omnibus imperatoribus uno anno, aut omnibus annis ab uno imperatore confici posse? Quam provinciam tenuistis a praedonibus liberam per hosce annos, quod vectigal vobis tutum fuit? quem socium defendistis? cui praesidio classibus vestris fuistis? quam multas existimatis insulas esse desertas? quam multas aut metu relictas, aut a praedonibus captas urbes esse sociorum?

XII. Sed quid ego longinqua commemoro? Fuit hoc quondam, fuit proprium populi romani, longe a domo bellare, et propugnaculis imperii sociorum fortunam, non sua tecta defendere. Sociis ego vestris mare clausum per hosce annos dicam fuisse; quum exercitus nostri Brundusio numquam, nisi summa hieme, transmiserint? Qui ad vos ab exteris nationibus venissent, captos querar: quum legati populi romani redempti sint? Mercatoribus tutum mare non fuisse dicam; quum duodecim secures in praedonum potestatem pervenerint? Cnidum, aut Colophonem, aut Samum, nobilissimas urbes, innumerabilesque alias captas esse commemorem; quum vestros portus, atque eos *t*) portus, quibus vitam et spiritum ducitis, in praedonum fuisse potestate sciatis? An vero ignoratis, portum Caëtae celeberrimum atque plenissimum navium, inspectante praetore, a praedonibus esse direptum? ex Miseno autem ejus ipsius *u*) liberos, qui cum praedonibus antea ibi bellum gesserat; a praedonibus esse sublato? Nam quid ego Ostiense incommodum, atque illam labem et ignominiam reipublicae querar; quum, prope inspectantibus vobis, classis ea, cui consul populi romani praepositus esset, a praedonibus capta atque oppressa est? Proh dii immortales! tantamne unius hominis incredibilis ac divina virtus, tam brevi tempore, lucem adferre reipublicae potuit, ut vos, qui modo ante ostium Tiberinum classem hostium videbatis, ii nunc nullam intra Oceani ostium praedonum navem esse audiat? Atque haec qua celeritate gesta sint, quamquam videtis, tamen a me in dicendo praetereunda non sunt. Quis enim umquam aut obeundi negotii, aut consequendi quaestus studio, tam brevi tempore, tot loca adire, tantos cursus conficere potuit, quam celeriter Cn. Pompejo duce belli impetus navigavit? Qui, nondum tempestivo ad navigandum mari, Siciliam adiit; Africam exploravit; inde Sardiniam cum classe venit; atque haec tria frumentaria subsidia reipublicae firmissimis praesidiis classibusque munivit. Inde se quum in Italiam recepisset, duabus Hispaniis et Gallia Cisalpina praesidiis ac navibus confirmata, missis item in oram Illyrici maris et in Achaïam omnemque Graeciam navibus, Italiae duo maria maximis classibus firmissimisque praesidiis adornavit; ipse autem, ut a Brundusio profectus est, undequin-

33

34

quagesima die totam ad imperium populi romani Cili-  
ciam *x*) adjunxit: omnes, qui ubique praedones fue-  
runt partim capti interfectique sunt: partim unius  
hujus imperio ac potestati se dediderunt. Idem Cre-  
tensibus *y*) quum ad eum usque in Pamphiliam lega-  
tos deprecatoresque misissent, spem deditiois non  
ademit, obsidesque imperavit. Ita tantum bellum,  
tam diuturnum, tam longe lateque dispersum, quo  
bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pom-  
pejus extrema hieme adparavit, ineunte vere susce-  
pit; media aestate confecit.

- 36 XIII. Est haec divina atque incredibilis virtus im-  
peratoris. Quid ceterae, quae paullo ante commemo-  
rare coeperam, quantae atque quam multae sunt?  
Non enim solum bellandi virtus in summo atque per-  
fecto imperatore quaerenda est, sed multae sunt artes  
eximiae, hujus administratae comitesque virtutis. Ac  
primum quanta innocentia debent esse imperatores! es  
quanta deinde omnibus in rebus temperantia! quanta  
fide! quanta facilitate! quanto ingenio! quanta huma-  
nitate; Quae breviter, qualia sint in Cn. Pompejo,  
consideremus. Summa enim omnia sunt, Quirites;  
37 sed ea magis ex aliorum contentione, quam ipsa per  
sese cognosci atque intelligi possunt. Quem enim pos-  
sumus imperatorem aliquo in numero putare, cujus  
in exercitu veneant centuriatus atque venierunt? quid  
hunc hominem magnum aut amplum de republica co-  
gitare, qui pecuniam, ex aerario depromptam ad bel-  
lum administrandum, aut propter cupiditatem provin-  
ciae magistratibus diviserit, aut propter avaritiam Ro-  
mae in quaestu reliquerit? Vestra admurmuratio fa-  
cit, Quirites, ut agnoscere videamini, qui haec fece-  
rint; ego autem neminem nomino. Quare irasci mi-  
hi nemo poterit; nisi qui ante de se voluerit confiteri.  
Itaque propter hanc avaritiam imperatorum quantas  
calamitates, quocumque ventum sit, nostri exercitus  
38 ferant, quis ignorat? Itinera, quae per hosce annos in  
Italia per agros atque oppida civium romanorum no-  
stri imperatores fecerunt, recordamini; tum facilius  
statuetis, quid apud exteris nationes fieri existimetis.  
Utrum plures arbitramini per hosce annos militum ve-  
strorum armis hostium urbes, an hibernis sociorum  
civitates esse deletas? Neque enim potest exercitum is  
continere imperator, qui se ipse non continet; neque

severus esse in iudicando, qui alios in se severos esse iudices non vult. Hic miramur, hunc hominem tantum excellere ceteris, 39 cujus legiones sic in Asiam pervenerunt, ut non modo manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur. Jam vero quemadmodum milites hibernent, quotidie sermones ac literae perferuntur: non modo, ut sumtum faciat in militem, nemini vis adfertur, sed ne cupienti quidem cuiquam permittitur. Hiemis enim, non avaritiae perfugium majores nostri in sociorum atque amicorum tectis esse voluerunt.

XIV. Age vero, ceteris in rebus quali sit temperantia, considerate. Unde illam tantam celeritatem, et tam incredibilem cursum inventum putatis? Non enim illum eximia vis remigum, aut ars inaudita quaedam gubernandi, aut venti aliqui novi tam celeriter in ultimas terras pertulerunt; sed hae res, quae ceteros remorari solent; non retardarunt, non avaritia ab instituto cursu ad praedam aliquam devocavit, non libido ad voluptatem, non amoenitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse 40 ad quietem. Postremo signa et tabulas ceteraque ornamenta graecorum oppidorum, quae ceteri tollenda esse arbitrantur, ea sibi ille ne visenda quidem existimavit. Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompejum, sicut aliquem non ex hac urbe missum sed de coelo delapsum, intuentur. Nunc denique incipiunt credere, fuisse homines romanos hac quondam abstinentia; quod jam nationibus exteris incredibile ac falso memoriae proditum videbatur. Nunc imperii nostri splendor illis gentibus lucet: nunc intelligunt, non sine causa majores suos tum, quum hac temperantia magistratus habebamus, servire populo romano, quam imperare aliis maluisse. Jam vero ita faciles aditus ad eum privatorum, ita liberae querimoniae de aliorum injuriis esse dicuntur; ut is, qui dignitate principibus excellit facilitate par infimis esse videatur. Jam, quantum consilio, quantum 41 dicendi gravitate et copia valeat, in quo ipso inest quaedam dignitas imperatoris, vos, Quirites, hoc ipso in loco saepe cognovistis. Fidem vero ejus inter socios quantum existimari putatis, quam hostes omnes omnium generum sancissimam judicant? Humanitate jam tanta est, ut difficile dictu sit, utrum hostes ma-

gis virtutem ejus pugnantes timuerint, an mansuetudinem victi dilexerint. Et quisquam dubitabit, quin huic tantum bellum hoc transmittendum sit, qui ad omnia nostrae memoriae bella conficienda divino quodam consilio natus esse videatur?

- 43 XV. Et quoniam auctoritas multum in bellis quoque administrandis atque imperio militari valet; certe nemini dubium est, quin in ea re idem ille imperator plurimum possit. Vehementer autem pertinere ad bella administranda, quid hostes, quid socii de imperatoribus vestris existiment, quis ignorat: quum sciamus, homines in tantis rebus, ut aut contempnant, aut metuant, aut oderint aut ament, opinione non minus famae, quam aliqua certa ratione commoveri? Quod igitur nomen umquam in orbe terrarum clarius fuit? cujus res gestae pares? de quo homine vos (id quod maxime facit auctoritatem) tanta et tam praecelara judicia fecistis? An vero ullam usquam esse oram tam desertam putatis, quò non illius diei fama pervaserit; quum universus populus romanus, referto foro, repletisque omnibus templis, ex quibus hic locus conspici potest: unum sibi ad commune omnium gentium bellum Cn. Pompejum imperatorem depoposcit? Itaque, ut plura non dicam, neque aliorum exemplis confirmem, quantum hujus auctoritas valeat in bello; ab eodem Cn. Pompejo omnium rerum egregiarum exempla sumantur; qui quo die a vobis maritimo bello praepositus est imperator, tanta repente vilitas anno-nae ex summa inopia et caritate rei frumentariae consequuta est unius hominis spe et nomine; quantam vix ex summa ubertate agrorum diuturna pax efficere
- 44 potuisset. Jam accepta in Ponto calamitate ex eo proelio, de quo vos paullo ante invitatus admonui, quum socii pertinuissent; hostium opes animique crevissent; quum satis firmum praesidium provincia non haberet: amisissetis Asiam, Quirites, nisi ad id ipsum tempus divinitus Cn. Pompejum ad eas regiones fortuna populi romani attulisset. Hujus adventus et Mithridatem, insolita inflammatum victoria, continuit, et Tigranem, magnis copiis minitantem Asiae, retardavit. Et quisquam dubitabit, quid virtute perfecturus sit, qui tantum auctoritate perfecit? aut quam facile imperio atque exercitu socios et vectigalia conservaturus sit, qui ipso nomine ac rumore defenderit?

XVI. Age vero, illa res quantam declaret ejusdem 46  
 hominis apud hostes populi romani auctoritatem, quod  
 ex locis tam longinquis tamque diversis, tam brevi  
 tempore omnes una huic se dediderunt? Quod Creten-  
 sium legati, quum in eorum insula imperator noster  
 exercitusque esset, ad Cn. Pompejum *aa*) in ultimas  
 prope terras venerunt, eique se omnes Cretensium ci-  
 vitates dedere velle dixerunt? Quid? idem ipse Mithri-  
 dates nonne ad eundem Pompejum *bb*) legatum us-  
 que in Hispaniam misit, eumque Pompejus legatum  
 semper judicavit: ii, quibus semper erat molestum,  
 ad eum potissimum esse missum, speculatorem quam  
 legatum judicare maluerunt. Potestis igitur jam con-  
 stituere, Quirites, hanc auctoritatem, multis postea  
 rebus gestis, magnisque vestris judiciis amplificatam,  
 quantum apud illos reges, quantum apud exteras na-  
 tiones valituram esse existimetis. Reliquum est, ut 47  
 de felicitate (quam praestare de se ipso nemo potest,  
 meminisse et commemorare de altero possumus) sic-  
 ut aequum est homini de potestate deorum, timide  
 et pauca dicamus. Ego enim sic existimo, Maximo,  
 Marcello, Scipioni, Mario, et ceteris magnis imperato-  
 ribus, non solum propter virtutem, sed etiam propter for-  
 tunam saepius imperia mandata atque exercitus esse  
 commissos. Fuit enim profecto quibusdam summis  
 viris, quaedam ad amplitudinem, et ad res magnas  
 bene gerendas divinitus adjuncta fortuna. De hujus  
 autem hominis felicitate, de quo nunc agimus, hac  
 utar moderatione dicendi, non ut in illius potestate  
 fortunam positam esse dicam, sed ut praeterita memi-  
 nisse, reliqua sperare videamur, ne aut invisā diis im-  
 mortalibus oratio nostra, aut ingrata esse videatur.  
 Itaque non sum praedicaturus, Quirites, quantas ille 48  
 res domi militiaeque, terra marique, quantaque fe-  
 licitate gesserit, ut ejus semper voluntatibus non mo-  
 do cives adsenserint, socii obtemperarint, hostes obe-  
 dierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint.  
 Hoc brevissime dicam, neminem unquam tam impu-  
 dentem fuisse, qui a diis immortalibus tot et tantas  
 res tacitus auderet optare, quot et quantas dii immor-  
 tales ad Cn. Pompejum detulerunt. Quod ut illi pro-  
 prium ac necessarium sit, Quirites, quum communis  
 salutis atque imperii tum ipsius hominis causa, sicuti  
 facitis, velle et optare debetis. Quare quum et bel- 49

lum ita necessarium sit, ut negligi non possit: ita magnum, ut adcuratissime sit administrandum: et quum ei imperatorem praeficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna: dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod a diis immortalibus oblatum et datum est, in rempublicam conservandam atque amplificandam conferatis?

- 50 XVII. Quod si Romae Cn. Pompejus privatus esset hoc tempore: tamen ad tantum bellum is erat deligendus atque mittendus. Nunc quum ad ceteras summas utilitates haec quoque opportunitas adjungatur, ut in iis ipsis locis adsit, ut habeat exercitum, ut *cc*) ab iis, qui habent, accipere statim possit, quid expectamus? aut cur non ducibus diis immortalibus eidem, cui cetera summa cum salute reipublicae, commissa
- 51 sunt, hoc quoque bellum regium committimus? At enim vir clarissimus, amantissimus reipublicae, vestris beneficiis amplissimis adfectus, Q. Catulus: itemque summis ornamentis honoris, fortunae, virtutis, ingenii praeditus, Q. Hortensius, ab hac ratione dissentiunt: quorum ego auctoritatem apud vos multis locis plurimum valuisse et valere oportere confiteor; sed in hac causa, tametsi cognoscitis auctoritates contrarias fortissimorum virorum et clarissimorum; tamen omissis auctoritatibus, ipsa re et ratione exquirere possumus veritatem; atque hoc facilius, quod ea omnia, quae adhuc a me dicta sunt, iidem isti vera esse concedunt: et necessarium bellum esse, et magnum,
- 52 et in uno Cn. Pompejo summa esse omnia. Quid igitur ait Hortensius? *Si uni omnia tribuenda sunt, unum dignissimum esse Pompejum; sed ad unum tamen omnia deferri non oportere.* Obsolevit jam ista oratio, re multo magis quam verbis refutata. Nam tu idem, Quinte Hortensi, multa pro tua summa copia ac singulari facultate dicendi, et in senatu contra virum fortem A. Gabinium graviter ornateque dixisti, quum is de uno imperatore contra praedones constituendo legem promulgasset, et ex hoc ipso loco permulta item contra legem eam
- 53 verba fecisti. Quid tum, per deos immortales, si plus apud populum romanum auctoritas tua, quam ipsius populi romani salus et vera causa valuisset: hodie hanc gloriam atque hoc orbis terrae imperium teneamus? An tibi tum imperium esse hoc videbatur,

quum populi romani legati, praetores quaestoresque capiebantur? quum ex omnibus provinciis commeatu et privato et publico prohibebamur? quum ita clausa erant nobis omnia maria, ut neque privatam rem maritimam, neque publicam jam obire possemus?

XVIII. Quae civitas antea umquam fuit, non dico Atheniensium, quae satis late quondam mare tenuisse dicitur; non Carthaginiensium, qui permultum classe maritimisque rebus valuerunt; non Rhodiorum, quorum usque ad nostram memoriam disciplina navalis, et gloria remansit: quae civitas antea umquam tam tenuis, quae tam parva insula fuit, quae non portus suos et agros, et aliquam partem regionis atque orae maritimae per se ipsa defenderet? At hercle, aliquot annos continuos ante legem Gabiniam ille populus romanus, cujus usque ad nostram memoriam nomen invictum in navalibus pugnis permanserat, magna ac multo maxima parte non modo utilitatis, sed dignitatis atque imperii caruit. Nos, quorum majores Antiochum regem classe, Persenque *dd*) superarunt, omnibusque navalibus pugnis Carthaginienses, homines in maritimis rebus exercitatissimos paratissimosque, vicerunt: ii nullo in loco jam praedonibus pares esse poteramus. Nos quoque, qui antea non modo Italiam tutam habebamus, sed omnes socios in ultimis oris auctoritate nostri imperii salvos praestare poteramus; tum, quum insula Delos, tam procul a nobis in Aegaeo mari posita, quo omnes undique cum mercibus atque oneribus commeabant, referta divitiis, parva, sine muro, nihil timebat: iidem non modo provinciis atque oris Italiae maritimis ac portibus nostris, sed etiam Appia jam via carebamus. Et his temporibus non pudebat magistratus *ee*) populi romani in hunc ipsum locum adscendere; quum eum vobis majores vestri exuviis nauticis, et classium spoliis ornatum reliquissent.

XIX. Bono te animo tum, Q. Hortensi, populus romanus, et ceteros, qui erant in eadem sententia, dicere existimavit ea, quae sentiebatis: sed tamen in salute communi idem populus romanus dolori suo maluit, quam auctoritati vestrae obtemperare. Itaque una lex, unus vir, unus annus non modo nos illa miseria ac turpitudine liberavit: sed etiam effecit, ut aliquando vere videremur omnibus gentibus ac nationibus terra marique imperare. Quo mihi etiam indignius

videtur obtrectatum esse adhuc, Gabinio dicam, an ne Pompejo, an utrique? (id quod est verius) ne legaretur A. Gabinus Cn. Pompejo expetenti ac postulanti. Utrum ille, qui postulat legatum ad tantum bellum, quem velit, idoneus non est, qui impetret, quum ceteri ad expilandos socios diripiendasque provincias, quos voluerunt, legatos eduxerint? an ipse, cujus lege salus ac dignitas populo romano, atque omnibus gentibus constituta est, expers esse debet gloriae ejus imperatoris, atque ejus exercitus, qui consilio ipsius  
 58 atque periculo est constitutus? An C. Falcidius, Q. Metellus, Q. Coelius Latinienis, Cn. Lentulus, quos omnes honoris causa nomino, quum tribuni plebis fuissent, anno proximo legati esse potuerunt: in hoc uno Gabinio sunt tam diligentes, qui in hoc bello, quod lege Gabinia geritur, in hoc imperatore atque exercitu, quem per se ipse constituit, etiam praecipuo jure esse deberet? De quo legando spero consules ad senatum relaturos: qui si dubitabunt, aut gravabuntur: ego me profiteor relaturum: neque me impedit cujusquam, Quirites, inimicum edictum, quo minus, fretus vobis, vestrum jus beneficiumque defendam: neque praeter intercessionem quidquam audiam; de qua (ut arbitrator) isti ipsi, qui minantur, etiam atque etiam, quid liceat, considerabunt. Mea quidem sententia, Quirites, unus A. Gabinus, belli maritimi rerumque gestarum auctor, comes Cn. Pompejo adscribitur: propterea quod alter uni id bellum suscipiendum vestris suffragiis detulit, alter delatum susceptumque confecit.

59 XX. Reliquum est, ut de Q. Catuli auctoritate et sententia dicendum esse videatur. Qui quum ex vobis quaereret, *si in uno Cn. Pompejo omnia poneretis, si quid ei factum esset, in quo spem essetis habituri?* cepit magnum suae virtutis fructum ac dignitatis; quum omnes prope una voce, in eo ipso spem habituros esse dixistis. Etenim talis est vir, ut nulla res tanta sit, ac tam difficilis, quam ille non et consilio regere, et integritate tueri, et virtute conficere possit. Sed in hoc ipso ab eo vehementissime dissensio: quod quo minus certa est hominum ac minus diuturna vita, hoc magis respublica, dum per deos immortales licet, frui debet summi hominis vita atque virtute. *At*  
*obj. enim nihil novi fiat contra exempla atque instituta ma-*

*rum.* Non dico hoc loco, majores nostros semper in pace consuetudini, in bello utilitati paruisse: semper ad novos casus temporum, novorum consiliorum rationes adcommodasse, non dicam, duo bella maxima, Punicum, et Hispaniense, ab uno imperatore esse confecta, duas urbes potentissimas, quae huic imperio maxime minabantur, Carthaginem atque Numantiam, ab eodem Scipione esse deletas: non commemorabo, nuper ita vobis patribusque vestris esse visum, ut in uno C. Mario spes imperii poneretur, ut idem cum Jugurtha, idem cum Cimbris, idem cum Teutonibus bellum administraret. In ipso Cn. Pompejo, in quo novi consitui nihil vult Q. Catulus, quam multa sint nova summa Catuli voluntate constituta recordamini. 61

XXI. Quid enim tam novum, quam adolescentulum privatum exercitum difficili reipublicae tempore conficere? confecit: huic praeesse? praefuit: rem optime ductu suo gerere? gessit. Quid tam praeter consuetudinem, quam homini peradolescenti, cujus a senatorio gradu aetas longe abesset, imperium atque exercitum dari? Siciliam permitti atque Africam, bellumque in ea administrandum? Fuit in his provinciis singulari innocentia, gravitate, virtute: bellum in Africa maximum confecit; victorem exercitum deportavit. Quid vero tam inauditum, quam equitem romanum triumphare? at eam quoque rem populus romanus non modo vidit, sed etiam studio omni visendam *ff*) putavit. Quid tam inusitatum, quam ut, quum duo *gg*) consules clarissimi, fortissimique essent, eques romanus aut bellum maximum formidolosissimumque pro consule mitteretur? missus est. Quo quidem tempore quum esset non nemo in senatu, qui diceret: non oportere mitti hominem privatum pro consule, L. Philippus dixisse dicitur: *non se illum sua sententia pro consule, sed pro consulibus mittere.* Tanta in eo reipublicae bene gerendae spes constituebatur, ut duorum consulum munus unius adolescentis virtuti committeretur. Quid tam singulare, quam ut ex senatus consulto legibus solutus, consul ante *hh*) fieret, quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset? Quid tam incredibile, quam ut iterum eques romanus *ii*) ex S. C. triumpharet? Quae in omnibus hominibus nova post hominum memoriam constituta sunt, ea tam multa non sunt, quam haec, quae in hoc uno homine vidi-

mus. Atque haec tot exempla, tanta ac tam nova profecta sunt in eundem hominem a Q. Catulo, atque a ceterorum ejusdem dignitatis amplissimorum hominum auctoritate.

- 63 XXII. Quare videant, ne sit periniquum et non ferendum illorum auctoritatem de Cn. Pompejo dignitate a vobis comprobata semper esse; vestrum ab illis de eodem homine iudicium populi que romani auctoritatem improbari: praesertim quum jam suo jure populus romanus in hoc homine suam auctoritatem vel contra omnes, qui dissentiunt, possit defendere; propterea quod, istis reclamantibus, vos unum illum ex omnibus delegistis, quem bello praedonum prae-
- 64 poneretis. Hoc si vos temere fecistis, et reipublicae parum consulistis, recte isti studia vestra suis consiliis regere conantur. Sin autem vos plus tum in republica vidistis, vos, his repugnantibus, per vosmetipsos dignitatem huic imperio, salutem orbi terrarum attulistis, aliquando isti principes et sibi et ceteris populi romani universi auctoritati parendum esse fateantur. Atque in hoc bello Asiatico et regio non solum militaris illa virtus, quae est in Cn. Pompejo singularis, sed aliae quoque virtutes animi multae et magnae requiruntur. Difficile est, in Asia, Cilicia, Syria regnisque exterarum nationum ita versari vestrum imperatorem, ut nihil aliud, quam de hoste ac de laude cogitet. Deinde etiam si qui sunt pudore ac temperantia moderatiores, tamen eos esse tales propter multitudinem cupidorum hominum nemo arbitrabatur.
- 65 Difficile est dictu, Quirites, quanto in odio simus apud exterarum nationes propter eorum, quos ad eas per hos annos cum imperio misimus, injurias ac libidines. Quod enim fanum putatis in illis terris nostris magistratibus religiosum, quam civitatem sanctam, quam domum satis clausam ac munitam fuisse? Urbes jam locupletes ac copiosae requiruntur, quibus causa belli
- 66 propter diripiendi cupiditatem inferatur. Libenter haec coram cum Q. Catulo, et Q. Horstensio disputarem, summis et clarissimis viris. Noverunt enim sociorum vulnera, vident eorum calamitates, querimonias audiunt. Pro sociis vos contra hostes exercitum mittere putatis: an hostium simulatione contra socios atque amicos? quae civitas est in Asia, quae non me-

do imperatoris aut legati, sed unius tribuni militum animos ac spiritus capere possit?

XXIII. Quare etiam si quem habetis, qui collatis signis exercitus regios superare posse *hk*) videatur: tamen nisi erit idem, qui se a pecuniis sociorum, qui ab eorum conjugibus et liberis, qui ab ornamentis fa- norum atque oppidorum, qui ab auro gazaque regia manus, oculos, animum cohiberi possit: non erit idoneus, qui ad bellum Asiaticum regiumque mittatur. Ecquam putatis civitatem pacatam fuisse, quae locu- 67  
pales sit? ecquam esse locupletem, quae istis pacata esse videatur? Ora maritima, Quirites, Cn. Pompe- jum non solum propter rei militaris gloriam, sed eti- am propter animi continentiam requisivit. Videbat enim praetores locupletari quot annis pecunia publica, praeter paucos; neque nos quidquam aliud adsequi classium nomine, nisi ut detrimentis accipiendis ma- jore adfci turpitudine videremur. Nunc, qua cupidi- tate homines in provincias, quibus jacturis, quibus conditionibus proficiscantur, ignorant videlicet isti, qui ad unum deferenda esse omnia non arbitrantur? quasi vero Cn. Pompejum non quum suis virtutibus 68  
tum etiam alienis vitis magnum esse videamus. Qua- re nolite dubitare, quin huic uni credatis omnia, qui inter annos tot unus inventus sit, quem socii in urbes suas cum exercitu venisse gaudeant. Quod si aucto- ritatibus hanc causam, Quirites confirmandam pu- tatis: est vobis auctor, vir bellorum omnium maxima- rumque rerum peritissimus, P. Servilius; cujus tan- tae res gestae terra marique exstiterunt, ut, quum de bello deliberetis, auctor vobis gravior esse nemo de- beat. Est C. Curio, summis vestris beneficiis, maxi- misque rebus gestis, summo ingenio et prudentia praeditus. Est Cn. Lentulus, in quo omnes, pro am- plissimis vestris honoribus, summum consilium, sum- mam gravitatem esse cognoscitis. Est C. Cassius, in- tegritate, virtute, constantia singulari. Quare vide- te, num horum auctoritatibus illorum oratione, qui dissentiant, respondere posse videamur.

XXIV. Quae quum ita sint, C. Manili, primum 69  
istam tuam et legem, et voluntatem, et sententiam laudo vehementissimeque comprobo: deinde te hor- tor, ut auctore populo romano maneat in sententia, nevé cujusquam vim aut minas pertimescas. Primum

in te satis esse animi perseverantiaeque arbitror: deinde quum tantam multitudinem cum studio adesse videamus; quantam non iterum in eodem homine praeficiendo vidimus: quid est, quod aut de re, aut de praeficiendi facultate dubitemus? Ego autem, quidquid in me est studii, consilii, laboris, ingenii; quidquid hoc beneficio populi romani atque hac potestate praetoria; quidquid auctoritate, fide, constantia possum: id omne ad hanc rem conficiendam tibi et populo romano polliceor et defero. Testorque omnes  
 70 deos, et eos maxime, qui huic loco temploque praesident, qui omnium mentes eorum, qui ad rempublicam adeunt, maxime perspiciunt, me hoc neque rogatu facere cujusquam, neque quo Cn. Pompeji gratiam mihi per hanc causam conciliari putem, neque quo mihi ex cujusquam amplitudine aut praesidia periculis, aut adjumenta honoribus quaeram: propterea quod pericula facile, ut hominem praestare oportet, innocentia, tecti pellemus; honorum autem neque ab uno, neque ex hoc loco, sed eadem nostra illa laboriosissima ratione vitae, si vestra voluntas feret, consequemur. Quamobrem, quidquid in hac causa mihi  
 71 susceptum est, Quirites, omne me reipublicae causa suscepisse confirmo: tantumque abest, ut aliquam bonam gratiam mihi quaesisse videar: ut multas etiam similtates partim obscuras partim apertas intelligam, mihi non necessarias, vobis non inutiles, suscepisse. Sed ego me hoc honore praeditum, tantis vestris beneficiis adfectum, statui, Quirites, vestram voluntatem, et reipublicae dignitatem, et salutem provinciarum atque sociorum, meis omnibus commodis et rationibus praeferre oportere.

- a) E rostris dicere tantum consuli, praetori et tribuno plebis licuit; aut si privatus quidquam cum populo pro rostris communicare voluit, eo deducendus erat per consulem, vel praetorem, vel tribunum plebis.
- b) Vectigalia erant triplicis generis: *Decumae* ex agris et frugibus, 2. *Scriptura* e silvis et gregibus, 3. *Portorium* e navigatione seu ex iis, quae exportabantur.
- c) Per testamentum ultimi Bithyniae regis.
- d) Regnum Cappadociae Romani adjudicarunt Ariobarzani, cui Mithridates post abitum Luculli illud eripuit.
- e) Glabrio, Bithyniae proconsul.

- f) Ad *Bosporum Thracicum*, ut plerisque placet, seu potius, ut Cellario videtur, ad *Bosporum Cimmerium* habitantibus *Bosporus* (Ἰσσωπος) proprie, die Nindersfuhr, quia Io vacca tranasse ferur. Eine Meerenge, ein Sund. *Bosporus Thracicus*, die Straße bey Constantinopel; *Bosporus Cimmericus*, die Straße bey Caffa ad Chersoneson Tauricam.
- g) *Ecbatana*, Mediae metropolis, ad Tigranis regnum pertinens.
- h) Sertorius, a Marii partibus, a Sulla proscriptus, grave bellum in Hispania per octo annos gessit.
- i) Secundum Plutarchum centum quinquaginta millibus.
- k) Corinthum sub praetextu laesorum legatorum Romani everterunt, vide *Flor. L. II. 16*. Veram Corinthi eversae causam docet Cicero *orat. II. contra Rullum de lege agraria. c. 32. n. 87*. Carthaginem et Corinthum, quas Romae aemulas futuras timebant, delendas censuerunt Romani.
- l) Aquillio, qui cum Mario consul fuerat, liquidum plumbum per guttur infundendum mandavit.
- m) *Cyzicum* ad litora Propontidis.
- n) h. e. Collectio dispersorum membrorum, *Oxymeron*.
- o) In his populis nominat Plutarchus Medos, Adiabenos, Arabes, Albanos, Iberos, omnesque ad Araxem fluvium habitantes.
- p) Tigranocerta, urbs condita a Tigrane.
- q) *Extrema pueritia* ab anno aetatis 16 usque 22.
- r) Anno aetatis circiter 23.
- s) sc. mediterraneo.
- t) In Africa, Sicilia et Sardinia.
- u) Antonii filiam.
- x) Cilicia sedes piratarum praecipua.
- y) Cretenses favebant piratis.
- z) Idem de Hannibale testatur Livius XXI. 4. *Vigiliarum somnigae nec die nec nocte discriminata tempora, sed quod gerendis rebus superesset, quieti datum.*
- aa) De bello Cretico lege *Flor. III. 16*. Creta fuisse Mithridati videbatur. Hoc placuit armis vindicare. Primus invasit insulam Marcus Antonius, (Antonii Triumviri pater) cum ingenti quidem victoriae spe atque fiducia, adeo ut plures catenas in navibus quam arma portaret. Dedit itaque poenas vecordiae. Nam plerasque naves intercepte hostes, captivaeque corpora religata velis ac funibus pependere; ac sic vellificantes triumphantium in modum Cretes portibus suis adnavigarunt. Metellus deinde totam insulam igni ferroque populatus, intra castella et urbes redegit, et Gnosum et Ery-

*thraeam, et ut Graeci dicere solent, urbium matrem Cydoniam: adeoque saepe in captivos consulebatur, ut veneno se plerique conficerent, alii deditioem suam ad Pompejum absentem mitterent.*

*bb) Qui bello Sertoriano in Hispania detinebatur.*

*cc) A Glabrione, Bithyniae proconsule.*

*dd) Vide Liv. XLV. 42.*

*ee) Hortensium.*

*ff) Pompeius de Africa triumphavit.*

*gg) Decius Junius Brutus et Aemilius Lepidus Livianus.*

*hh) Anno aetatis 24.*

*ii) De Sertorio et Hispania.*

*kk) Cicero mordet Lucullum, qui collatis signis saepius victor, sed simul provinciarum expilator fuit.*

### M. Antonii Mureti

De utilitate ac praestantia literarum humaniorum adversus quosdam earum vituperatores,  
Oratio habita Venetiis.

Permultos esse intelligo, qui de his literis, quae humaniores vocantur, eam animo imbibere sententiam, ut earum tractationem leve quiddam esse ac nugatorium existiment; neque aut magnos admodum labores ab iis suscipi, qui eas juventuti tradant; aut eorum magnopere fructuosam esse reipublicae industriam: in iis denique non exquisitam ullam ac reconditam, sed circumforaneam quamdam haustamque de triviis ac circulis requiri doctrinam putent. A quibus ego quoniam ita dissentio, ut ex omnibus, qui se aliquid docere profitentur, horum vel gravissimum munus esse contendam, neque ullos esse, qui aut laborum plus perferant, aut majores in republica pariant fructus; doctrinae denique a nullo hominum genere majorem aut copiam requiri, aut varietatem arbitrer: constitui hodierno die Patres Amplissimi, vosque ceteri viri ornatissimi, eam mihi ad dicendum materiam sumere, et nobilissimam studiorum partem, quantum id quidem in me positum erit, a contemptu atque ab intolerabili eruditorum hominum insolentia vindicare.

Et vero quid aut huic tempori, aut omnino meo muneri facere convenientius possum, quam ut, quae

mili studia celebritatis aliquid quum aliis in locis, tum hac ipsa in civitate pepererunt; a quorum ego veluti fontibus ad hanc quantulamcumque profluxi hominum famam, iis quoque vicissim oratione mea splendoris ac claritatis adferre aliquid coner? Praesertim quum, qui hoc literarum genus aspernantur, facere nullo modo possint, quin de vestra, Patres Amplissimi, singulari spectataque in omnibus rebus ac paene divina sapientia nonnihil eadem superbia detrahant. Etenim si haec tota res tam levis est, quam isti eam videri volunt: quae vos tandem causa commovit, ut proximo superiore anno, propositis publice libellis, studiosorum hominum animos ad nobilem illam ingenii doctrinaeque contentionem excitaretis; utque iis, qui vobis in eo certamine probati essent, honestissimum postea praemium ex aulario decerneretis? Quae certe una res ad coërcendam istorum temeritatem satis ponderis habere debebat: ut si hebetiores eos natura stolidioresque finxisset, quam ut pervidere harum rerum praestantiam possent, quod tamen vestro talium virorum iudicio probatum foret, magnum esse aliquid et praeclarum suspicarentur.

Sed quoniam cum iis, qui auctoritate non moventur, rationibus agendum est; adeste animis, mihi que breviter ostendenti, quam varia quamque multiplex eruditio requiratur in iis, qui literas homaniores docent, eademque opera, quantos ex eorum navitate atque industria respublica percipiat fructus, non aures modo, sed mentes quoque attentas, quaeso, paullisper adhibere.

Atque adeo, ut haec tota controversia melius diducatur, operae pretium est, initio, quaenam sit istorum contemptorum humanitatis oratio, cognoscere. Qui quoniam eos, qui hasce literas tractant, ad nullum fere majoris momenti negotium adhiberi vident, non ad iudicandas lites, non ad agendas causas, non ad dicendam de rebus gravioribus sententiam: facile in eam opinionem prolabuntur, ut ab eis, praeter poëticas quasdam fabulas ad pueriles animos hilarandos compositas, et aliquot levia comendae ac poliendae orationis praecepta, nihil omnino teneri putent. Quid autem magni negotii est, inquirunt, in puerorum consessu de ejusmodi figmentis commemorare, ac modo de Thebano, modo de Trojano bello,

modo de Ulyxis aut Aeneae terroribus, et ad inanem oblectationem composito sermonis genere; identidemque velut a quibusdam arculis adcommodata colorandae orationi pigmenta depromere.

Ecqua autem magna eruditio est scire, quot navibus Graeci ad oppugnandum Ilium accesserint: quot filios habuerit Priamus; Helenam rapuerit Alexander, ut Homerus: an Helenae simulacrum, ut Euripides prodidit? quod emolumentum ex istorum omnium scientia; quod detrimentum ex ignoracione percipi posset?

Nam ceterarum quidem artium professores quantum utilitatis adferant, perfacile est ad intelligendum. Sive enim dialecticos spectes; ab iis certa quaedam veri falsique in rebus omnibus cognoscendi ratio traditur: ii se, quid cuique consentaneum sit, quid repugnans, quid ex quoque efficiatur; quae sit dividendi, quae finiendi, quae argumentandi ratio, et tenere et alios docere prae se ferunt. Quid physici? qui rerum principia causasque tractant: qui, quomodo quidque gignatur, quoque modo intereat, edisserunt; qui nimborum, fulminum tempestatumque causas, qui corporum coelestium magnitudines, intervalla, cursus, progressiones, institutiones; qui animi naturam, qui rationem sensuum, qui animantium omnium ortus, victus, figuras; qui stirpium, qui omnium ferme rerum, quae gignuntur e terra, naturas ita persequuntur, nulla ut pars ab eis coelo, mari, terra, ut poëtae loquuntur, praetermissa sit; haec quum tractant, mediocriterne reipublicae prosunt?

Nam si ad eos te convertas, qui eam susceperunt philosophiae partem, in qua de rebus expetendis fugiendisque disseritur; ii vero sunt, quorum industriae nulla unquam poterunt praemia satis ampla reperiri. Quibus enim, quamque praeclaris in rebus eorum disputationes consumi videmus! Qui hoc primum docent, qui sit finis, quid extremum, quid ultimum bonorum omnium; quod unum intueri, quo omnes actiones, omnes cogitationes, omnia consilia referri oporteat: quot sint virtutum, quotque vitiorum genera, quibusque modis illas adsequi, ab his declinare possimus, quo modo exultanti jactantique se, et detrectanti rationis imperium, frenos injicere oporteat cupiditati; tum quo modo quisque se in re fami-

liari gubernanda gerere debeat; postremo, quo nihil pulchrius, nihil praeclarius, nihil denique divinius ne votis quidem conceptis optari potest, quibus moribus, institutis, legibus temperandae sint civitates; quibus ille modis fundari atque institui; quibus augeri atque amplificari; quibus denique copiosissimae, locupletissimae, uno verbo, beatissimae effici possint.

O res praeclaras, et ardentissimo studio summaeque corporis atque animi contentione dignissimas! O vitae philosophia gubernatrix! O virtutum omnium parens! vitiorum omnium expultrix! Tuum est, falsarum opinionum temeritatem deripere; tuum est, omnem inanitatem ei errorem amputare ac circumcidere; tuum est, vitiorum fibras evellere, stirpes elidere, semina extinguere. Merito divinus Plato, nihil te praestantius hominum generi a diis immortalibus dari potuisse, dicebat. Eant nunc isti verborum magistri, fabularum interpretes, nugarum architecti; perfricent frontem; si quam habent, et se ulla ex parte cum philosophiae doctoribus conferendos esse, praedicent. Qui si aliquot forte paullo abstrusius loquendi genus, aut aliquam voculam non ita pervulgatam, ut quampiam paullo reconditiorem fabulam reperire potuerunt: dignos se inaurata statua putant; nonnumquam etiam de ejusmodi tricis ita inter se digladiantur, ut pro aris et focus certamen suscepisse videantur.

Haec fere est, Patres Amplissimi, eorum, qui studia laboresque nostros deprimere conantur, oratio. Qui, quod philosophiam laudant, libentibus id nobis atque adprobantibus faciunt: numquam enim cuiquam concedemus, ut eam plus amet plurisque faciat. Quod autem nullum censent studiis atque artibus nostris cum ea esse commercium; in eo quantopere fallantur, facile ex iis, quae dicturus sum, intelligitur. Nam primum omnium si hoc ipsis concederemus, nihil aliud a nobis quam poëticas fabulas et exornandae orationis praecepta tradi: non ex eo tamen eficeretur, quod isti volunt, inanem quamdam et ludicram nostram omnem esse doctrinam, neque alio, quam ad puerorum animos vana quadam oblectatione demulcendos, referri. Etenim poëtarum fabulae, quas isti tantopere exagitant et insectantur, non levia quaedam et frugis expertia otiosorum hominum commenta sunt; imo

vero sub iis, velut involucris atque integumentis, omnis doctrina elegans, omnis ingenuo homine digna cognitio, omnis denique sapientia continetur. Eratosthenem quemdam fuisse ajunt, qui poëticen ita contemneret, ut Homerum ineptae loquacitatis magistrum nominaret. At certe Plato, Aristoteles, quorum non paullo major est, quam nescio cujus Eratosthenis, auctoritas, ita saepe repetitis ex eo testimoniis utuntur ad confirmanda ea, quae tradunt, ut eum non tantum studiosissime legisse, sed vix umquam de manibus deposuisse videantur.

Itaque mirari soleo, quum quidam, qui se philosophos videri cupiunt, et quidem ejusmodi philosophos, ut tamquam Atlante coelum, ita philosophiam supercilio suo niti putent, ita despiciatui ducunt poëtas, ut eorum scripta adspicere se dignari negent. Qui quidem cujusmodi philosophi sint, ipsi viderint: quum eos contemnant, quos philosophorum coriphaeus, Plato, modo sapientiae patres ac duces, modo deorum interpretes, modo deorum filios vocat. Aristoteles autem, cujus isti se germanos esse interpretes gloriantur, non tantum, ut ante dixi, in omnibus scriptis suis identidem poëtarum testimoniis utitur, verum etiam libro primo de sapientia, philosophum omnem fabularum amatorem esse, confirmat. Quod igitur Aristoteleos esse se ajunt, fortasse verius, sine dubio quidem verisimilius dicerent, si se ab Epicuro esse adfirmarent; hunc enim ex omni memoria unum fuisse philosophum accepimus, qui quum omnem elegantiam doctrinae, tum poëtarum praecipue scripta contemneret. Quod quidem se negligendis poëtis ex Aristotelis disciplina ac familia censi volunt: in eo, meo quidem judicio, faciunt et impudenter et impudenter. At enim id mihi hoc tempore propositum non est, ut de poëtarum laude dicam: quod si esset, facile ostenderem, omnia praecepta vitae, omnia officia nihilo ab eis deterius, quam a philosophis ipsis, doceri. Non igitur, quum poëtarum libros interpretamur, inanibus fabellis, nutricum more, animos ducimus; sed sementem quamdam virtutis atque doctrinae facimus: non in levibus minimeque frugiferis rebus operam sumimus; sed praecepta sapientiae, quo facilius in animos influant, insatiabili quadam admirabilium rerum varietate condimus.

Quid? quum ornate ac copiose loquendi praecepta tradimus, ludere videmur, an ea docere, quae semper principem locum in omni bene instituta civitate tenuerunt? An nescimus, eloquentiam a gravissimis auctoribus rerum omnium reginam vocari? Haec enim est illa virtus, quae quamlibet in partem arbitrato suo flectit audientium animos, eosque pulchritudinis suae splendore obstupefactos, quibusdam velut habenis numerosae orationis regit. Haec illa est, quae consolatur moerentes, adflictos excitat, jacentes erigit, quae sceleratis exitio est, innocentibus praesidio, improbis terrori, probis ornamento. Hac Cicero fretus Catilinae furores et nefaria in patriam inita consilia dissipavit. Hac togatus superavit armatos: ut vel inimicorum confessione omnibus triumphis majorem adeptus lauream diceretur. Hac instructi qui sunt, majus omnibus tyrannis imperium in homines obtinent. Siquidem tyranni, possunt illi quidem corpora constringere, animis nullam adhiberi vim possunt: hi vero dominantur in animos, quaeque ipsis honesta atque utilia videntur, ea non facere modo alios, sed etiam velle cogunt: illi inivitis imperant, hi volentibus: illi et oderunt omnes et odiosi sunt omnibus; hos in omne hominum genus beneficos perpetua omnium benevolentia comitatur. Neque vero non, qui eloquentiam contemnere se simulant, illius praestantiam intelligunt, sed quod adsequi non queunt, invidiose vituperare malunt, quam ingenue de imbecillitate suarum virium confiteri.

Orationis igitur meae summa eo redit denique; etiamsi nihil aliud a nobis requireretur, quam ut explicarem poëtarum fabulas, et juventuti quasi vias, quibus ad dicendi facultatem pervenire possit, indicarem; tamen neque mediocriter reipublicae prodesse nos, neque parvis in rebus contemnendisque versari. Nunc tantum abest, ut ea solum requirantur a nobis, ut nulla sit ars digna hominis liberaliter educati studio, cujus non aliqua cognitione oporteat tinctum esse eum, qui munus hoc cum laude sustinere meditetur. Itaque hoc inter nos et alios interest, quod alii eos tractant scriptores, quorum uno aliquo de genere tota disputatio est. Non enim fere in libris dialecticorum physicorumve, aut in iis, quibus medicinae jurisque civilis scientia continetur, quidquam

reperias, cujus intelligentiam non ex illis ipsis, de quibus inscripti sunt, artibus repetere possis: at nobis ii quotidie sunt explicandi libri, qui quum scripti sint a viris omni scientia excultis, ipsi quoque innumerabiles loco ex omni disciplinarum genere depromptos habent.

Itaque ceteri etiamsi ea unam artem teneant, quam docent, aliorum omnium sint omnino rudes: tamen sufficere posse suo muneri existimantur; neque umquam aut medico turpe habitum est, nescire leges; aut jurisperito, vel medicinam vel astrorum scientiam non tenere. Nos uni sumus, quibus omnis illa liberalium artium varietas, non pertractanda quidem ac pernoscenda penitus, sed degustanda tamen et delibanda necessario est. Non longe abierimus. Superiore anno Ciceronis orationes in Verrem interpretati sumus. Quam multa ibi nos explicare meminerunt, qui tum aderant, in quibus alios propemodum omnes juris civilis ignoratio fefellerat? Libros ejusdem de finibus nunc ipsos interpretandos suscipimus. Quam multa nobis ex omnibus philosophiae partibus depromenda erunt, quibus ignoratis, hos quoque libros ignorari necesse est? Quid astrorum ratio? Quid terrarum situs? nisi qui haec utraque utcumque teneat, satisne se quisquam idoneum poetarum interpretem profiteri potest? Et tamen usque eo alienis laboribus iniqui homines reperientur, qui ludere nos ac jocari, et nihil in docendo aliud quam puerilem voluptatem aucupari putent?

Nam illud quoque minime praetermittendum est, quod a graviorum artium doctoribus neque ornata neque elegans, neque multis quidem in locis latina oratio postulatur. Itaque ruant licet in dicendo, et impure, improprie, barbaramente loquantur: suo id eis quodam jure licere creditur. At nobis dicentibus, sunt, qui quosdam quasi laqueos tendant, ut si quid exciderit parum expolitur: diem nobis continuo dicant violatae latinitatis: quodque postremae iniquitatis est, peccasse nos putant, nisi in iis etiam, quae subito fundimus, plurimi illigati sint et verborum et sententiarum tepores.

Quae quum ita sint, quis est, qui non intelligat, si hominum expectationi hujus professionis satisfacere cupiamus, infinitos esse nobis labores exhaurien-

dos? Desinant igitur, desinant isti alienae industriae contemptores, gloriae obtrectatores; comprimant vocem, stultitiae atque invidentiae indicem. Vos vero, Patres Amplissimi, pergite, ut facitis, benignitate vestra labores nostros fovere, ut haec florentissima et bonarum artium studio deditissima juventum exercitationibus hisce nostris ad virtutem praeparata atque praeculta, vestram olim in hac felicissima republica gubernanda sapientiam facilius imitari queat.

M. Antonii Mureti

de moralis philosophiae laudibus

Oratio habita Romae.

Veteri consuetudine receptum est, ut omnes, qui artem aliquam publice docendam suscipiunt, eam primam habeant concionem, qua rationem instituti cum ejus, quam se tradituros esse profitentur, artis laude conjungant, eoque, quidquid habent in dicendo virium, conferant, ut in ea quum utilitatis et emolumenti, tum dignitatis et amplitudinis longe plurimum inesse confirment. Quae consuetudo etsi minime reprehendenda mihi quidem videtur, quod omnia laudanda sunt, quae ad amplificandam honestarum artium dignitatem et ad excitandum in hominum animis earum studium pertinent: tamen illud habet incommodi, quod, dum omnes promiscue iisdem fere adficiuntur laudibus, ejusdemque rei gloriam diversarum artium homines ad suam quisque traducere ac transferre conantur, fit, ut in vulgus eleveltur omnium auctoritas; et ut, quoties aliquis de quacumque arte quidpiam honorifice ac splendide dicere ingressus est, circumfusa multitudo ita eum loqui opinetur, non quod ita sit, sed quod eam tunc artem ornandam celebrandamque susceperit: idem de alia dicturus; si alia sibi extollenda et exaggeranda esset. Ergo ut, qui comoedias aut tragoedias spectant, quum histrionem aliquem in prosenio auro ac pupura fulgentem viderint, facile intelligunt, illa ornamenta ipsius propria non esse, sed futurum, ut aequè illis indueretur quilibet alius e grege, qui ad tempus eam personam sustineret: ita, qui ejusmodi orationes audiunt, quum hanc aut illam artem magnificis et exquisitis exornatam laudibus vi-

dent, statim judicant, nihilo magis eas in hanc quam in illam convenire, futurumque, ut eadem de qualibet alia dicerentur, cui orator, tamquam choragus, eas quasi partes mandare atque imponere voluisset.

Quae quum mihi de principio in mentem venissent, propemodum in eam me sententiam adduxerunt, ut eam philosophiae partem, quae ad confirmandos mores instituendaeque vitae rationem pertinet, quotidianis disputationibus, quantum meae vires ferrent, illustraturus, nihil initio, quo dignitatem ipsius vobis commendarem, dicendum arbitrarer; verens, ne, quum suis eam modo ac propriis laudibus extulissem, communes tamen illae nonnullis ac tralatitiae viderentur. Simul autem illud cogitabam, si qui nondum pervidissent, adsidua et diligens harum praeceptionum tractatio quantum momenti habeat ad bene beateque vivendum, fore, ut brevi eis pro me res ipsa loqueretur: ex qua multo id eos melius multoque perfectius, quam aut ex mea, aut ex cujusquam oratione cognituros. Sed ab ea me sententia abduxit amicorum aliter sententium auctoritas, qui quum alia multa, tum hoc argumentum attulerunt; quum haec ipsa philosophia praecipiat, non esse cuiquam temere a publica consuetudine discedendum, minime convenire, qui eam se traditurum profiteretur, eum in ipso quasi vestibulo illius praecepta migrare.

Quocirca dicam hodierno die breviter et modice de morali philosophiae laudibus, deque fructibus, quos illa suis cultoribus pollicetur; sed philosophico magis quam oratorio more: non ut ei quidquam alieni adfingam, aut quae ipsius propria sunt, amplificandi causa in majus extollam; quorum alterutrum si coner, ipsa mihi philosophia, ut est veritatis amans, tamquam Achilli Homericæ Pallas; manum injiciat: sed ut nudo ac simplici orationis genere, quale veritatis proprium esse ait Euripides, ea, quae ad rem facere videbuntur, exponam.

Primum igitur non artium, sed omnium omnino humanarum rerum dignitatem atque praestantiam ex fine, ad quem earum quaeque dirigitur, quemque sibi proponit, pendit ac spectari arbitror oportere: ut, quanto cujusque finis praestantior ac divinius est, tanto ipsa ceteris excellere judicetur. Quo posito, testis enim ita perspicuum, ut probationis non indi-

geat) quis umquam reperietur tanta vi praeditus ingenii, tanta eloquentiae copia instructus, qui se de philosophia pro ipsius dignitate, verba facere posse confidat? Non enim illa sibi opes ac copias, quae et saepe possessoribus suis exitio sunt; et tam multis casibus eripi possunt; non honores et imperia, quae quod concupiverint; multi, quod aspernatus sit, nemo umquam vituperatus est; non quidquam denique proponit ejusmodi, quo et carere sine probro, et abundare sine gloria liceat; sed eam, ad quam omnes aspirant, quam sibi votis omnibus expetunt, ad quam omnes suas actiones omniaque consilia referunt, felicitatem. Quanto igitur ceteris omnibus bonis antestat felicitas, tanto philosophia ceteris artibus antecellit. Quod si tanto studio colantur artes quaedam, quae nihil sibi aliud, quam lucrum et rei familiaris amplificationem tum incertam tum laboris ac periculi plenam proponunt: quanto haec studio digna est, qua parantur verae illae opes animi, quae non furto eripi, non incendio absumi, non naufragio absorberi possunt; quaeque certam rectamque viam commonstrant ad persequendum id bonum, quo cetera omnia continentur? Si tanto in honore medicina est, quod habere levationem morborum, quibus tentatur corpus, bonaeque valetudinis ac firmitatis tum effectrix esse tum conservatrix creditur; qui tandem honores excogitari poterunt ea arte digni, quae se in animis idem effecturam esse profitetur? Nam et praestantior corpore animus est; et hujus, quam illius, multo plures morbi multoque periculosiores.

Quodsi cui forte dubium est, excutiat ille paulisper intelligentiam suam secumque reputet, quam saepe unius hominis ambitio, avaritia, libido integras funditus everterit civitates. His autem et similibus morbis medetur philosophia, eamque in suis efficit animi firmitudinem, quam non voluptatum illecebrae, non dolorum faces, non divitiarum splendor, non obscura et contemta paupertas, non honorum sitis, non ignominiae metus, non vitae cupiditas, non mortis terror convellere et labefactare possit. Ut enim Olympi cacumen poëtae semper quietum esse ajunt; propterea quod altius sit, quam ut eo vis ventorum tempestatumque perveniat: sic philosophorum animus sublimior et excelsior est, quam ut istos flatus sentiat furen-

tium et de rebus abjectissimis inter se humi digladiantium cupiditatum. Stat illa, ut in medio mari edita et altissimis defixa radicibus rupes: cujus summa fluctus ne attingunt quidem: infima sic verberant, non ut eam commoveant, sed ut ipsi frangantur.

Novit philosophus vulgarium voluptatum blanditas partim puerilium oblectamentorum similes esse, indignas non modo, quas consecentur, sed quas respiciant viri, partim cum dedecore ac turpitudine conjunctas, et satius sit, quovis dolore lacerari, quam venenata ac pestifera earum suavitate mulceri.

Habet alias ex sese proprias ac perpetuas voluptates, easdemque sincerissimas, nullaque, ne minima quidem, permitione molestiae contaminatas, quas ex ipsa virtute et ex honestis actionibus carpit: iis fruitur, iis mentem pascit, iis se oblectat, eas solas caras ac jucundas habet. Nam ut in beatorum insulis dicuntur esse arbores quaedam adspectu jucundissimae, quarum in ramis toto anni tempore cernere est alios fructus mites jam et ad maturitatem perductos, alios maturescentes: alios pubescentes adhuc et in primum se florem induentes: sic in eorum, qui vere ac serio philosophantur, animis toto vitae tempore aliae actiones honestae ac laudabiles confectae jam sunt et absolutae, aliae in eo sunt, ut absolvantur, aliae inchoantur adhuc et informantur, primisque, ut ita dixerim, lineis designantur. Itaque aliarum recordatione ac conscientia, aliarum tractatione ac praesentia, aliarum meditatione et prospicientia sic adficiuntur, nihil ut sibi praeterea jucundum aut amabile existiment.

Immensa etiam illa et inexplebilis ad accumulandum opum aviditas, quam incertum est, copia an inopia magis incendat, radices agere in animo philosophiae praereceptis consito et exculco non potest. Quid ita? Nimirum quia haec id vel praecipue in suorum animis inserit, naturales opes ei terminatas esse et facile parabiles; eas qui adeptus sit, nihil ei amplius appetendum; non qui plurimum habeat, sed qui minimum desideret, ditissimum esse nihil magni faciendum, quod aequè pessimus atque optimus quisque consequi possit. Neque tamen eorum consilium probat, qui aut aurum in mare abjecisse, aut possessiones suas incultas ac desertas reliquisse memorantur; haec enim aut ignavorum hominum videntur aut pecunia uti ne-

scientium: quorum utrumque in vitio, non in laude ponendum est.

Ac fuere quidem ii, de quibus illa narrantur philosophi: sed rudior illa quaedam et simplicior philosophia tum fuit: politior nostra haec, et ad usum civilem adcommodatior; quae docet, opes, si quis aut a parentibus acceperit, aut industria sua quaesierit, aut alia quapiam honesta ratione ad eas pervenerit, non aspernandas aut rejicendas esse, sed ita habendas, ut virtutis non ut luxuriae administras. Nam illud mihi quidem permirum videri solet, quid ita veteres illi iudicarent, non posse se simul et rem habere et in sapientia studia incumbere: qui mihi etiam videntur, quo facto summam divitiarum, contemtionem significare ac prae se ferre voluerunt, eo ipso indicasse nimiam quamdam erga eas naturae suae propensionem, si nummos in arcam condere non poterant, ut non omnes cogitationes suas in eandem arcam includerent: neque, quamdiu patrimonium habebant, imperare sibi, ut aliis rebus contemplantis ac cognoscendis vacarent.

Equidem numquam eum militem laudaverim, neque fortem habendum duxerim, qui adversarium a se quam longissime amoveat, ne cum eo manus conserat: sed eum potius, qui et congregiatur et vincat. Neque vero video, qui minus impedimento sit egestas studiis quam divitiae. Necessae est enim, qui, unde vivat, non habet, eum sibi vitae subsidia aliunde quaerere: in quo quantum temporis ponit, tantum de sapientiae studiis detrahit. Melius igitur philosophia, cui qui se regendos permittunt, ii opes, si non habent, non requirunt; si habent, utuntur, ut decet; neque umquam torquentur aut augendi cupiditate aut amittendi metu.

Quid ego nunc de perturbatrice humanarum rerum, optimi cujusque ingenii corruptrice, concitatrice bellorum omnium, ambitione, quam semper virere in eorum, quos semel occupavit, animis, neque umquam consenescere, gravissimus auctor ait Thucydides, verba faciam? Numquid illius umquam facibus accendi poterit pectus, quod infusa prius philosophiae praecepta irrigaverint? Imo vero etiamsi antea subjecti ab ea ignis aliquid forte conceperit, id totum instillata philosophia restinguet. Ea enim magistra ac praece-

ptrice cognoscimus, verum decus veramque [gloriam] in sola virtute positam esse: eam qui consequutus sit: quid alii de se iudicent, non admodum laborare oportere: praecipue vero despiciendam levis et imperitae multitudinis temeritatem, quae ad mandandos honores caeco saepius et inconsiderato impetu, quam certo et explorato iudicio fertur. Praeclare et sapienter Cato, *mallo se dicebat quaerere homines, cur sibi posita non esset statua, quam si quaerent, cur posita fuisset.*

Eodem animo sunt veri omnes philosophi: esse se, ut de Amphiarao ait Aeschylus, quam videri optimos malunt; honores autem et magistratus aut non petunt, aut alienae, non suae utilitatis causa petunt; neque si adepti sunt, exsultant; neque si repulsam tulerint, anguntur animo; sed placate et moderate ferunt; aut si quando dolent, reipublicae dolent vicem, non suam. Caesarem ferunt, quum pontificatum petiturus ad comitia descenderet, matri dixisse, illam eo die aut pontificem habituram filium aut exulem. Jam tum praesagire ac praecognoscere licebat, ambitionem illam ingens aliquod malum civitati daturum. Itaque quid postea effecerit, videmus. At Cato, in petitione praeturae etiam Vatinius posthabitus, aequissimo ac moderatissimo animo tulit. Ita sunt philosophi. Maximam voluptatem in praetermittendis voluptatibus, maximas opes in quiete ac contento suis animo, maximam gloriam in non ambienda gloria ponunt. Satis honoratum putant esse, qui honore dignus sit; satis magnum regem, qui se ipsum regere; satis potentem imperatorem, qui cupiditatibus suis imperare possit: qui vero eis plane domitis ac subactis jugum rationis, quod illae non conentur quidem umquam excutere, imposuerit, ab eo omnes aliorum victorias triumphosque superatos. Quodsi libidinem, avaritiam, ambitionem pestes quasdam ac furias esse novimus, quae funditus humanam vitam conturbent: quantus honos habendus est philosophiae, quae se omnes earum conatus repulsuram, omnes igniculos repressuram, omnia semina elisuram, non magnificentius quam verius pollicetur?

Videre vos opinor, quam se latus orationis meae campus ostendat, si quaecumque hoc loco se conferunt, persequi, et in singulis insistere atque immorari velim. Nam quum virtus nulla sit, de qua non splen-

dide et ornate dicere; nullum vitium, in quod non graviter et copiose invehi liceat: quidquid de eorum utrolibet dici potest: idem ad philosophiam laudandam adcommodari potest: quam virtutis indagatricem, vitiorum expultricem latinorum omnium eloquentissimus vere ac merito nominavit. Sed non committam, ut cuiquam videar transilire eos terminos, quos initio pepigi; potiusque reprehendi me patiar, quod multa, quae fusius explicare licuisset, compresserim ac coarctaverim, quam quod in ulla re dilatanda evectorum sim longius justo, neque satis mihi imperare potuerim.

Nunc illud mecum etiam atque etiam considerate: ceterarum omnium artium fines, neque eos modo, sed omnia prorsus, quae bona putantur in vita, nisi quis philosophiam vitae ducem habeat, pestifera ac perniciose esse. Da homini non philosopho opes ac copias, da honores atque imperia; da firmam validitudinem; da gladiatorium totius corporis robur: da multarum magnarumque rerum cognitionem ac scientiam; da flexanimam illam, ut poëtae vocant, et omnium rerum reginam eloquentiam; da, quidquid in filiis parentum votis optari solet: quo ejusmodi plura in talem hominem congesseris, eo illum magis et in suam et in aliorum perniciem armaveris. Opibus abutetur ad suam libidinem explendam; imperiis ad aliorum libertatem opprimendam; firmitate et robore ad obeunda facinora; scientiam copiamque dicendi ad circumveniendos cives suos, ad perturbandam rempublicam, ad omnia denique tum sacra tum profana permiscenda et evertenda convertet. Da haec eadem vero minimeque fucato philosopho, deum quemdam ad benefaciendum humano generi e coelo demissum esse dices. Atque hoc illud est, quod in Alcibiade Minore sive Plato sive Xenophon disputat, ea, quae suapte natura bona sunt, sine scientia ejus, quod optimum est, quam eandem et philosophiam esse statuo, ad perniciem, non ad salutem, valere. O praeclaram laudem philosophiae, cuius ope ne mala quidem nocere; qua detracta, ne bona quidem prodesse possunt. Merito dixit Plato, nullum a diis datum esse hominibus ea majus aut praeclarius donum: merito Cicero unum diem ex ejus praeceptis actum peccantis immortalitati anteponendum.

Neque vero non illud ad ejus, de qua proprie sermo nobis institutus est, philosophiae laudem ac com-

mendationem facit, quod omnia propemodum, quae a veteribus de philosophia honorifice dicta sunt, ad hanc pertinent, quae in vitae ac morum emendatione versatur. Non enim, Plato, quum illam nobilissimam vocem tamquam ex oraculo edidit; *tum demum beatas civitates fore, quum aut regnarent philosophi, aut reges philosopharentur*, intellexit, tum id eventurum quum reges aut disserendi subtilitate, aut in pervestigandis rerum naturalium causis occupati essent; quae, quamquam praeclara sunt, longissime tamen absunt ab eo, ut beatas republicas efficere possint, sed quum virtutis pulchritudine incensi, omnes vires suas ad eam non cognoscendam modo, sed exercendam, excolendam, propagandam contulissent. At contra quidquid inanibus imperitorum ac maledicorum sermunculis adversus philosophiam jactatum est; quoscumque in eam aculeos scurrilis quorundam libido conjecit; quidquid ad minuendam ipsius dignitatem veteris comediae licentia effutiit; id omne, si diligentius excutiat, ad dialecticos potius, et ad physicos, quam ad politicos pertinere videbitur.

Quod si ullus in orbe terrarum locus est, ubi politice florere suamque dignitatem obtinere deceat, Romae id, Romae potissimum fieri debet: cui urbi a primo ipsius ortu divino permissu datum est, ut aliis imperaret, unde leges, unde jura, unde religionem ceterae nationes et olim petierunt, et nunc petunt: unde quondam exsiterunt tam multi clari viri, qui haec praecepta, quae nos tradituri sumus, exemplo suo comprobarent. Nolite enim putare, illa lumina, Camillos, Curios, Fabricios, Fabios, Scipiones, Laelios ceterosque praestantes viros, quos olim haec urbs innumerabiles tulit, quorum quotidie nomina auditis, facta legitis, monumenta cernitis, statuas tanta admiratione intuemini, quod de philosophia neque disputarunt fere, neque scripserunt, eo minus philosophos fuisse. Vita illi, non oratione; factis, non dictis; moribus, non sermonibus philosophabantur: quod pulcherrimum ac verrissimum est philosophandi genus. Integritatem, justitiam, fidem, fortitudinem, omnem denique virtutem et colebant ipsi, et alios colere jubebant. Eo ad tantam majestatem atque amplitudinem pervenerunt, ut pleraeque gentes, quae ipsae olim a talibus viris subactae ac superatae sint, quam quod

ipsae alias devicerint, praelarius sibi ac gloriosius ducant. Quantam oportet gloriam fuisse vincentium, quam victi tot post seculis gloriantur?

¶ Eorum ego potissimum exemplis, adolescentes, incitabo vos quotidie atque exacuum, neque ullum ex Aristotele praeceptum proferam, cujus non ex hac urbe plurima maximeque illustria exempla repetantur. Constitui enim, quando PIUS Optimus ac Sanctissimus Pontifex, qui ipse omnis virtutis perfectissimum exemplar est, eum mihi honorem detulit; ut a me virtutis et officii praecepta vobis proponi atque explicari voluerit, modis omnibus eniti, ut eo non arido et inculto, et molestis implicato quaestionibus orationis genere prosequar: sed, quantum id quidem in me erit, florido et ubere, et quasi stellis quibusdam, ita petitis ex vetere historia exemplis illuminato atque distincto. Peto autem a vobis, ut, si et in iis rebus, quas tractare institui, summam dignitatem inesse cernitis, et me nullis vigiliis, nullis laboribus, nulli denique rei parcentem, ut vestris commodis consulam, videbitis: industriam meam diligentia atque benevolentia vestra adjuvetis.

### Paulini Chelucii

#### De felicitate viri literati

##### Oratio.

Vetus est, et apud omnes fere homines pervagata opinio, sorte sua contentum esse neminem. Etenim alter alterum beatum putat, seque prae illo miserum, suasque res deterioris esse fortunae conqueritur. Quamobrem miles fortunatos in primis mercatores, mercator vero milites beatos praedicat; agricola otium et comoda civitatis habet ante oculos, civis agricolarum vitam placidam et procul a negotiis positam reputat beatissimam. Proinde fit, ut suae quemque fortunae poeniteat; nemo sibi in suscepto vitae instituto placet; sed alienam suae praeferat sortem, suaque feliciorem invidet: quemadmodum rem hanc Venerinus poeta in sermone primo ad Maecenatem elegantissime prosequitur. At vero quamquam in terris, si verum fateri volumus, nulla sit rerum conditio, nulla hominum fortuna tam splendida atque opulenta, quae

absolutam possit plenamque hominis felicitatem efficere, quam nimirum nobis in altera et immortalī vita Deus Opt. Max. in coelo servatam voluit, ut proinde nemo unus in terris felix, nemo sit vere ex omni parte beatus: nihilominus, dum mihi sapientis viri status ante oculos observatur, dum omnem ejus vitae rationem tacita observatione contemplan; mutata profecto opinione, hominem certe quidem beatum apud nos reperiri posse minime dubito.

Ita plane Auditores, ego quidem in hac sententia sum, hominem doctrinae studiis deditum, hominem doctum unoque verbo hominem sapientem esse plane beatum, suaque sorte jure et merito haberi ac dici posse contentum. Haeretisne animo, et rem quasi omnino incredibilem vobis propositam esse putatis? Nequaquam. Sed si id mirum propter rei novitatem, aut minus probabile propter auctoritatem eorum, qui repugnant, vobis esse videatur: oro vos atque obtor, ut ne me levitatis, errorisve, indicta causa, damnare velitis; sed rationes et argumenta, quae me in hanc sententiam pertraxerunt, benigne attenteque audiatis. Quod quidem si numquam alias; hodierno die minime dubito vos esse facturos; neque enim levis neque vulgaris, at multo gravissima res agitur; illa scilicet vitae felicitas, quae nobis in hac ipsa, quam vivimus, vita contingere potest, et quam omnes tamquam maximum et extremum bonorum summo opere expetunt et unice quaerunt.

Neminem vestrum dubitare arbitror, quin vera mortaliū felicitas in animi quiete ac tranquillitate potissimum sita sit. Sed qua tandem ratione eam quis adsequi perpetuoque frui possit, non est communis atque una omnium sententia. Putant plurimi immensis opibus congestis sese beatissimos omnium fore, quod nimirum cuncta, ut ajunt, pecuniae obediant, quod opes hominem nihilo indigentem sufficientemque sibi faciant. Sed minime advertunt, quot molestias gravissimasque curas adferant opes illae, quae adimi, quae amitti possunt, quae denique in arbitrio ac potestate fortunae positae sunt. Taceo, quod numquam satiat, sed crescit in dies cupiditatis sitis, atque animus huic inhians numquam id tantum habet, quo expleri queat, quum avaritiae nihil umquam sit satis. Hinc Horatius Flaecus sapienter pronuntiavit: *Non, possi-*

*dentem multa, vocaris recte beatum.* Alii pollicentur sibi felicitatem, si ad primariam aliquam dignitatem, si ad supremum magistratum iter sibi munierint. At, proh Deus immortalis, quae res tam lubrica et incerta, quam quae vel a multitudinis favore, vel a praepotentis hominis voluntate et gratia pendet? Quam saepe magnas spes et bene confirmatas una nox, aut aliqua parva rumoris aura subvertit? Non est in hac urbe res nova oculis nostris aut insolens.

Quid vero homines illi, qui deliciis adfluunt, qui gemmis auroque ornati, qui unguentis delibati incedunt, ac somno luxuque perdit, in otio aut quiete vitam degunt, nonne tibi lauti ac beati esse videntur? Errat, vehementer errat, qui ejusmodi homines (si homines magis, quam pecudes dicendi sint) tranquillam ac beatam vitam agere sibi persuadeat. Anguntur illi saepe animo, ipsisque displicet otio inertiaeque marcescere; et quum nihil splendidum, nihil se suisque majoribus dignum agere possint: vitam doloris ac molestiae plenam traducunt.

Quum igitur nec divitiarum copia, nec bonorum splendor, nec vitae mollioris otium, quae bona plerique homines prima et omnium longe praestantissima putant, sinceram in animo tranquillitatem pariant, neque ex iis optata vitae felicitas expeti possit: quid aliud restat, nisi ut in sapientiae studio, aut nusquam alibi, beatae vitae rationem consistere posse judicemus? Hinc M. Cicero: *Quid est, inquit, per deos, optabilius sapientia? Quid praestantius? Quid homini melius? Quid homine dignius?*

Verum ut ad id, quod propositum est, propius accedamus, cogitate mecum, Auditores, quid tandem sit pax illa et animi quies, quam sapientis propriam esse dicimus, nisi hominem ab omni sollicitudine animique perturbatione vacuum esse et immunem? Hoc autem consequi profecto praeterquam sapiens, nemo potest. Quum enim animus noster in duas veluti partes, ut philosophi volunt, divisus sit, alteram rationis participem, alteram vero expertem et nobis cum brutis animantibus communem: persaepe fit, ut in hac motus turbulentissimi, tum ad iracundiam tum ad cupiditatem impellentes, exoriantur; ex quibus permultae aliae aegritudines ac perturbationes, tamquam familiae, in nos derivantur: in quas nisi ratio, quasi

dux et moderatrix, imperium teneat; in maximas calamitates, gravissimasque acrumnas homines delabi necesse est. Hinc enim odia, hinc livor, hinc ambitio, hinc sexcentae aliae teterrimae pestes, quae rationis jugum excutere, eamque de sede sua deturbare conantur.

Unde autem homini in tanto rerum discrimine summoque periculo adripienda sunt tela, ad infestissimos ejusmodi hostes confodiendos longeque propulsandos, nisi auxiliares sapientia manus viresque conferat? Ita est profecto, bonarum artium studia, philosophorum monita, historicorum exempla, musarum cantus sunt quaedam quasi propugnacula, quibus hostium impetum et adgressiones homo sapiens repellit. Proinde nullum tam triste infortunium, nulla tam acerba calamitas occurrit, ut vere possit ejus animi tranquillitatem perturbare. Cogitat enim, quid forti et sapiente homine dignum sit; quid gravitas, quid animi magnitudo, quid vita hactenus praeclare acta, quid literarum studia, quid denique publica dignitas ab se postulet, atque in eo statu rerum efflagitet.

Possem hoc leco quum ex vetere, tum ex recentiore historia infinita fere eorum exempla in medium proferre, qui e literarum sinu tantum quietis ac tranquillitatis hauserint, ut asperrima quaeque aequissimo animo toleraverint. Non de Anaxagora, non de Diogene, aut Xenophonte loquar, quos in acerbissimo filiorum funere nihil ingemuisse, nihil animo commotos fuisse, memoriae proditum est. Satis sit ad memoriam vobis revocare Dionysium illum, Syracusarum tyrannum, qui propter improbitatem e fastigio regiae dignitatis dejectus et in exsilium pulsus, ad eam miseram conditionem redactus est, ut Corinthi pueros grammaticam doceret. Hic aliquando interrogatus: *Quid Plato. quid philosophia tandem sibi profuisset*: libere respondit: *Id sibi profuisse, ut jacturam regni et atrocitatem fortunae placide tranquilleque perferret*. O magnam doctrinae vim, quae facit, ut tyranni quoque, quorum animus conscientiae stimulis, tamquam ardentibus furiarum taedis, agitari perpetuo solet, dulcedinem suam degustent, curarumque levamen inveniant!

Sed fortasse Dionysius poenam illam aequo animo tolerabat, quam justam ac sceleri suo debitam esse intelligebat? Quid si homo innocens, imo specta-

tissimae virtutis exemplum, bonis omnibus, honoribus, patria, carissimis filiis, vita denique spoliari se, summa animi tranquillitate summaque constantia spectet? Severinum Boëthium dico, clarissimum illud romanae virtutis lumen, qui consulari dignitate, amplissimis opibus ac patria amissis, nihil est animo commotus, sed eadem mentis atque oris serenitate et diuturni carceris squalorem toleravit, et carnificis vultum telumque excepit. Erat ille Romae ex illustri Torquatorum familia natus, graecis et latinis literis ab adolescentia eruditus; erat geometriae studiis instructus, in arithmetica, in musica adprimum versatus. Quidquid ex logicae artis subtilitate, quicquid ex naturali scientia, aut morali disciplina fuerat, ab Aristotele subtiliter obscureque literis traditum; summo ille ingenio, commentariis doctisque expositionibus illustraverat; quumque Ticinium, conspiratione malorum a Theodorico, Gothorum rege, relegatus fuisset, pulcherrimum illud de consolatione volumen conscripsit, in quo M. Tullium sibi proposuit, qui, ut extinctae filiae desiderium leniret, de animorum immortalitate disceptans. Tullium vitae supersitem comprobavit; ita Boëthias de falso ac vero bono, tum etiam de providentia disputans, nihil sine divino numine mortalibus evenire declarat. Ac Ciceronem ipsum in se superasse videtur, quod, quum ille carmen non attigerit, Boëthius, quo utile dulci misceret, rem tum oratione tum carmine ita est prosequutus, ut ad utrumque sibi ingenium non defuisse demonstraverit.

Ecce vobis in hoc clarissimo viro non adumbratam, sed expressam veram sapientis imaginem! Vidistis animi tranquillitatem incredibilem maximis curarum fluctibus minime perturbatam. Vidistis constantiam nullis adversis casibus percussam aut oppressam, Vidistis denique, quid possint doctrinae studia ad adsequendam mortalis vitae felicitatem. Quemadmodum enim, qui Olympi verticem attigerunt, procellas quidem et tempestates infra se positas vident, dum ipsi interea nullis ventorum turbinibus, nullis imbribus obnoxii sunt, imo semper eadem coeli facie eademque serenitate gaudent: ita sapiens turbulentissima quaeque despiciens, semper quietus et tranquillus, placidissima vitae ratione perfruitur. Omnis quippe animi aegritudo levare potest suavissima meditatione literarum. At

que hinc est, quod Aristippus homines doctrinae deditos non immerito deorum simulacra nuncupaverit: quod nimirum, sicut illa sempiterna pax ac immutabili vitae tranquillitate laetantur, ita sapientis animus in beatissimo literarum otio perpetuum conquiescit.

At, dicet quispiam, si tanta literati hominis pax est, et tam firma animi tranquillitas: quid est, quod saepe inter illos odia et contentiones acerrimae de levissima etiam re, deque uno verbo excitentur, et maledicentissimis sese libellis invicem proscindant? Quis ignorat rixas et tragoedias inter Laurentium Vallam et Poggium, inter Politianum et Merulam, inter Accursium et Budaeum, inter Marinum et Murtulam, aliosque permultos magni nominis literatos? Ut nihil loquar de acerbissimis inimicitis, quas in Italia memoria nostra eruditi quidam inter se palam gesserunt. Imo si, quod res est, fateri volumus, ab ipsis fere literarum incunabulis aemulatio, et superbiae comes invidia, literarum animos occuparunt. Etenim Homerum Zoilus, etiam post ipsius fata, scriptis adversus eum libris ausus est insectari, unde ille cognomen *Θυρομάσιγος*. Sic quoque Antiochus Lemnius Socrati, Cydon Pythagorae, Xenophanes Colophonius Hesiodo, Amphion Cous Pindaro, Timocreon Simonidi, Asinius Pollio M. Tullio ob invidiam fuere quam maxime infensi. Ut taceam Rhemnium Polemonem, Alexandrinum grammaticum, qui M. Varroni, viro doctissimo, tantopere invidit, ut illum acerbe reprehendere ausus sit, et non Varronem, sed Verrem per summum contentum adpellaverit.

Darem profecto, Auditores, adversario manus victas, et causa omnino caderem, nisi vos singulari mentis acumine et sapientia praeditos cogitarem, qui veritatem a cavillationibus discernere optime nostis. Continent sane literarum studia in se sublime aliquid ac divinum, per quod non minus doctus ab indocto, quam a brutis homo distinguitur. Habent vero id cum ceteris rebus commune, ut, quantum optimus earum usus utilis est et ad vitae felicitatem opportunus, tantum earum abusus ac perversa ratio reipublicae noceat. Quid stomacho conducibilius quam vinum? Quid tamen illius copia et ebrietate perniciosius, cui Lycurgus quo viam prorsus intercluderet, vites omnes excidi imperavit? Quid humano generi ferro et igne

ad omnem vitae usum magis necessarium? Quibus nihilominus, si ad populorum interuersionem et urbium incendia homines abutantur, nihil est, quod magis noxium et exitiabile excogitari possit.

Ita quoque nihil est doctrinae studiis ad humanae vitae felicitatem opportunius, nihil ad exstirpanda vitia facesque cupiditatum restinguendas magis aptum, si quidem illis probe utaris. Quod si iisdem ad gloriae cupiditatem et ambitionem, si ad lites et iurgia homines abutantur, tantum abest, ut eorum animi tranquillitate perfruantur, ut potius inquieti, queruli et angoribus pleni in maximas se calamitates impingant. *Beata vita*, inquit Seneca, *sine virtute esse non potest*; proinde miseri et infelices ejusmodi homines ad nos non pertinent. De homine quidem sapiente disputo, ut jam antea dixi, non de literatoribus, qui aetatem in litibus flocci aestimandis, in gerris et nugis conterunt. Pernego vero illum esse aut dici posse sapientem, qui sibi non sapit. Neque is sapere plane videtur, qui non intelligit, nihil esse homini invidia perniciosius magisque cavendum; nihil magis virum literatum dedecere, quam maledicentiam et alienae laudis obtrectationem. Itaque longe abest a viro sapiente, de quo loquimur, aemulatio; longe abest invidia, odium atque contentio, longe abest demum, quidquid a leni placidoque animo prorsus abhorret.

At enim quod quispiam sedatis animi motibus, curis vacuam et perturbationibus vitam ducat, eritne idcirco beatus? Profecto *beatam vitam*, ut M. Tullius ait, *non depulsione mali, sed adeptione boni iudicemus oportet*. Itane? Quasi vero animum pace et tranquillitate tanta frui, bonum maximum dicendum non sit ac ceteris omnibus praeferendum. At quis adeo rudis adeo rerum omnium ignarus existit, ut nesciat; quanta sit semperque fuerit hominum literatorum gloria, quanta dignitas et amplitudo, quae, ut corpus umbra, illos consequitur? quis ignorat, ejusmodi bona sapientiae studiis constituta semper fuisse quasi fundum avitum et amplissimum patrimonium? Sunt haec per se clara, neque in iis opus est argumentis aut tempore abuti. Plenae sunt historiae, plenae literarum annales.

Verum non opes, non honores, non dignitates, non gloria, non triumphus comparandi ullo modo sunt cum ea felicitate, quae solet ex optimis studiis uber-

rime degustari. Te, Caesar Auguste, testem adpello, qui imperio terrarum potitus, perduellibus profligatis, ferocissimis nationibus domitis, tot clarissimis triumphis actis, totoque orbe pacato, maximam potentiam adeptus et in altissimo gloriae fastigio positus, nihilominus de fortuna saepe conquestus es, quod ea vitae tranquillitate careres, qua homo privatus in literarum otio perfuitur. O incredibilem literarum vim! O singularem doctrinae suavitatem! quae sapientissimi viri iudicio longe praestat immensis opibus, et victoriis omnibus ac triumphis est omnium maxime anteferenda. Sed haec Augustum quasi ad emphasin pronuntiasset forte quis suspicetur. Non ita profecto. Nam ceterae omnes tum animi tum corporis voluptates habent sua tempora certasque periodos, quas ultra progredi minime possunt. Venatio, palaestra, ludus aliaeque oblectationes plurimae, quibus juvenilis aetas tantopere gaudet atque exsultat, pariunt senectuti molestiam. At vero firma perpetuoque stabilis est suavissima voluptas, quae ex doctrinae studiis degustatur. Imo tantum abest, ut, quae delectatio in discendo sentitur, ingravescente aetate minuatur aut satietatem taediumque adferat, ut experimento potius constet, eam in dies augeri et majorem sui semper in animo cupiditatem excitare.

Etenim ex annalium memoria accepimus, sapientes fere omnes et jam aetate longaevos ad extremum usque spiritum doctrinam in amore ac deliciis habuisse. Gorgiam quidem Leontinum, Isocratis magistrum, legimus, ad centesimum et septimum aetatis annum doctrinae studio numquam abstinuisse. Isocrates autem, quem eloquentiae patrem Cicero adpellare solitus est, sex et nonaginta annos natus orationem panegyricam scripsit, et ad nonum usque et nonagesimum, in quo e vita discessit, rhetoricam docuit. Carneades quoque, quum esset nonaginta annorum, non prius philosophandi quam vivendi finem fecit. Quid vero Plato ille divinus, qui octogesimo aetatis anno in scribendo defixus, mortuus est? De quo illud merito dixerim, quod Valerius Maximus de M. Varrone sene pronuntiavit: *In eodem lectulo et spiritus ejus et egregiorum operum cursus extinctus est.* Neque minorem e doctrinae studio voluptatem perceperunt S. S. P. P. Gregorius Nazianzenus, Basiliius, Hieronymus, Ambrosi-

us, Augustinus aliique inter graecos et latinos sexcenti, qui in literis canescere ad summam senectutem, eundemque sibi vitae ac doctrinae terminum esse voverunt. Silentio praetereo, ne in dicendo longior sim, innumeros fere recentioris memoriae viros, sapientia et eruditione clarissimos, qui nuper in Italia, in Germania, in Gallia aliisque Europae regnis floruerunt; quos integram et bene longam aetatem in optimis studiis exegisse, plurima illa et immortalia, quae nobis reliquerunt, volumina satis superque testantur.

Verum quid longinqua aut externa conquirimus, quum domesticum nobis ante oculos clarissimumque huius rei obversetur exemplum? Nemo vestrum ignorat, quot quantosque studiorum labores Benedictus XIV. Pont. Max. jam inde ab adolescentia suscepit, et quantopere se in doctrinae studia ingurgitaverit. Ego quidem, ut verum fatear, hac de re olim minime mirabar pro eo, quo maximo pollet, ingenio, tum etiam, quod aetate tunc florens et virium robore firmior esset. Huc accedit, quod in ea studiorum genera incumbere deberet, quae munerum abs se susceptorum ratio postulare videbatur. At vero quid illi opus fuit, ut, ubi primo Anconitanus Episcopus, deinde Archiepiscopus Bononiensis renuntiatus est, nihil omnino de iis, quae ad optimum Ecclesiae pastorem pertinent, omittens, se tantum sacris studiis daret, quantum plurima ejus volumina de canonizatione Sanctorum recte instituenda, aliaque multa de ecclesiasticis ritibus et institutis evulgata typis nos docent? Quid postea? Pontifex ipse Maximus factus, quum jam sextum supra sexagesimum ageret annum, romanam ecclesiam septem jam annis sapientissime gubernavit: at quanta interim, Deus immortalis, contentione perpetuoque labore studiorum? Quem diem procul a libris studiisque traduxit immunem? Quot sanctiones apostolicas, quot encyclicas epistolas, quot decreta saluberrima pro ecclesiastica disciplina, aut restituenda aut sarta tecta servanda, solus ipse unus commentatus est, ordinavit, perscripsit? Jam inde tot prodierunt volumina sacrae eruditionis et antiquitatis plena, ut non ab uno homine, summa jam senectute confecto et infinitis prope christianae reipublicae negotiis impedito, sed a multis potius, vel ab eo, qui viribus integer sit et otio plurimo abundet, profecta esse videantur.

Quum igitur sapientissimus Pontifex nullum alium sibi de Pontificatu fructum decerpserit, praeter ingens istud perpetuumque doctrinae studium: quis tandem non intelligit, quam magna sit ac paene incredibilis doctrinae ipsius voluptas, quam neque annorum diurnitas, neque imbecillitas senectutis, neque ipsa denique mentis lassitudo minuere potest? Ita est profecto. Dicam voce qua maxima potero: Doctrinae studia nullum taedium, nullam adferunt satietatem; imo semper augetur inexplebilis eorum sitis et immensa cupiditas. Contra vero honores amplissimi et suprema ipsa dominandi ratio, quam propter, si jus violari fas est, maxime violandum esse, Julius Caesar adfirmare ausus est, tot curas et angores animo creat, ut in omni fere aetate summi reges clarissimique imperatores tranquillioris vitae causa sese imperio abdicare non dubitaverint. Proinde mirandum non est, quod literati hominis tranquillitatem et otium Augustus adeo cuperet, adeo doctis invideret, ut mallet inter eos privatum agere, quam orbi terrae universo imperitare.

Quae quum ita sint, jam satis intelligitis sapientis vitam esse omnium longe felicissimam; eamque opibus et triumphis, et gloriae summorum imperatorum jure et merito esse antefendam. Exsulant enim sapientis animo perturbationes ac vitiorum teterrimae pestes, quae mortalium felicitatem ac dulcissimam pacem usque quaque perturbant. O fortunatos nimium sapientes! O viros plane beatos, qui procul a caecis cupiditatibus scelerumque tumultu semoti; in placidissima vitae statione quiescunt! Quis tantam illis ac tam stabilem felicitatem non invideat? Quis eosdem sorte sua vere contentos esse non arbitretur? Utinam vobis, adolescentes optimi, hoc ipsum unum beatissimae vitae genus experiri tandem aliquando liceat! Utinam vos diligenti intentoque doctrinae studio eodem demum perveniatis, ut id, quod dicimus, revera ita esse intelligatis; nimirum inter varias ac molestissimas hujus mundi curas, inter gravissimas humanae vitae sollicitudines, solum sapientem esse beatum!

Paulini Chelucii  
De laudibus Leonis X.

## Oratio.

**T**ristis semper et acerba mihi accidit illius diei memoria, in quo Leo X. Pont. Max. incredibili bonorum omnium moerore, summaque totius urbis comploratione et lacrimis interiit. O diem reipublicae ac religioni funestissimum! O luctuosam tristissimamque populi romani calamitatem! Jam quinque supra viginti et ducentos enumerantur anni, ex quo ille publicae felicitati praereptus est, et, tamquam recenti refricato vulnere, adhuc miseris modis dolemus. Sollemni quotannis officio in hoc religionis et literarum domicilio Leoni ipsi justa persolvimus, clarissimam illius memoriam singulari laudatione prosequentes: sed tantum abest, ut pietatis huiusmodi significatione satis nobis fecisse existimemus, aut in nobis extincti desiderium minuatur; ut illud contra magis in dies augeri sentiamus. Etenim tanta fuit Leonis X. virtus, tam incredibilis sapientia, tanta in omnes, praesertim vero in viros doctos, liberalitas atque beneficentia, ut, quotquot iisdem temporibus exstiterunt scriptores, illum summis laudibus ad coelum extulerint; illum munificentissimum principem, illum Pontificem optimum ac sempiterna recordatione dignum, unanimi consensione praedicaverint.

In tanta igitur celebritate laudum tantoque virtutum plausu, quo me vertam, aut quid consilii capiam, prorsus ignoro. Neque enim possunt, tam brevi ad dicendum tempore constituto, amplissimae Leonis virtutes vel numerando recenseri, neque mihi mens est ire per singula praeclarissima ejus facta, et vos diutissime in audiendo defatigare. Itaque digitum ad fontem, ut ajunt, intendam atque operam dabo, ut paucis intelligatis, Leonem X. hoc tantum sui desiderium reliquisse, hanc tantam gloriae diuturnitatem esse consequutum ex literalitate in literarum cultores, ex summo denique optimarum artium patrocinio. Hinc profecto ille sibi nominis immortalitatem comparavit, atque hinc quoque hodierno die erit mihi praecipuum ac proprium de ejus laudibus argumentum. ceteris quidem ab eo praeclare gestis silentio praeter-

missis, quae fere singulis annis ex hoc amplissimo loco celebrari consueverunt.

Digna sane viro principe laus et liberalitas, quam primam et peculiarem imperantium dotem Alexander Severus nuncupare solebat; qua si qui careant, vix illi principis nomine digni esse videntur. Nimirum qui rerum potiuntur, hac una virtute populorum benevolentiam sibi maxime conciliant, imperiumque sibi beneficiis longe melius quam armis tuentur. Quod quum satis optimi principes intelligerent, illud dies noctesque cogitabant, quo pacto possent de omnibus bene mereri, ac diem illum, in quo non aliquem beneficio ornatum sibi que devinctum dimisissent, sibimet omnino periisse putabant: quemadmodum prae ceteris de Tito Caesare, de Trajano Imperatore aliisque plurimis historiae loquuntur.

At vero quamquam principes ipsi liberalitatis laude tantopere commendentur: fit tamen saepe, ut ea ipsa sic abutantur, ut propter illam non tam in laudem, quam in sermonem et vituperationem hominum veniant: quod nimirum, qua in re liberalitas ejusmodi sita sit, minime intelligant. Alii enim in venationibus, in ludis sumtuosis et spectaculis magnificentissimis pecuniae magnam vim profundunt, alii in tabulis pictis, signis et marmoribus: alii denique in magnificentia aedificiorum, in fontibus ac pyramidibus ad coelum usque extollendis immensas publici aerarii opes insumunt atque disperdunt.

Verum errant, profecto errant, si non in publicis commodis, sed in vanis hujusmodi substructionibus verae liberalitatis laudem contineri sibi persuadeant. *Falluntur*, inquit Tacitus, *quibus luxuria specie liberalitatis imponit: perdere multi sciunt, donare nesciunt.* Hinc est, quod Plinius, ut veram et germanam Trajani ab inani et fucata et praeteritorum Caesarum liberalitatem distingueret: *Ambitio*, inquit, *et jactantia et effusio et quidvis potius, quam liberalitas existimanda est, cui ratio non constat.* Et Isocrates regem suum Nicoclem admonebat: *ut splendidissimus quidem esset, sed in his rerum sumtibus liberalitatem ostenderet, quae fructum numquam interiturum ex se parerent.*

Quae quum ita sint, plane dubitari non potest, quin Leo X. vere liberalitatis laudem probe noverit, eamque fuerit perfecte adsequutus. Ex regia enim Me-

dicea familia natus, et in paterna domo, munificentiae et splendoris veluti officina liberaliter educatus, cum ipso paene nutricis lacte germanae virtutis et laudis sensus altius imbiberat. Noverat quidem adolescens, mira ingenii dexteritate praeditus, graecis praeterea ac latinis literis sapienter instructus, quantum discriminis inter veram et fucatam liberalitatem intercederet. Noverat, majores suos, immortalis memoriae viros, Cosmum proavum, Petrum avum, et Laurentium patrem, summo reipublicae bono in optimarum artium commoda immensas fere opes summa cum laude prodigisse. Proinde ipse quoque in omni vitae genere et Cardinalis et Pontifex, hanc eandem Mediceae domus gloriam, literarum patrocinio comparatam, quasi propriam sibi adseruit et, quam maxime potuit, amplificavit.

Nam ut silentio praeteream, quam liberali gratoque animo egregius adolescens se gereret erga Angelum Politianum, Demetrium Chalcondylam, Scipionem Carteromachum aliosque viros literarum dignitate clarissimos, quos ad humanitatis studia, ad eloquentiam, ad philosophiam et ad omnem eruditionem tum graecam tum latinam magistros habuit, ut nihil loquar de officiis ac liberalitate, qua usus est plurima erga viros doctrina praestantes, quum ab Innocentio VIII. Cardinalis in ipso aetatis flore renuntiatus in Academia Pisana versaretur, ut juri addiscendo operam daret: postremo ut missum faciam omne illud fortunatissimum tempus, quo paterna ejus domus opulentia, fortunis, gratia, auctoritate opibusque maxime floruit: cui mirum non videatur, quod adversante deinde fortuna, et communi Italiae fato Mediceae quoque domus ruinam et vastitatem involvente, ille nihilominus idem erga literatos homines studium, eundem animum eandemque voluntatem perpetuo conservaret?

Nemo vestrum ignorat tristissima ea tempora; quae bellorum tumultibus agitata; seditionum turbarumque tempestate quadam Italiam fere universam misere jactarunt. Ea tunc fuit Mediceae gentis calamitas, ut civium improborum invidiae, furori ac telis cogeretur. Quumque ex hac flamma periculoque Cardinalis Medices evolasset, decem et octo annos per

Italiam, Galliam, atque Germaniam pervagari compulsus est. In hoc autem tam misero, tam difficili diurnoque exsilio quis crederet, Joannem Medicem facultates, quas sibi reliquas fortuna facerat, literatis hominibus liberaliter numquam destitisse impertiri? Et sane etiam tum fuerunt Romae, fuerunt Mediolani, fuerunt Genuae atque Florentiae viri literarum cultores, quos suis ille sumtibus alebat et quibus poterat, opibus sustentabat. Vix cuiquam credibile videretur, aut oratorum more a me verbis auctum et exaggeratum id, quod dicam, nisi Paulus Jovius Nucerinus Antistes, rem literis testatam faceret: *Talis erat, inquit, Cardinalis Medices, etiam dum exsularet; erga viros doctos liberalitas, ut non defuerint aliqui, qui juvenem serio admonerent, ut sibi ab ejusmodi largitate temperaret: venturum enim tempus, quo ipse propter familiaris inopiam neque alios neque se sustentare posset. Sed ille: Egone, ait, viros doctos deseram? Ego ab illis unquam divelli patiar? Malo equidem cum ipsis exsul atque egenus extremum vitae spiritum ducere, quam sine illis in patriam reverti atque regnare.* O praeclaram vocem magnanimo viro dignam! O incredibilem erga literarum studia animi propensionem!

Jam vero minime decebat, ut tanta ac tam singularis virtus, quam immortalis Dei providentia amplificando communi literarum bono destinaverat; diutius delitesceret. Itaque extincto Julio II. Pontifice, ipse Cardinalis Medices ad summum Pontificatus apicem Leonis X. nomine, ingenti populi romani plausu et bonorum omnium gratulatione evehctus est. Quis autem hic brevi orationis ambitu complecti possit, quae et quanta ille in pontificatu liberalissime fecerit ad dignitatem literarum provehendam? Si homo privatus patria pulsus, exsulans atque egenus, tam liberalem se praebuit eruditis hominibus, quam modo audivistis: quid eum putatis, quum Romanus Pontifex, Ecclesiae caput et princeps fuerit renuntiatus esse facturum?

Non ignoro equidem, quandoque fieri, ut hominum mores, maxima dignitate accedente, immutentur, longeque alii, ac prius, esse videantur. At constans eadem semper fuit Leonis X. erga literatos voluntas, crevitque in eo summa cum dignitate liberalitas. Quare vix Lateranensi consilio, quod Julius II.

inchoaverat, feliciter absoluto, vix sedatis iis, quas Carvejal et Sanseverinus Cardinales, in Pisano conventiculo excitaverant, turbis; vix denique Italiae rebus pace et tranquillitate compositis, quum continuo literarum studiis ad urbem, unde per varias temporum acerbitates diu exulaverant, revocandis omnem animum adjecit. Verum optimis disciplinis in urbe restituendis tempus nimis inopportunum et alienum nactus es, Leo Pontifex Maxime! Nonne pontifici aeriarii opes diuturnitate bellorum prorsus attritae? Nonne ecclesiasticae ditiois provinciae aut igne ferroque vastatae, aut multo aere alieno obstrictae? Nonne demum Roma ipsa, imperii sedes, gravissimis oppressa vectigalibus? Haec profecto nemo non videt, qui pontificatum Julii armis perturbatum ac plus nimio bellicosum omnino non ignorat.

Sed haec principes alios percellant impediuntque, quo minus erga literas et literatos se munificos ac liberales ostendant; non autem Leonem X., qui nominis sui magnitudini parem habet animum ac beneficentiam. Itaque jam ex Italia universa, ex Graecia, Germania, Gallia aliisque remotissimis provinciis ad urbem properant, Leone ipso magnis propositis praemiis invitante, viri doctrina, literis et eruditione clarissimi, atque omnis in Leone, non tam Maecenatem aliquem beneficum, quam amantissimum literarum parentem inveniunt. Etenim quotquot latinis graecisque literis erinebant, quotquot dicendi elegantia aut poetica facultate clari, quotquot philosophia, sacrum literarum aut juris scientia praestabant, cuncti quidem uberrimos doctrinae fructus a liberalissimo Pontifice reportarunt.

O liberalitatem singularem! O fortunata ac fere aurea tempora! Laudaverunt veteres annalium scriptores Augustum Caesarem, quod Pub. Virgilium, Lucium Varum, et Horatium Flaccum amplissimis praemiis cohonestaverit, tum etiam quod ingenti liberalitate cum M. Vitruvio Pollione usus sit. Laudaverunt alii Vespasianum Caesarem, hominem alioquin pecuniae cupidum; quod praestantes aliquot poetas commisset, et Casso Saleio, egregio vati, quingenta sestertia donasset. Laudaverunt alii postremo Hadrianum Caesarem, quod eos divitiis honoribusque decoraverit, ac vacare vitae reliquum jussit, qui Romae

docuissent, et propter ingravescentem aetatem muneris suo satisfacere amplius non possent.

Haec autem quota pars est eorum, quos Leo X. summa liberalitate exceptit; fortunis auxit, opibusque cumulavit? Dies aut memoriae vis me deficeret, si dicendo numerare velim oratores, historicos, philosophos, jurisperitos, geometras, aliarumque disciplinarum cultores, ejus beneficentiae testes locupletissimos! Non commemorabo id, quod apud omnes pervulgatum est, viros amplissimos Bembum et Sadoletum sibi ab epistolis esse voluisse. Silentio praetereo duo clarissima Graeciae lumina, Lascarum Rhyndacenum, et Marcum Musurum Cretensem, quos summo honore coluit, et utrumque sacerdotis et infulis decoravit. Mitto Joannem Antonium Pollionem, Mutium Aurelium, Camillum Paleottum, Julianum Camertem, Latinum Juvenalem, Jo. Franciscum Roborem, Guidonem Posthumum, aliosque sexcentos, quos paterna benignitate complexus, et opibus et praefecturis et magistratibus amplificavit. Sed tacere omnino non possum praeclara illa duo Dominicanis ordinis ornamenta, Thomam de Vio et Sancten Pagninum, civem meum: quorum alterum, theologicis studiis et doctrina celeberrimum, ad romanae purpurae dignitatem evexit, et in Germaniam legatum apostolicum misit; alterum vero graecis hebraicisque literis nemini secundum: Florentia Romam attraxit, ut eruditissimum in orbe absolveret de sacris literis commentarium; praeclarum sibi fore existimans, si illud nomini suo inscriberetur.

Quid plura? Audite Pauli Jovii gravissimum testimonium: *Nulla in re, inquit, ardentius et effusius, quam ad liberalitatis gloriam anhelavit, eos principes indignos existimans, qui nequaquam benefica manu fortunae muneribus uterentur.* Nemo enim vel civis vel peregrinus, qui paulo nobilioris artis famam teneret, nemo vel male sanus poëta, nemo alicujus optimarum literarum partis non ignarus umquam fuit, qui benignitatem humanissimi principis non senserit. O si tales principes, quae Leonem consequuta sunt tempora, nobis attulissent, profecto urbem minus pulchram, at longe doctiorem haberemus. Neque enim hic magnificentissima tecta ac moles: neque tot fontes fluminum instar defluentes, peregrini atque advenae tantopere suspi-

erent: sed infinitam doctorum hominum multitudinem, beneficentia principis sustentatam, quae doctrinarum studio vel sacras literas illustraret, vel scriptis haereticorum tela retunderet.

At vero, quae fuerit vel in hoc sapientia Leonis attendite. Quum intelligeret homo sapiens ac providus, hac tantam suam liberalitatem nihil literis profuturam, nisi beneficentiam ejusmodi ad venturas quoque aetates protulisset: romanum hoc amplissimum gymnasium in media urbe a fundamentis excitavit, stabile ac perpetuo mansuram bonis artibus domicilium. Noverat enim vir sapientissimus, benefacta principum, praeclara quamvis et illustria, parum emolumenti ac laudis habere, si brevi eorum vitae curriculo circumscribantur, neque ad posteritatem sese ullo modo extendant. Caelestibus flammis ea quidem simillima esse videntur, quae aliquando fulgore insolito radiant in aethere adparent, et ad se omnium oculos et admirationem trahunt: sed fere statim ex alto ruunt atque evanescent.

Amavit quoque literas et literatos Eugenius IV., de quo Platina scribens: *Liberalis fuit, inquit, in omnes, tum maxime in literatos, quorum familiaritate delectabatur.* Nam Leonardum Aretinum, Carolum Poggium, Aurispam Trapezuntium, Blondum viros doctissimos, inter suos admisit. Amavit literas et literatos Nicolaus V. homo sapientia et doctrina cum paucis comparandus, qui viros theologia et quovis alio optimarum artium genere conspicuos, summa liberalitate ad se recepit, et conquisitis ex tota Graecia voluminibus, iisque in latinam linguam conversis, adeo ingenia vovit excitavitque, ut ejus temporis historici de illo adfirmare non dubitaverint, disciplinarum omnium studia Romae numquam magis, quam eo imperante effloruisse. Amavit denique literas et literatos Pius II. vir ingenio, literis et eloquentia clarissimus, qui in summo quoque Ecclesiae fastigio numquam doctrinae studia intermisit, tum etiam viros doctos pecunia juvit, maximisque honoribus decoravit.

Verum quid postea? Nemo est eorum temporum sic ignarus, ut nesciat, romanis hisce Pontificibus vita functis, omne pariter cum ipsis literarum decus et patrocinium interiisse. Nimirum uno eodemque tem-

pore, in quo Pontifices illi sapientissimi extincti sunt, occidit quoque omnis doctrinae lux; omnis literatorum hominum spes atque felicitas. Enimvero Leo X. singularem suam erga literas et literatos beneficentiam non caducam, neque brevis unius aetatis spatio definitam esse voluit, sed sempiternam et immortalem. Voluit scilicet in hoc romano gymnasio veterem eloquentiam perpetuo regnare. Proinde Janum Pharrasium Cosentinum, id temporis dicendi facultate clarissimum ducentorum aureorum stipendio proposito, ad hanc provinciam accessit datis ad eum literis humanissimis; quem deinde Amasaei, Beroaldi, Mureti, Manutii, Cotesii, Antoniani, Ugoni, Fontanini, aliique primi ordinis oratores consequuti sunt, qui pro romana eloquentia ac bonis literis contra barbaros earum corruptores, tamquam pro aris et focus, strenue decertarunt. Hic duas jam aetates philosophia, parens ac magistra virtutum, tranquillam habuit stationem. Hic mathematicae disciplinae, hic medendi facultas, hic civilis et pontificii juris scientia, hic denique sacrarum literarum doctrina perpetuos habuere et nunc habent magistros, sapientia et eruditione praestantes, quos omnes percensere, aut de singulorum laudibus dicere, nimis longum foret ac permolestum. Quid vero loquar de iis, quae ad hujus academiae dignitatem firmandam perpetuoque stabiliendam Leo X. providentissime constituit? Quid hic referam placlarum, et satis amplum stipendium optimarum artium professoribus de publico aerario liberaliter decretum? Quid demum binas illas apostolicas sanctiones commemorabo, quibus duplici veluti propugnaculo hanc bonarum artium arcem ita firmavit et communit, ut nulla umquam futurorum temporum calamitas, nulla eam posset improborum hominum vis et audacia labefactare?

Quaenam igitur tam providae ac tam singulari beneficentissimi pontificis liberalitati par oratio inveniri umquam poterit? Non modo ille, quamdiu vixit, honestissimas ac viros doctos munificentia prope regia prosequutus est: sed ad posteros quoque, et ad omnem aetatem propagari voluit beneficentiae suae fructus uberrimos. De vobis ille, Quirites, de liberis, serisque nepotibus anxius fuit atque sollicitus,

quum in urbe de pontificio aerario optimarum artium sedem, perpetuumque domicilium stabilivit. Quo majore ille tandem poterat beneficio de hac civitate, de populo romano, de universa literarum republica bene mereri, quam hoc celeberrimum toto orbe gymnasium constituendo, in quo tum romani cives, tum peregrini atque hospites haberent semper ad omne disciplinarum genus peritissimos duces doctissimosque magistros? Quae quum ita sint, jam finem dicendi faciam: at prius maxima quantum poterò, voce contendam, ut cuncti hoc exaudiant: *Leo X. ex optimarum artium patrocinio jure et merito immortalis. tot seculorum fama vivit; et tamdiu profecto vivet celebritate gloriae, laudatione grataque posterorum memoria immortalis; quamdiu bonis artibus et decus et nomen et laudes manebunt.*

---

## II. Dramatica.

### A. Tragoedia.

#### T r o a d e s

#### L. Annaei Senecae.

#### P e r s o n a e.

Hecuba.	Pyrrhus.
Chorus mulierum	Andromacha
Talthybius.	Senex.
Agamemnon.	Ulyxes.
Calchas.	Astyanax.
Helena.	Nuntius.

#### A r g u m e n t u m.

*Graeci, exciso jam Ilio, reditum in patriam cogitantes, contrario vento detinebantur. Adparens noctu Achillis umbra solvere eos posse negat, nisi debitis inferiis mactata Polyxena, cujus nuptiarum praetextu interfectus est. Non fert Agamemnon sibi amatam Polyxenam mactari. Quo de re orto cum Pyrrho iurgio, intervenit consultus Calchas, qui omnino immolendam pronuntiat, unaque necandum Astyanacta, quem a matre absconditum abducit Ulyxes et de scaea porta dejicit. Polyxenam, ab Helena auspice ritu cultuque sponsae deductam ad patris tumulum, Pyrrhus mactat.*

#### Act. I. Scena. 1.

*Scena prope Trojae adhuc fumantis ruinas. Ad occidentem mare Aegaeum, ad orientem Ida,*

#### *Hecuba, Chorus.*

*Hecuba et patriae et domus sui que ipsius calamitatem luget.*

*Quicumque regno fudit, et magna potens  
Dominatur aula, nec leves metuit deos,*

Animumque rebus credulum laetis dedit,  
 Me videat et te, Troja! Non umquam tulit  
 Documenta Fors majora, quam fragili loco  
 Starent superbi. Columen eversum occidit  
 Pollentis Asiae, caelitum egregius labor;  
 Ad cujus arma venit, et qui frigidum  
 Septena Tanain ora pandentem bibit;  
 Et qui renatum primus excipiens diem,  
 Tepidum rubenti Tigrin immiscet freto;  
 Et quae, vagos vicina prospiciens Scythas,  
 Ripam catervis Ponticam viduis ferit.  
 Excisa ferro est Pergamum: incubuit sibi:  
 En alta muri decora congesti jacent  
 Tectis adustis; regiam flammae ambiunt,  
 Omnisque late fumat Assaraci domus.  
 Non prohibet avidas flamma victoris manus;  
 Diripitur ardens Troja. Nec caelum patet  
 Undante fumo: nube ceu densa obsitus,  
 Ater favilla squalet Iliaca dies.  
 Stat avidus irae victor, et lentum Ilium  
 Metitur oculis, ac decem tandem ferus  
 Ignoscit annis: horret adflictam quoque;  
 Victamque quamvis videat, haud credit sibi,  
 Puisse vinci. Spolia populator rapit  
 Dardania: praedam mille non capiunt rates.  
 Testor deorum numen, adversum mihi,  
 Patriaeque cineres, teque rectorem Phrygum,  
 Quem Troja toto conditum regno tegit;  
 Tuosque manes, quo stetit stante Ilion;  
 Et vos meorum liberum magni greges,  
 Umbrae minores, quidquid adversi accidit,  
 Quaecumque Phoebas, ore lymphato furens,  
 Credi deo vetante, praedixit mala,  
 Prior Hecuba vidi gravida, nec tacui metus,  
 Et vana vates ante Cassandram fui.  
 Non cautus ignes Ithacus, aut Ithaci comes  
 Nocturnus in vos sparsit aut fallax Sinon.  
 Meus ignis iste est: facibus ardetis meis!  
 Sed quid ruinas urbis eversae gemis,  
 Vivax senectus? respice, infelix, ad hos  
 Luctus recentes: Troja jam vetus est malum.  
 Vidi execrandum regiae caedis nefas,  
 Ipsasque ad aras majus admissum scelus  
 Ajacis armis: quum ferox, saeva manu

- Coma reflectens regium torta caput;  
 Alto nefandum vulneri ferrum abdidit;  
 Quod penitus actum quum recepisset libens.  
 50 Ensis senili siccus e jugulo redit.  
 Placare quem non potuit a caede effera  
 Mortalis aevi cardinem extremum premens?  
 Superique testes sceleris? et quondam sacrum  
 Regni jacentis? Ille tot regum parens  
 55 Caret sepulcro Priamus, et flamma indiget  
 Ardente Troja. Non tamen superis sat est.  
 Dominum, ecce, Priami nuribus et natis legens  
 Sortitur urna. Praeda quem vilis sequar?  
 Hic Hectoris conjugia despondet sibi;  
 60 Hic optat Heleni conjugem; hic Antenoris:  
 Nec deest, tuos, Cassandra, qui thalamos petat:  
 Mea sors timetur; sola sum Danaeis metus.  
 Lamenta cessant? (ad Chorum) Turba, captivae, mea,  
 Ferite palmis pectora et planctus date,  
 65 Et justa Trojae facite, jam dudum sonet  
 Fatalis Idae iudicis diri domus.

## Chorus.

Chorus cum Hecuba excidium patriae, Hectoris et Priami mortem luget.

- Chorus. Non rude vulgus,  
 Lacrimisque novum  
 70 Lugere jubes.  
 Hoc continuis  
 Egimus annis,  
 Ex quo tetigit  
 Phrygius grajas  
 75 Hospes Amyclas,  
 Secuitque fretum  
 Pinus matri  
 Sacra Cybellae  
 Decies nivibus  
 80 Canuit Ide,  
 Ide nostris  
 Nudata nostris  
 Et Sigeis  
 Trepidus campis  
 Decumas secuit

*Dramatica.*

257

Messor arista ; Ut nulla dies Moerore caret, Sed nova fletus Causa ministrat. Ito ad planctus, Miseramque leva, Regina, manum. Vulgus dominam Vile sequemur ; Non indociles Lugere sumus.	85     90     95
<i>Hecuba.</i> Fidae casus Nostri comites, Solvite crinem: Per colla fluant Moesta capilli, Tepido Trojae Fulvere turpes. Vacet ad crebri Verbera planctus Furibunda manus. Placet hic habitus, Placet, agnosco Troada turbam. Iterum luctus Redeunt veteres : Solitum flendi Vincite morem. Hectora flemus.	   100     105     110
<i>Chorus.</i> Solvinus omnes Lacerum multo Funere crinem, Coma demissa est Libera nodo, Sparsitque cinis Fervidus ora.	  115    120
<i>Hecuba.</i> Complete manus ! Hoc ex Troja Sumsisse licet. Cadat ex humeris Vestis apertis, Imumque tegat Suffulta latus,	   125   

- 130 Jam nuda vocant  
Pectora dextras.  
Nunc, nunc virès  
Exprime, dolor, *tuas!*  
Rhoetea sonent  
Litora planctu;
- 135 Habitansque cavis  
Montibus Echo  
Non, ut solita est,  
Extrema brevis  
Verba remittat:
- 140 Totos reddat  
Trojae gemitus:  
Audiat omnis  
Ponthus et aether.  
Saevite manus!
- 145 Pulsu vasto  
Tundite pectus!  
Non sum solito  
Contenta sono.  
Hectora flemus.
- 150 *Chorus.* Tibi nostra ferit  
Dextra lacertos,  
Humerosque ferit  
Tibi sanguineos:  
Tibi nostra caput
- 155 Dexteram pulsat.  
Tibi maternis  
Ubera palmis  
Laniata jacent.  
Fluit, et multo
- 160 Sanguine manat,  
Quamcumque tuo  
Funere feci,  
Rupta cicatrix,  
Columnen patriae,
- 165 Mora fatorum;  
Tu praesidium  
Phrygibus fessis,  
Tu murus eras;  
Humerisque tuis  
Stetit illa decem
- 170 Fulsa per annos:  
Tecum cecidit;

*Dramatica.*

259

	Summusque dies	
	Hectoris idem	
	Pariaeque fuit.	175
<i>Hecuba.</i>	Vertite planctus.	
	Priamo vestros	
	Fundite fletus,	
	Satis Hector habet.	
<i>Chorus.</i>	Accipe rector	180
	Phrygiae, planctus;	
	Accipe fletus	
	Bis capte senex!	
	Nil Troja semel	
	Te rege tulit.	185
	Bis pulsata	
	Dardana grajo	
	Moenia ferro,	
	Bisque pharetras	
	Passa Herculeas.	190
	Post elatos	
	Hecubae partus	
	Regumque gregem	
	Postrema pater	
	Funera cludis;	195
	Magnoque Jovi	
	Victima caesus	
	Sigea premis	
	Litora truncus.	
<i>Hecuba.</i>	Alio lacrimas	200
	Flectite vestras,	
	Non est Priamī	
	Miseranda mei	
	Mors, Iliades.	
	<i>Felix Priamus!</i>	205
	Dicite cunctae	
	Liber manes	
	Vadit ad imos,	
	Nec feret umquam	
	Victa grajum	210
	Cervice jugum.	
	Non ille duos	
	Vidit Atridas,	
	Nec fallacem	
	Cernit Ulyxem:	215
	Non argolici	

*Dramatica.*

Praeda triumph  
 Subjecta feret  
 Colla tropaeis:  
 220 Non adsuetas  
 Ad scepra manus  
 Post terga dabit;  
 Currusque sequens  
 Agamemnonios  
 225 Aurea dextra  
 Vincula gestans,  
 Laetis fiet  
 Pompa Mycenis  
*Chorus. Felix Priamus!*  
 230 Dicimus omnes.  
 Secum excedens  
 Sua regna tulit.  
 Nunc Elysii  
 Nemoris tutis  
 235 Errat in umbris,  
 Interque pias  
 Felix animas  
 Hectora quaerit,  
*Felix Priamus!*  
 240 *Felix, quisquis*  
*Bello moriens*  
*Omnia secum*  
*Consumata videt!*

v. 2. *Leves deos*, i. e. inconstantes; *faciles dare summa deos eademque tueri difficiles.*

v. 6. *Superbi*, i. e. nobiles, potentes, quorum commune vitium est superbia.

v. 7. *Coelitum labor*, i. e. Ilium, regionis Trojanae urbs, quam extruxerat Ilus; sed Neptunus et Apollo cinxerunt moenibus.

v. 8. *Arma*, sc. auxiliaria.

v. 8. et 9. *Frigidum Tanain*, Rhesus, Thraciae rex, auxilio Trojae venit *Septena ora*; mulier imperita tribuit Tanai, quod Istri est, ut per septem ora in mare labatur.

v. 10. *Renatum diem*, sc. Memnon, Tithoni et Aurorae filius, ex Aethiopia, vel secundum alios, Sisis Trojam venit, dux Persarum, qui solem orientem adorant.

v. 11. *Rubens fretum* hoc loco non est mare rubrum seu erythraeum, sed persicum, in quod Tigris influit, et *rubens*

dicitur, quia est ad orientem, et solis orientis rubore perfunditur.

- v. 12. *Penthesilea*, Amazonum regina.
- v. 17. *Assaraci domus*, i. e. Ilium, ubi regnavit Assaracus, Ili filius.
- v. 22. *Lentum Ilium*, Ilium, decennali bello tandem debellatum, lustrans, non indigne fert decem annos in tanta urbe expugnanda absumptos.
- v. 34. *Phoebas*, i. e. Cassandra, Priami filia, vates.
- v. 36. *Prior*, Hecuba gravida se facem ardentem parituram somniavit; sed vana erat vates, aequae ac Cassandra non credita.
- v. 37. *Ithacus*, Ulyxes, *Ithaci comes nocturnus* in exploratione castrorum Thracum fuit Diomedes.
- v. 46. *Ajax*, Oilei filius, ex adytis Minervae rapuit Cassandram.
- v. 66. *Fatalis Idae iudicis*, i. e. Paridis, qui in Ida seu Antandro, monte Idae vicino, Veneri malum aureum, seu pulchritudinis pretium adjudicavit.
- v. 67. *Non ruas vulgus*, i. e. turba non inexperta lugendi.
- v. 74. *Grajas Amyclas*, urbem Laconiae ad distinctionem Amyclarum, urbis in Campania.
- v. 82. *Sigeis*, i. e. Trojanis, e Sigeo Trojae promontorio.
- v. 133. *Rhoetea*, Rhoeteum, Trojae promontorium.
- v. 185. *Priamus* ante *Podarces* (*pedibus valens*) nominabatur: sed quia ab Hesione sorore, dato Herculi in lytrum aureo flammeo, redemptus et in libertatem restitutus est, *Priamus* a *πριάμης* nominari coepit. Bis autem captus, semel ab Hercule, et iterum auspiciis Atridarum; bis etiam Troja expugnata, primum sub Priamo juvene, deinde sub Priamo rege.
- v. 188. *Phaetras Herculeas* bis passa Troja; quia fatale erat, Trojam non posse secundo capi sine Herculis sagittis, Philoctetes igitur, solus Herculis sagittis uti sciens, ad secundum bellum Trojanum ductus est.
- v. 224. *Currus sequens* etc. Captivi in triumpho ducebantur vel post vel ante currum victoris erantque vineti catenis, et reges quidem aureis, nam pro conditione personarum injicere solebant catenas captivis; ferreas, argenteas, aureas. Sic aureis compedibus vinctum a suis Darium scribit Curtius.

## Actus II. Scena II.

Scena in castris Graecorum.

Talthybius. Chorus.

Narrat Talthybius, adparuisse sibi Achillis umbram, eamque postulasse, ut Polyxena, cujus nuptiarum praestitu ipse interfectus est, ad tumulum Achillis mactetur, alias Graecos ventum ad reditum non habituros.

- T**althyby. Quam longa Danais semper in portu mora,  
 245 Seu petere bellum, petere seu patriam volunt!  
*Chorus.* Quae causa ratibus faciat et Danais moram,  
 Effare reduces quis deus cludat vias,  
*Talthyby.* Pavet animus. Artus horridus quassat tremor.  
 Majora veris monstra, vix capiunt fidem,  
 250 Vidi, ipse vidi. Summa jam Titan juga  
 Stringebat; ortus vicerat noctem dies:  
 Quum subito, caeco terra mugitu fremens,  
 Concussa totos traxit ex imo sinus.  
 Moyere silvae capita, et excelsum nemus  
 255 Fragore vasto tonuit et lucus sacer.  
 Idaea ruptis saxa ceciderunt jugis.  
 Nec sola tellus tremuit: et pontus suum  
 Adesse Achillem sensit, ac stravit vada.  
 Tum scissa vallis aperit immensos specus:  
 260 Et hiatus Erebi pervium ad superos iter  
 Tellure fracta praebet ac tumulum levat.  
 Emicuit ingens umbra Thessalici ducis,  
 Threïcia qualis arma, proludens tuis  
 Jam, Troja, fatis, stravit: aut Neptunium  
 265 Cana nitentem perculit juvenem coma:  
 Aut quum, inter acies Marte violento furens,  
 Corporibus amnes clusit; et quaerens iter  
 Tardus cruento Xanthus erravit vado:  
 Aut quum superbo victor in curru stetit,  
 270 Egitque habenas, Hectorem et Trojam trahens.  
 Implevit omne litus irati sonus:  
*Ite. ite, inertes; debitos manibus meis  
 Auferte honores; solvite ingratas rates  
 Per nostra ituri maria. Non parvo luit*  
 275 *Iras Achillis Graecia; et magno luet,*

*Desponsa nostris cineribus Polyxena  
 Pyrrhi manu mactetur, et tumultum riget.*  
 Haec fatus alta voce, dimisit diem,  
 Repetensque Ditem, mersus ingentem specum.  
 Coeunte terra junxit. Immoti jacent  
 Tranquilla pelagi: ventus abjecit minas;  
 Placidumque fluctu murmurat leni mare  
 Tritonum ab alto cecinit hymenaeum chorus.

280

## A C T U S II. S C E N A 2.

*Pyrrhus, Agamemnon, Calchas.*

Agamemnonis cum Pyrrho jurgia compescit Calchas.

*P*yrhus. Quum laeta pelago vela rediturus dares,  
 Excidit Achilles, cujus unius manu  
 Impulsa Troja, quidquid adjecit morae  
 Illo remoto, dubia quo caderet, stetit,  
 Velis licet, quod petitur, ac properes dare;  
 Sero es daturus: jam suum cuncti duces  
 Tulere pretium. Quae minor merces potest  
 Tantae dari virtuti? An is meruit parum  
 Qui — fugere bellum jussus, et longa sedens  
 Aevum senecta degere, ac Pylis senis  
 Transcendere annos — exuens matris dolos  
 Falsasque vestes, fassus est armis virum?  
 Inhospitali Telephus regno impotens  
 Dum Mysiae ferocis introitus negat,  
 Rudem cruore regio dextram imbuit,  
 Fortemque eandem sensit et mitem manum.  
 Cecidere Thebae: vidit Eetion capi  
 Sua regna victus. Clade subversa est pari  
 Imposita celso parva Lyrnesos jugo;  
 Captaque tellus nobilis Briseide,  
 Et, causa litis regibus, Chryse jacet,  
 Et nota fama Tenedos, et quae pascuo  
 Fecunda pingui Thracios nutrit greges,  
 Scyros; fretumque Lesbos aegaeum secans;  
 Et sacra Phoebos Cilla. Quid? quas adluit  
 Vernis Caycus gurgitem attollens aquis?  
 Haec tanta clades gentium ac tantus pavor,  
 Sparsae tot urbes, turbinis vasti modo,

285

290

295

300

305

310

- Alterius esset gloria ac summum decus:  
 Iter est Achillis. Sic meus venit pater,  
 Et tanta gessit bella, dum bellum parat.
- 315 Ut alia sileam merita, non unus satis  
 Hector fuisset? — Ilium vicit pater,  
 Vos diruistis. Inclitas laudes iuvat  
 Et clara magni facta genitoris sequi.  
 Jacuit peremtus Hector ante oculos patris:
- 320 Patruisque Memnon, cujus ob luctum parens  
 Pallente moestum protulit vultu diem,  
 Suique victor operis exemplum horruit,  
 Didicitque Achilles, et dea natos morti.  
 Tum saeva Amazon ultimus cecidit timor.
- 325 Debes Achilli, merita si digne aestimas,  
 Et si Mycenis virginem atque Argis petat.  
 Dubitatur etiam? Placita nunc subito improbas?  
 Priamique natam Pelei nato ferum  
 Mactare credis? At tuam natam parens.
- 330 Helenae immolasti: solita jam, et facta expeto.  
*Agamem.* Juvenile vitium est, regere non posse impetum.  
 Aetatis alios fervor hic primæ rapit,  
 Pyrrhum paternus: spiritus quondam truces  
 Minasque tumidi lentus Aeacidae tuli.
- 335 Quo plura possis, plura patienter feras.  
 Quid caede dira nobilem clari ducis  
 Adspergis umbram? Noscerè hoc primum decet,  
 Quid facere victor debeat, victus pati.  
 Violenta nemo imperia continuit diu;
- 340 Moderata durant; quoque fortuna altius  
 Evexit, ac levavit humanas opes:  
 Hoc se magis suppressere felicem decet;  
 Variosque casus tremere, metuentem deos  
 Nimium faventes. Magna momenta obrui,
- 345 Vincendo didici. Troja tumidos facit  
 Nimium, ac feroces? Stamus hoc Danaï loco,  
 Unde illa cecidit. Fateor, aliquando impotens  
 Regno ac superbus, altius memet tuli:  
 Sed fregit illos spiritus haec, quae dare
- 350 Potuisset alii, causa, fortunæ favor.  
 Tu me superbum, Priame? Tu timidum facis,  
 Ego esse quidquam sceptrā, nisi vano putem  
 Fulgore tectum nomen et falso comam  
 Vinclo decentem? Casus hanc rapiet brevis;
- 355 Nec mille forsā ratibus aut annis decem.

Non omnibus fortuna tam lenta imminet:  
 Equidem fatebor! (pace dixisse hoc tua,  
 Argiva tellus, liceat) adfligi Phrygas  
 Vincique volui; ruere et aequari solo  
 Etiam arcuissem, sed regi frenis nequit 360  
 Et ira, et ardens hostis; et victoria  
 Commissa nocti: quidquid indignum aut ferum  
 Cuiquam videri potuit, hoc fecit dolor  
 Tenebraeque, per quas ipse se irritat furor,  
 Gladiusque felix, cuius infecti semel 365  
 Vecors libido est. Quidquid eversae potest  
 Superesse Trojae, maneat. Exactum satis  
 Poenarum, et ultra est. Regia ut virgo occidat,  
 Tumuloque donum detur, et cineres riget,  
 Et facinus atrox caedis ut thalamos vocem, 570  
 Non patiar. In me culpa cunctorum redit.  
*Qui non vetat peccare, quum possit, jubet.*  
*Pyrrh.* Nullumne Achillis praemium manes ferent?  
*Agamemn.* Ferent; et illum laudibus cuncti canent,  
 Magnumque terrae nomen ignotae audient. 375  
 Quod si levatur sanguine infuso ciuis,  
 Opima Phrygii colla caedantur gregis,  
 Fluatque nulli flebilis matri cruor.  
 Quis iste mos est? Quando in inferias homo est  
 Impensus homini? Detrahe invidiam tuo 380  
 Odiumque patri, quem coli poena jubes,  
*Pyrrh.* O tumide, rerum dum secundarum status  
 Extollit animos, timide, quum increpuit metus;  
 Regum tyranne: jamne flammatum geris  
 Amore subito pectus ac Veneris novae? 385  
 Solusne toties spolia de nobis feres?  
 Hac dextra Achilli victimam reddam suam,  
 Quam si negas retinesque, majorem dabo,  
 Dignamque, quam det Pyrrhus: et nimium diu  
 A caede nostra regia cessat manus, 390  
 Paremque poscit Priamus. *Agam.* Haud equidem nego,  
 Hoc esse Pyrrhi maximum in bello decus,  
 Saevo peremptus ense quod Priamus jacet,  
 Supplex paternus. *Pyrrh.* Supplices nostri patris,  
 Hostesque eosdem novimus. Priamus tamen 395  
 Praesens rogavit: tu, gravi pavidus metu  
 Nec ad rogandum fortis, Ajaci preces  
 Ithacoque mandas, clusus atque hostem tremens.

- Agam.* At non timebat tunc tuus, fateor, parens,  
 400 Interque caedes Graeciae atque uistas rates  
 Segnis jacebat, belli et armorum immemor,  
 Levi canoram verberans plectro chelyn.  
*Pyrrh.* Tunc magnus Hector, arma contemnens tua,  
 Cantus Achillis timuit; et tanto in metu  
 405 Navalibus pax alta Thessalicis tuit.  
*Agam.* Nempe iisdem in istis Thessalis navalibus  
 Pax alta rursus Hectoris patri fuit.  
*Pyrrh.* Est regis alti, spiritum regi dare.  
*Agam.* Cur dextra regi spiritum eripuit tua?  
 410 *Pyrrh.* Mortem misericors saepe pro vita dabit.  
*Agam.* At nunc misericors virgines busto petis.  
*Pyrrh.* Jamne immolari virgines credis nefas?  
*Agam.* Praeferre patriam liberis regem decet.  
*Pyrrh.* Lex nulla capto parcit aut poenam impedit.  
 415 *Agam.* Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.  
*Pyrrh.* Quodcumque libuit facere victori, licet.  
*Agam.* Minimum decet libere, cui multum licet.  
*Pyrrh.* His ista jactas, quos decem annorum gravi  
 Regno subactos Pyrrhus exsolvit jugo?  
 420 *Agam.* Hos Scyrus animos? *Pyrrh.* Scelere quae fra-  
 trum caret,  
*Agam.* Inclusa fluctu — *Pyrrh.* Nempe cognati maris.  
 Atrei et Thyestae nobilem novi domum,  
*Agam.* Compescere equidem verba, et audacem malo  
 425 Poteram domare: sed meus capitis quoque  
 Scit parcere ensis. Potius interpretes deum  
 Calchas vocetur. Fata si poscunt; dabo.  
 (Ad Calchantam) Tu, qui Pelasgae vincula solvisti rati  
 Morasque bellis, arte qui reseras polum,  
 430 Cui viscerum secreta, cui mundi fragor,  
 Et stella, longa semitam flamma trahens,  
 Dant signa fati, cujus ingenti mihi  
 Mercede constant ora; quid jubeat deus,  
 Effare Calcha nosque consilio rege.  
 435 *Calchas.* Dant fata Danais, quo solent pretio, viam,  
 Mactanda virgo est — Thessali busto ducis,  
 Sed quo jugari Thessalae cultu solent,  
 Ionidesve, vel Mycænaeae nurus.  
 Pyrrhus parenti conjugem tradat suo.  
 440 Sic rite dabitur. Non tamen nostras tenet  
 Haec una puppes causa. Nobilior tuo,  
 Polyxene, cruore debetur cruor,

Quem fata quaerunt. Turre de summa cadat  
Priami nepos Hectoreus et lethum oppetat.  
Tum mille velis impleat classis freta.

445

*Chorus.*

Chorus, quo Achillis umbram adparuisse neget, animum humanum cum corpore interire stulte et impie adserit.

**V**erum est? an timidos fabula decipit,  
Umbras corporibus vivere conditis?  
Quum conjux oculis imposuit manum,  
Supremusque dies solibus obstitit,  
Et tristis cineres urna coërcuit: 450  
Non prodest animam tradere funeri:  
Sed restat miseris vivere longius?  
An toti morimur? nullaque pars manet  
Nostri; quum profugo spiritus halitu  
Immixtus nebulis cessit in aëra, 455  
Et nudum tetigit subdita fax latus?  
Qui quid sol oriens, quidquid et occidens  
Novit, caeruleis oceanus fretis  
Quidquid vel veniens, vel fugiens lavat,  
Aetas pegaseo corripit gradu. 460  
Quo bis sena volant sidera turbine,  
Quo cursu properat secula volvere  
Astrorum dominus, quo properat modo  
Obliquis Hecate currere flexibus,  
Hoc omnes petimus fata: nec amplius, 465  
Juratos superis qui tetigit lacus,  
Usquam est. Ut calidis fumus ab ignibus  
Vanescit, spatium per breve sordidus;  
Ut nubes gravidas, quas modo vidimus,  
Arctoi Boreae disjicit impetus: 470  
Sic hic, quo regimur, spiritus effluet.  
Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil:  
Velocis spatii meta novissima.  
Spem ponant avidi; solliciti metum.  
Quaeris, quo jaceas post obitum loco? 475  
Quo non nata jacent.  
Tempus nos avidum devorat et chaos.  
Mors individua est, noxia corpori  
Nec parcens animae, Taenara, et aspero

Regnum sub domino, limen et obsidens.  
 Custos non facili Cerberus ostio,  
 Rumores vacui verbaque inania,  
 Et par sollicito fabula somnio.

- v. 245. *Seu potere bellum*: Graecorum classis ex Aulide, portu Boeotiae, soluturæ Diana, ob cervam suam ab Agamemnone caesam irata, negavit ventum, quem oraculi monitu Agamemnon filia sua Iphigenia redemit.
- v. 255. *Lucus sacer* sc. Cybelæ.
- v. 257. *Suum Achillem*, ex fabula Thetidis filium, Nerei nepotem; quem tamen alii Caloë, alii Philomela Actoris filia, alii Chironis filia natum volunt.
- v. 263. *Thracia, qualis, praeludium faciens tuis, o Troja, fatis* Thracum auxiliares copias duce Cisseo, Hecubæ patre, quem alii Dymantem vocant, et Thelephum, Mysorum ducem, fudit, Telephus quippe, Mysiae rex, quum Graecos Trojam proficiscentes prohiberet, ne per Mysiam iter facerent, ab Achille vulneratus est vulnere, quod oraculum adseruit in sanabile, nisi pateret auxilium, unde vulnus tulit. Conciliatus igitur Achilles sanavit dato e cuspidis rubigine emplastro. Hinc scena sequente v. 299. Thelephus dicitur, *eandem fortem* (vulnere) *sensisse et mitem* (medela) *manum*.
- v. 265. *Neptunium juvenem cana coma*, Cycnum, Neptuni filium, qui in olorem conversus est.
- v. 272. *Manibus meis, non manes*, ut quidam perperam volunt, et quod peccaret in legem versus, *sed manus* intellige, i. e. *debitos victoriis, manu mea partis, auferte honores*.
- v. 274 et 275. Quanti steterit Achillis propter raptam Briseida ira, experti sunt Graeci: videant, ne majoris sibi iræ poenas arcessant, negata inferis Polyxena.
- v. 293. 299. Cui (quum accepisset hanc conditionem filii sui vitæ a Jove Thetis) licuit longam ætatem, sed tacitam et ingloriam egisse: ille tamen praelegit brevem, modo utilem et gloriosam. Namque a matre hujus facti causa deductus in Scyron, maris Agæi insulam, ut inter filias Lycomedis regis lateret puellari habitu, exiit hos matris dolos, visisque armis, quæ inter ceteras merces femineas Ulyxes, persona institoris adsumta, Achillem exploraturus adduxerat, se virum fassus est, eadem viriliter adsectando et tractando.
- v. 297. *Mysia duplex*, Europæa, et Asiatica: de Asiatica, quæ nomen a Myso fluvio habet, hoc loco est sermo.
- v. 298. *Rudem dextram*, h. e. belli expertem, tironis tum Achillis.
- v. 300. *Ectiqn* Andromachæ pater, rex Thebarum in Cificia

- v. 302. *Lyrnesos* urbs Troados. *Briseis*, nomen patronymicum, *Hyppodamia* Brisei filia.
- v. 304. *Chryse*, Ciliciae oppido, capta, e praeda Agamemnoni data est Astynome Chrysaë, Apollinis sacerdotis, filia, quam pater precibus et pretio repetens a rege repulsus est; quam injuriam Apollo ultus est peste non cessatura, nisi virgine reddita. Itaque ab Achille, ejus consilii auctore, abstulit Agamemnon Briseida.
- v. 309. *Caycus* Mysiae amnis.
- v. 316. *Ilium* vicit sc. vincendo Hectorem.
- v. 320. *Patru* sc. Priami, cui frater Tithonus, Aurorae maritus et Memnonis pater.
- v. 322. *Sui operis exemplum horruit*, quum videret Memnona, Aurorae filium, a se interfectum, se quoque, e Thetide natum, mortalem esse didicit.
- v. 334. *Aeacides*, i. e. Achilles. Aeacus enim erat pater Pelei, qui genuit Achillem.
- v. 363. *Dolor*, i. e. raptae Helenae vindicta. *Tenebrae*, licetia noctis, qua capta est Troja. *Vecors libido*, i. e. insana, reponi nesciens.
- v. 394. Priamo, filii Hectoris cadaver redempturo, pater pepercit *supplici*; ego interfeci *hostem*.
- v. 454. *Quum profugo spiritus halitu*, i. e. quum anima, quam chorus putat ex aëre concretam, redit in illa, unde orta erat.
- v. 457. *Quidquid sol oriens*, cet. i. e. omnia in terris, quae sol videt, quas mare fluxu aut refluxu adluit, aetas *pegaseo gradu*, i. e. veloci pede corripit.
- v. 461. *Bis sena sidera*, i. e. duodecim signa in Zodiaco.
- v. 467. Mortuus, ex mente chori, nusquam est, tamquam numquam fuisset. Impia et ridicula id ratione evincere conatur chorus secundum Zenonis et Epicuri placita: *Quemadmodum a vento dissipantur nubes, et cito fumus perit, ita et vita hominis. Ergo animus hominis moritur*. Philosophi profecto *miseri*, si haec necessario consequi rebantur. Stoici et Epicurei: *impudentes* vero, si, quum sequi non viderent, nihilo tamen minus, ut rationi consentanea, obtrudebant.
- v. 474. *Solliciti*, i. e. qui scelerum poenas post mortem metuunt. Sic spe metuque futurorum ablatis, genus humanum incomparabili beneficio per se adfectum esse, Zenon et Epicurus nugabantur.
- v. 477. *Chaos*, i. e. successu temporis omnia in pristinum chaos resolvi censebant Stoici, et novos deinde mundos iterum interituros secundum cunctas sui partes; nasci iterum,

iterumque mori; nullum circuli istius finem agnoscebant,  
Haec scilicet Stoicorum aeternitas.

v. 479. *Taenara*, Laconiae promontorium; ubi descensus ad  
inferos patere credebatur, uti et in *Averno Italiae*.

### Actus III. Scena I.

Scena est campus ante Hectoris tumulum.

*Andromacha; Senex Trojanus, Astyanax.*

*Andromacha*, Hectoris uxor, visis territa, filium in tumulo pa-  
terno abscondit.

- Androm.* Quid moesta, Phrygiae, turba, laceratis comas,  
485 Miserumque tunsae pectus effuso genas  
Fletu rigatis? Levia perpressae sumus,  
Si fienda patimur. Ilium vobis modo,  
Mihi cecidit olim, quum ferus curru incito  
Mea membra raperet, et gravi gemeret sono  
490 Peliaeus axis, pondere Hectoreo tremens.  
Tunc obruta atque eversa. Quodcumque accidit,  
Torpens malis rigensque, sine sensu fero.  
Jam erepta Danais conjugem sequerer meum,  
Nisi hic (filium complectitur) teneret. Hic meos animos  
domat,  
495 Morique prohibet, cogit hic aliquid deos  
Adhuc rogare: — tempus aerumnae addidit!  
Hic mihi malorum maximum fructum abstulit,  
Nihil timere. Prosperis rebus locus  
Ereptus omnis; dira, qua veniant, habent.  
500 Miserrimum est timere, quum speres nihil.  
*Sen.* Quis te repens commovit adflictam metus?  
*Androm.* Exoritur aliquod majus ex magno malum.  
Nondum ruentis Ilii fatum stetit.  
*Sen.* Et quas reperiet, ut velit, clades deus?  
505 *Androm.* Stygis profundae claustra, et obscuri specus  
Laxantur; et, ne desit eversis metus,  
Hostes ab imo conditi Dite exeunt.  
*Sen.* Solisne retro pervium est Danais iter?  
Certe aequa mors est. *Andr.* Turbat atque agitat Phrygas  
510 Communis iste terror: hic proprie meum  
Exterret animum noctis horrendae sopor.  
*Sen.* Quae visa portent, effer in medium, metus:

*Androm.* Parte fere nox alma transierat duas,  
 Clarumque septem verterant stellae jugum;  
 Ignota tandem venit adflictae quies, 515  
 Brevisque fessis somnus obrepsit genis;  
 Si somnus ille est mentis attonitae stupor:  
 Quum subito nostros Hector ante oculos stetit;  
 Non qualis, ultro bella in Argivos ferens,  
 Grajas petebat facibus Idaeis rates; 520  
 Nec caede multa qualis in Danaos furens  
 Vera ex Achille spolia simulato tulit;  
 Non ille vultus, flammeum intendens jubar,  
 Sed fessus, ac dejectus, et fletu gravis,  
 Similisque nostro, squalida obtectus coma. 525  
 Juvat tamen vidisse. Tum quassans caput;  
*Dispelle somnos, inquit, et natum eripe,*  
*O fida conjux. Lateat: haec una est salus.*  
*Omitte fletus. Troja quod cecidit, gemis?*  
*Utinam jaceret tota! Festina: amove* 530  
*Quocumque nostrae parvulam stirpem domus.*  
 Mihi gelidus horror ac tremor somnum excutit;  
 Oculosque nunc huc pavida, nunc illuc ferens,  
 Oblita nati, misera quaesivi Hectorem:  
 Fallax per ipsos umbra complexus abit. 535  
 O nate, magni certa progenies patris,  
 Spes una Phrygibus; unica adflictae domus  
 Veterisque soboles sanguinis nimium incliti,  
 Nimiumque patri similis; hos vultus meus  
 Habebat Hector; talis incessu fuit, 540  
 Habituque talis; sic tulit fortes manus;  
 Sic celsus humeris, fronte sic torva minax,  
 Cervice fusam dissipans lata comam.  
 O nate sero Phrygibus, et matri cito,  
 Eritne tempus illud ac felix dies, 545  
 Quo, Troici defensor et vindex soli,  
 Recidiva ponas Pergama, et sparsos fuga  
 Cives reducas? Nomen et patriae suum  
 Phrygibusque reddas? Sed, mei fati memor,  
 Tam magna timeo vota. Quod captis sat est, 550  
 Vivamus! Heu me, quis locus fidis meo  
 Erit timori? Quave te sede oculam?  
 Arx illa pollens opibus et muris deum,  
 Gentes per omnes clara et invidiae capax  
 Nunc pulvis altus. Strata sunt flamma omnia, 555  
 Superestque vasta ex urbe ne tantum quidem,

- Quo lateat infans! Quem locum fraudi legam?  
 Est tumulus ingens conjugis cari, sacer,  
 Verendus hosti, mole quem immensa parens  
 560 Opibusque magnis struxit, in luctus suos  
 Rex non avarus. Optime credam patri.  
 Omen tremisco misera feralis loci.  
*Sen.* Haec causa multos una ab interitu arcevit,  
 Credi perisse. *Androm.* Vix spei quidquam est super.
- 565 Grave pondus illum, magna nobilitas premit.  
*Sen.* Ne prodat aliquis, amove testes doli,  
*Androm.* Si quaeret hostis? *Sen.* Urbe in eversa perit.  
*Androm.* Quid proderit latuisse redituro in manus?  
*Sen.* Victor feroces impetus primos habet.
- 570 *Androm.* Quid? Quod latere sine metu magno nequit?  
*Sen.* Miser occupet praesidia; securus legat.  
*Androm.* Quis te locus, quae regio seducta, in via  
 Tuto reponet? Quis feret trepidis opem?  
 Quis proteget? — Qui semper, etiam nunc tuos,  
 575 Hector, tuere! Conjugis furtum pia  
 Serva, et fideli cinere victurum excipe.  
 (Ad Astyanacta) Succede tumulo, nate. — Quid retro fugis  
 Turpesque latebras spernis? — Agnosco indolem:  
 Pudet timere. — Spiritus magnos fuga
- 580 Animosque veteres: sume, quos casus dedit.  
 En, intuere, turba quae simus super;  
 Tumulus, puer, captiva! Cedendum est malis.  
 Sanctas parentis conditi sedes, age,  
 Aude subire. Fata si miseros juvant,  
 585 Habes salutem: fata si vitam negant,  
 Habes sepulcrum. *Sen.* Clastra commissum tegunt.  
 Quem ne tuus producat in medium timor,  
 Procul hinc recede, teque diversam amove.  
*Androm.* Levius solet timere, qui propius timet.
- 590 Sed, si placet, referamus hinc alio pedem.  
*Sen.* Cohibe parumper ora, questusque opprime.  
 Gressus nefandos dux Cephallenum admovet.  
*Androm.* Dehisce tellus, tuque, conjux, ultimo  
 Specu revulsam scinde tellurem et Stygis  
 595 Sinu profundo conde depositum meum.  
 Adest Ulyxes, et quidem dubio gradu  
 Vultuque: nectit pectore astus callidos.

## Actus III. Scena 2.

Ulyxes cum armatis intervenit, et sagacitate sua latebras detegit.

*Ulyx.* **D**urae minister sortis hoc primum peto,  
 Ut ore quamvis verba dicantur meo, 600  
 Non esse credas nostra. Grajorum omnium  
 Procerumque vox est, petere quos seras domos  
 Hectorea soboles prohibet. Hanc fata expetunt.  
 Sollicita Danaos pacis incertae fides  
 Semper tenebit, semper a tergo timor 605  
 Respicere coget, arma nec poni sinet,  
 Dum Phrygibus animos natus eversis dabit,  
 Andromacha. *Androm.* Vester augur hoc Calchas canit?  
*Ulyx.* Et si tacebat augur haec Calchas, tamen  
 Dicebat Hector, cujus et stirpem horreo. 610  
 Generosa in ortus semina exsurgent suos.  
 Sic ille magni parvus armenti comes,  
 Primisque nondum cornibus findens cutem,  
 Cervice subito celsus et fronte arduus  
 Gregem paternum ducit, ac pecori imperat. 615  
 Quae tenera caeso virga de trunco stetit,  
 Par ipsa matri tempore exiguo subit,  
 Umbrasque terris reddit, et caelo nemus.  
 Sic male relictus igne de magno cinis  
 Vires resumit. — Est quidem injustus dolor 620  
 Rerum aestimator: si tamen tecum exigas,  
 Veniam dabis, quod bella, post hiemes decem  
 Totidemque messes jam senex, miles timet,  
 Aliasque clades rursus, ac numquam bene  
 Trojam jacentem. Magna res Danaos movet; 625  
 Futurus Hector. Libera Grajos metu.  
 Haec una naves causa deductas tenet;  
 Hic classis haeret. Neve crudelem putes,  
 Petissem Orestem. Patere, quod victor tulit.  
*Androm.* Utinam quidem esses, nate materna in manu, 630  
 Nossemque, quis te casus ereptum mihi  
 Teneret, aut quae regio! non hostilibus  
 Confossa telis pectus, aut vinculis manus  
 Secantibus praestricta, non acri latius  
 Utrumque flamma cincta, maternam fidem 635  
 Umquam exuissem. Nate quis te nunc locus,  
 Fortuna quae possedit? Errore avio

- Vagus arva lustras? vastus an patriae vapor  
 Corripuit artus? saevus an victor tuo
- 640 Lusit cruore? numquid, immanis ferae  
 Morsu peremtus, pascis Idaeas aves?  
*Ulyx.* Simulata remove verba: non facile est tibi  
 Decipere Ulyxem. Vicimus matrum dolos  
 Etiam dearum. Cassa consilia amove.
- 645 Ubi natus est? *Androm* Ubi Hector? ubi cuncti Phryges?  
 Ubi Priamus? Unum quaeris: ego quaero omnia.  
*Ulyx.* Coacta dices, sponte quod fari abnuis.  
*Androm.* Tuta est, perire quae potest, debet, cupit.  
*Ulyx.* Magnifica verba mors prope admota excutit.
- 650 *Androm.* Si vis, Ulyxe, cogere Andromacham metu,  
 Vitam minare: nam mori votum est mihi.  
*Ulyx.* Verberibus, igni, morte, cruciatu, eloqui  
 Quodcumque celas, adiget invitam dolor.  
 Et pectore imo condita arcana eruet,
- 655 Necessitas plus posse, quam pietas, solet,  
*Androm.* Propone flammam, vulnera, et diras mali  
 Doloris artes, et famem, et saevam sitim,  
 Variasque pestes undique, et ferrum inditum  
 Visceribus ustis, carceris caeci luem,
- 660 Et quidquid audet victor iratus, tumens;  
 Animos nullo mater admittit metu.  
*Ulyx.* Stulta est fides, celare, quod prodas statim.  
 Hic ipse, quo nunc contumax perstas, amor,  
 Consulere parvis liberis Danaos monet.
- 665 Post arma tam longinqua, post annos decem,  
 Minus timerem, quos facit Calchas metus,  
 Si mihi timerem: bella Telemacho paras.  
*Androm.* Invita Ulyxi gaudium ac Danais dabo.  
 Dandum est. Fatere, quos premis luctus dolor,
- 670 Gaudete, Atridae, tuque laetifica, ut soles,  
 Refer Pelasgis. Hectoris proles obit.  
*Ulyx.* Et esse verum hoc, qua probas Danais fide?  
*Androm.* Ita, quod minari maximum victor potest,  
 Contingat, et me fata maturo exitu
- 675 Faciliqve solvant, ac meo condant solo,  
 Et patria tellus Hectorem leviter premat;  
 Ut luce caret, ut inter extinctos jacet,  
 Datusque tumulo debita exanimis tulit.  
*Ulyx.* Expleta fata stirpe sublata Hectoris,
- 680 Solidamque pacem laetus ad Danaos feram.  
 Quid agis, Ulyxe? Danaidae credant tibi?

- Tu cui? Parenti. Fingit an quisquam hoc parens.  
 Nec abdominandae mortis auspiciū pavet? —  
 Auspiciā metuunt, qui nihil majus timent. —  
 Eīdem adligavit jure jurando suam. —  
 Si pejerat, timere quid gravius potest? — 685  
 Nunc advoca astus, anime, nunc fraudes, dolos,  
 Et totum Ulyxem: veritas numquam perit.  
 Scrutare matrem. Moeret, illacrimat, gemit,  
 Et huc et illuc auxios gressus refert,  
 Missasque voces aure sollicita excipit. — 690  
 Magis haec timet, quam moeret. — Ingenio est opus.  
 Alios parentes adloqui in luctu decet;  
 Tibi gratulandum est, misera, quod nato cares,  
 Quem mors manebat saeva praecipitem datum  
 E turre, lapsis sola quae muris manet. 695  
*Androm.* Me liquit animus, membra quatiuntur, labant.  
 Torpetque vinctus frigido sanguis gelu.  
*Ulyx.* En tremuit: hac, hac parte quaerenda est mihi.  
 Matrem timor detexit; iterabo metum.  
 Ite, ite celeres! fraude materna abditum 700  
 Hostem Pelasgi nominis, pestem ultimam,  
 Ubicumque latitat, erutam in medium date! —  
 Bene est, tenetur (ad militem socium) Perge, festina, attrahe!  
 (Ad Andromacham) Quid respicis, trepidasque? jam certe  
 perit. 705  
*Androm.* Utinam timerem! solitus ex longo est metus.  
 Dediscit animus sero, quod didicit diu.  
*Ulyx.* Lustrale quoniam debitum muris puer  
 Sacrum antecessit, nec potest vatem sequi  
 Meliore fato raptus; hoc Calchas ait 710  
 Modo piari posse redituras rates,  
 Si placet undas Hectoris sparsi cinis,  
 Ac tumulus imo totus aequetur solo.  
 Nunc ille quoniam debitam effugit necem,  
 Erit admovenda sedibus sacris manus. 715  
*Androm.* Quid agimus? Animum distrahit geminus timor.  
 Hinc natus, illinc conjugis cari cinis.  
 Pars utra vincet? Testor immites deos,  
 Deosque veros, conjugis manes mei —  
 Non aliud, Hector, in meo nato mihi 720  
 Placere, quam te. Vivat, ut possit tuos  
 Referre vultus. — Prorutus tumulo cinis  
 Mergetur? ossa fluctibus spargi sinam  
 Disjecta vastis? Potius hic mortem oppetat!

- Poteris nefandae deditum mater neci  
Videre? poteris celsa per fastigia
- 725 Missum rotari? — Potero: perpetiar: feram:  
Dum non meus post fata victoris manu  
Jactetur Hector. — Hic suam poenam potest  
Sentire; at illum fata jam in tuto locant. —  
— Quid fluctaris? statue, quem poena extrahas.
- 730 — Ingrata, dubitas? Hector est illic tuus.  
— Erras: utrimque est Hector. Hic sensus potens,  
Forsan faturus ultor extincti patris.  
— Utrique parci non potest. Quidnam facis?  
— Serva e duobus, anime, quem Danaï timent.
- 735 *Ulyx.* Responsa peragam, funditus busta eruam.  
*Androm.* Quae vendidistis? *Ulyx.* Pergam et summo  
aggere  
Traham sepulcra. *Androm.* Caelitum adpello fidem,  
Fidemque Achillis! Pyrrhe, genitoris tui,
- 740 Munus tuere. *Ulyx.* Tumulus hinc campo statim  
Toto jacebit. *Androm.* Fuerat hoc prorsus nefas  
Danais inausum: templa violastis, deos,  
Etiam faventes: busta transierat furor.  
Resistam: inermes offeram armatis manus:
- 745 Dabit ira vires. Qualis argolicas ferox  
Turmas Amazon stravit, aut qualis, deo  
Percussa, maenas entheo silvas gradu  
Armata thyrsò terret, atque expers sui  
Vulnus dedit, nec sensit: in medios ruam
- 750 Tumuloque cineres socia defenso cadam.  
*Ulyx.* (ad milites) Cessatis? et vos flebilis clamor movet,  
Furorque cassus feminae? Jussa ocius  
Peragite. *Androm.* Me, me sternite hic ferro prius.  
Repellor? — heu me! Rumpe fatorum moras;
- 755 Mollire terras, Hector, ut Ulyxem domes.  
Vel umbra satis est. — Arma concussit manu;  
Jaculatur ignes. Cernitis, Danaï, Hectorem?  
An sola video? *Ulyx.* Funditus cuncta erue.  
*Androm.* Quid agis, ruina mater et natum et virum,
- 760 Prosternis una — Forsitan Danaos prece  
Placare poteris. Conditum elidet statim  
Immane busti pondus. Intereat miser  
Ubicumque potius, ne pater natum obruat,  
Prematque patrem natus. Ad genua accido
- 765 Supplex, Ulyxe, quamque nullius pedes  
Novere, dextram pedibus admoveo tuis.

Miserere matris, et preces placidus pias,  
 Patiensque recipe; quoque celsum altius  
 Superi levarunt, mitius lapsos preme.  
 Misero datur quodcumque, fortunae datur, 770  
 Sic te revisat conjugis sanctae torus,  
 Annosque, dum te recipit, extendat suos  
 Laërta! si te juvenis excipiat tuus,  
 Et vota vincens vestra felici indole,  
 Aetate avum transcendat, ingenio patrem! 775  
 Miserere matris. Unicum adflictae mihi  
 Solamen hoc est. *Ulyx.* Exhibe natum; et roga.  
*Androm.* Huc e latebris  
 Procede tuis  
 Flebile matris 780  
 Furtum miseræ! (*Astyanax e tumulo prodit.*)

## A c t u s III. S c e n a 3.

*Ulyxes, Andromacha, Astyanax*

(*Andromacha salutem Astyanactis exorare conatur nequidquam*  
 quem *Ulyxes* ad moriem abducit)

*Androm.* Hic puer, hic est  
 Terror, *Ulyxe*,  
 Mille carinis.  
 (*Ad Astyanacta.*) Submitte manus  
 Dominique pedes 785  
 Supplice dextra  
 Stratus adora:  
 Nec turpe puta,  
 Quidquid miseros  
 Fortuna jubet. 790  
 Pone ex animo  
 Reges atavos,  
 Magnique senis  
 Jura per omnes  
 Inclita terras 795  
 Excidat Hector.  
 Gere captivum;  
 Positoque genu,  
 Si tua nondum  
 Funera sentis, 800  
 Matris fletus  
 Imitare tuac.

- (Ad Ulyxem) Vidit pueri  
 805 Regis lacrimas  
 Et Troja prior  
 Parvusque minas  
 Trucis Alcidae  
 Flexit Priamus,  
 810 Ille, ille ferox,  
 Cujus vastis  
 Viribus omnes  
 Cessere ferae,  
 815 Qui perfracto  
 Limine Ditis  
 Caecum retro  
 Patefecit iter,  
 Hostis parvi  
 Victus lacrimis:  
 820 *Suscipe*, dixit,  
*Rector*, *habenas*,  
*Patrioque sede*  
*Celsus solio*:  
 825 *Sed sceptrâ fido*  
*Meliore tene*.  
 Hoc fuit illo  
 Victore capi.  
 Discite mites  
 830 Herculis iras;  
 An sola placent  
 Herculis arma?  
 Jacet ante pedes  
 Non minor illo  
 835 Supplice supplex,  
 Vitamque petit.  
 Regnum Trojae,  
 Quocumque volet,  
 Fortuna ferat.
- Ulyx*. Matris quidem me moeror attonitae movet:  
 840 Magis Pelasgae me tamen matres movent,  
 Quarum iste magnos crescit in luctus puer.  
*Andram*. An has ruinas urbis in cinerem datas  
 Hic exhibitabit? Hae manus Trojam erigent?  
 845 Nullas habet spes Troja, si tales habet.  
 Non sic jacemus Troës, ut cuiquam metus  
 Possimus esse. — Spiritus genitor facit?  
 Sed nempe tractus. Ipse post Trojam

- Posuisset animos, magna quos frangunt mala.  
 Si poena petitur, — quae peti gravior potest? — 850  
 Famulare collo nobili subeat jugum.  
 Servire liceat: aliquis hoc regi negat?  
*Ulyx.* Non hoc *Ulyxes*, sed negat *Calchas* tibi.  
*Androm.* (ira commota) O machinator fraudis, o scel-  
 rum artifex,  
 Virtute cujus bellica nemo occidit, — 855  
 Dolis et astu maleficae mentis jacent  
 Etiam Pelasgi; — vatem et insontes deos  
 Praetendis? Hoc est pectoris facinus tui:  
 Nocturne miles, fortis in pueri necem  
 Jam solus audes aliquid et claro die. 860  
*Ulyx.* Virtus Ulyxis Danaidis nota est satis,  
 Nimisque Phrygibus. Non vacat vanis diem  
 Conterere verbis: ancoras classis legit.  
*Androm.* (supplex) Brevem moram largire, dum officii  
 um parens 865  
 Nato supremum reddo, et amplexu ultimo  
 Avidos dolores satio. *Ulyx.* Misereri tui  
 Utinam liceret! Quod tamen solum licet,  
 Tempus moramque dabimus. Arbitrio tuo  
 Implere lacrimis: fletus aerumnas levat.  
*Androm.* (Astyanacta amplectens) O dulce pignus! O decus 870  
 lapsae domus  
 Summumque Trojae funus! O Danaum timor!  
 Genitricis o spes vana! cui demens ego  
 Laudes parentis bellicas, annos avi  
 Medios precabar? vota destituit deus!  
 Iliaca non tu sceptris regali potens 875  
 Gestabis aula, jura nec populis dabis,  
 Victasque gentes sub tuum mittes jugum;  
 Non graja cedes terga, non Pyrrhum trahes:  
 Non arma tenera parva tractabis manu,  
 Sparsasque passim saltibus latis feras 880  
 Audax sequeris, nec stato lustris die,  
 Solenne referens Troici lusus sacrum  
 Puer citatus nobilis turmas ages;  
 Non inter aras mobili velox pede,  
 Revocante flexo concitos cornu modos, 885  
 Barbarica prisco templa saltatu coles.  
 O morte dira tristius lethi genus!  
 Flebilius aliquid Hectoris magni nece

Muri videbunt. *Ulyx.* Rumpe jam fletus parens,  
 890 Magnus sibi ipse non facit finem dolor.  
*Androm.* Lacrimis, Ulyxe, parva, quam petimus;  
 mora est,

Concede, parvos ut mea condam manu  
 Viventis oculos. (ad *Astyanacta*) Occidis parvus quidem,  
 Sed jam timendus. Troja te expectat tua.  
 895 I, vade liber, liberos Troas vide.

*Astynax.* Miserere mater. *Androm.* Quid meos re-  
 tines sinus  
 Manusque matris? Cassa praesidia occupas.  
 Fremitu leonis qualis audito tener  
 Timidum juvenus adplicat matri latus:  
 900 At ille saevus matre submota leo  
 Praedam minorem morsibus vastis premens  
 Frangit vehitque: talis e nostro sinu  
 Te rapiet hostis. Oscula et fletus, puer,  
 Lacerosque crines excipe, et plenus mei  
 905 Occurre patri. Pauca materna tamen  
 Perfer querelae verba: *Si manes habent*  
*Curas priores, nec perit flammis amor;*  
*Servire grajo pateris *Andromachen* jugo.*  
*Crudelis Hector? Lentus et segnis jaces?*  
 910 *Rediit Achilles.* Sume nunc iterum comas  
 Et sume lacrimas, quidquid e misero viri  
 Funere relictum est: sume, quae reddas tuo  
 Oscula parenti. Matris hanc solatio  
 Relinque vestem: tumulus hanc tetigit meus  
 915 Manesque cari. Quidquid hic cineris latet,  
 Scrutabor ore — *Ulyx.* Nullus est flendi modus:  
 Abripite propere classis argolicae moram.

## Chorus.

Absportandae Troades in varia Graeciae loca, prout sorte dis-  
 pertitae contigerant Achivis, in quamcumque Graeciae partem ab-  
 duci praeoptant potius, quam in Sparta, Ithacam aut Mycenae,  
 Helenae, Ulyxis et Agamemnonis patriam.

Quae vocat sedes habitanda captas  
 Thessali montes et opaca Tempe?  
 An viros tellus dare militares  
 920 Aptior Phthiae? Meliorque fetu  
 Fortis armenti lapidosa Trachin?

- An maris vasti domitrix Iolcos?  
 Urbibus centum spatiosa Crete?  
 Parva Gortyne, sterilisque Tricce? 925  
 An frequens ruscis levibus Methone?  
 Quae sub Oetaeis Meliboea silvis  
 Misit infestos Troia ruinis  
 Non semel arcus?  
 Olenos tectis habitata raris? 930  
 Virginis Pleuron inimica divae?  
 An maris lati sinuosa Troezen?  
 Pelion, regnum Prothoi superbum,  
 Tertius caelo gradus? Hic recumbens  
 Montis exesi spatiosus antro 935  
 Jam trucis Chiron pueri magister,  
 Tinnulas plectro feriente chordas,  
 Tunc quoque ingentes acuebat iras  
 Bella canendo.  
 An ferax varii lapidis Carystos? 940  
 An, premens litus maris inquieti  
 Semper Euripo properante, Chalcis?  
 Quolibet vento faciles Calydnæ?  
 An carens numquam Gonoëssa vento?  
 Quaeque formidat Borean Enispe? 945  
 Attica pendens Peparethos ora?  
 An sacris gaudens tacitis Eleusin?  
 Numquid Ajacis Salamina veram?  
 Aut fera notam Calydonæ saeva?  
 Quasque perfundit subiturus aequor 950  
 Segnibus terras Titaressos undis?  
 Bessan et Scarphen? Pylon an senilem?  
 Pharin? an Pisam, Jovis et coronis  
 Elida claram?  
 Quolibet tristis miseræ procella 955  
 Mittat, et donet cuicumque terrae:  
 Dum, luem tantam Troæ atque Achivis  
 Quae tulit, Sparte procul absit; absit  
 Argos, et saevi Pelopis Mycenæ;  
 Neritos parva brevior Zacyntho, 960  
 Et nocens saxis Ithace dolosis.  
 Quod manet fatum, dominusque quis te,  
 Aut quibus terris, Hecube, videndam  
 Ducet? In cujus moriere regno?

- v. 489. *Mea membra*, i. e. mei Hectoris.
- v. 492. *Torpens malis*, illis malis stupens, non sentio urbis excidium captivitateinque meam!
- v. 510. *Communis terror*, ab Achillis umbra injectus de Polyxena.
- v. 522. *Ex simulato Achille*, i. e. Patroclo, Achillis armis induto, et per Hectorem exuto.
- v. 525. *Nostro* sc. vultui lugenti.
- v. 550. *Tam magna timeo vota*, sc. fati memor. Revocat se Andromacha a tam magnis votis, et scio, inquit, aliud esse *Troum Trojaeque fatum*.
- v. 562. *Omen tremisco*, h. e. vereor, ne infausto sepulcri nomine mortem illi praedixerim.
- v. 567. *Perit*, i. e. dic perisise.
- v. 582. *Tumulus patris, puer tu, captiva ego*.
- v. 592. *Cephalenes*, populi insulae Ionii maris, qui Ulyxem sequuti sunt ad Trojam.
- v. 601. *Seras domos*, h. e. sero revisendas.
- v. 623. *Numquam bene jacentem*, h. e. non funditus eversam, superstitite Astyanacte in novi belli semina, ut quondam Priamo.
- v. 628. *Hectoris*, i. e. hostis nostri natum; etiam *Orestem*. Agamemnonis ducis nostri filii peterem. Perfer victa, quod victor Agamemnon tulit in Iphigenia filia.
- v. 648. *Vicinus matrum dolos, etiam dearum*, sc. Clytaemnestrae, quum peterem Iphigeniam, et Tethyos, quum explorarem Achillem. Indigner dicit *dearum pro deae*.
- v. 648. Quae et potest et debet et cupit mori; nihil timet, securaque est.
- v. 663. *Hic ipse amoris affectus*, quo tam pertinax filio tuo prospicis, monet etiam nos, ut nostris aequè consulamus.
- v. 708. *Lustrale muris debitum*; Astyanax de turre dejiciendus; *meliore* i. e. mitiore *fato raptus*.
- v. 736. *Busta*, i. e. tumulus, in quo cadaver ustum et cineratum. Proprie cadaveris crematio *bustum* ab antiquo *buro*  $\pi\upsilon\rho\delta\omega$  dicitur; locus cremationis *ustrina*; operis exstructio *sepulcrum*; inscriptio *monumentum*; strues lignorum *rogus*; ignis inflammatus *pyra*; mortuorum adparatus *funus*.
- v. 797. Excidat Hectoris memoria, gere te more captivi.
- v. 804. Vidit prius Troja lacrimas Priami tum pueri, futuri regis; et ferox Hercules pueri lacrimis flexus est.
- v. 825. *Fide meliore tene sceptrum*, quam pater Laomedon, qui perfide primum deos, urbis munitores, promissa mercede

- fraudavit, mox etiam Herculem equis, propter Hesionem a monstro marino liberatam, pactis.
- v. 857. *Etiam Pelasgi*, sc. Palamedes falsa proditionis ad causatione oppressus, et Ajax in contentione de Achillis armis victus.
- v. 857. *Nocturne miles*, qui nocte solum expeditiones seu furta potius exercebat, ut in rapiendo Palladio et Rhesi tentoriis deprehendendis.
- v. 860. *Solus audes*, sine Diomede comite.
- v. 878. *Non Pyrrhum trahes*, in filio patrem tuum ab Achille tractum ultus.
- v. 884. *Inter aras mobili velox pede*; choreae in Dydymenis sacris saltando ad Phrygium modum, qui ceteris quatuor erat concitator. Aeolius enim simplex, Doricus honestus et gravis, Ionius seu Iasitus varius, Lydius querulus, Phrygius vero religiosus, et pugnas excitat et vatam furores inflammant.
- v. 903. *Oscula et fletus cet.* filio vivo, sed jam morti destinato iusta persolvit. Respicit autem ad ritum componendi ossa, qui talis fuit, primo bustum vino exstinguebant, manes vocabant; lotis deinde manibus ossa legebant, lecta vino perfundebant et lacte, mox vento siccanda exponerebant, siccata aromatibus et odoribus mista reponerebant in urna, reliquis lacrimas superfundebant.
- v. 918. *et sqq. Tempe*, amoena Thessaliae vallis, *Phthia*, Thessaliae pars, Achillis et Myrmidonum patria, *Trachin.* Thessaliae urbs, et quum pars *τραχίνα*, i. e. aspera sit, nomen inde traxit. *Iolcos*, Iasonis patria, qui ad vellus aureum petendum vectus Argo, mare navibus pervium docuit. *Creta*, *ἐκατόμυλος*, insula. *Gortyne*, Cretae oppidum. *Tricce*, Thessaliae urbs. *Methone*, urbs in Argolide, Peloponnesi provincia. *Meliboea*, urbs Thessaliae, vel litoralis potius Magnesiae, patria Philoctetae. *Ossa*, mons in finibus Thessaliae, Herculis rogo celeberrimus. *Olenos*, Elidis urbs. *Pleuron*, Aetoliae urbs, Meleagri patria, cujus pater Oeneus, quum ceteris numinibus frugum honores sacrificaret, omissa Diana; indignata dea immisit aprum, qui Aetoliam vastaret. *Troezen*, Peloponnesi urbs maritima, Thesei patria. *Prothoos*, Thendredonos, Magnesiae principis filius, qui ad Trojam oppugnandam cum ceteris Graecis venerat. *Pelion tertius caelo gradus*, qui Pindo seu Olympo et Ossae superingestus est a gigantibus; in cujus antro habitabat Chiron, magister Achillis, quem in musica, medica et equitandi arte informarat. *Carystos*, una e Cy-

cladam insulis, ejus marmor commendatur macularum varietate; hinc *varii lapidis Carystos* dicitur. *Euripus*, mare inter Atticam et Euboeam. *Chalchis*, Euboea urbs, ab Aulide Boeotiae portu Euripo divisa. *Calydnae*, maris aegaei insulae. *Gonoëssa*, in Aetolia, alto loco sita. *Enispe*, urbs Arcadiae. *Peparethos*, e Cycladum numero. *Eleusin*, sacris Cereris tacitis; h. e. tacendis, non revelandis gaudens mysteriis in Attica. *Salamis vera*, insula Attica, Thetamoni regnata; non illa a Teucro in Cypro condita. *Calydon*, Aetoliae urbs; de apro Calydonio supra dictum, v. 931. *Titaressos*, amnis Thessaliae, fuit per Loeres, quorum sunt urbes *Bossa et Scarphe*. *Pylos* Messeniae; *Pharis*, Laconiae urbs. *Pisa*, urbs in Peloponnesi Elide, ad quam celeberrimi ludi olympici. *Sparte*, Laconum urbs Helenae patria, *Mycenae et Argos*, urbes in Argolide, Peloponnesi provincia, *Neritos* et mons Ithacae, et insula Arcarnaniae. *Zacyntho*, insula maris Ionii, regnata Ulyxi: *memorosa Zacyntho, Dulichiumque Sameque, et Neritos ardua saxis.*

#### Actus IV. Scena 1.

Scena eadem, quae actu primo

*Helena, Andromasha, Hecuba.*

*Polyxena, Pyrrhus, personae mutae.*

Ut manibus Achillis rite peragantur inferiae, excogitata est ratio, qua, ut veste ita animo nuptiali adfecta, mactetur Polyxena: quae partes dantur Helenae, ut Polyxenam inani nuptiarum cum Pyrrho spe lactet; quas illa primo simulat, mox Andromachae jurgio excussa, fatetur, et rem aperte suadet.

- 965 *Hel.* Quicumque hymen funestus, illaetabilis,  
Lamenta, caedes, sanguinem, gemitus habet,  
Est auspice Helena dignus. Eversis quoque  
Nocere cogor Phrygibus. Ego Pyrrhi toros  
Narrare falsos jubeor; ego cultus dare  
970 Habitusque grajos! Arte capietur mea?  
Meaque fraude concidet Paridis soror?  
— Fallatur: ipsi levius hoc equidem reor.  
Optanda mors est, sine metu mortis mori.  
Quid jussa cessas agere? Ad auctores redit  
975 Sceleris coacti culpa. (Ad Polyxenem) Dardaniae domus  
Generosa virgo, melior adflictos deus

- Respicere coepit, teque felici parat  
 Dotare thalamo. Tale conjugium tibi  
 Non ipsa sospes Troja, non Priamus daret.  
 Nam te Pelasgae maximum gentis decus 980  
 Ad sancta thalami jura legitimi petit,  
 Cui regna campi lata Thessalici patent.  
 Te magna Thetis, teque tot pelagi deae,  
 Placidumque numen aequoris tumidi Thyets  
 Suam vocabunt. Te, datam Pyrrho, socer 985  
 Peleus nurum vocabit, et Nereus nurum.  
 Depone cultus squalidos, festos cape.  
 Dedisce captam: deprime horrentes comas,  
 Crinemque docta patere distingui manu.  
 Hic forsitan te casus excelso magis 990  
 Solio reponet. Profuit multis capi.  
*Androm.* Hoc deerat unum Phrygibus eversi malum,  
 Gaudere! Flagrant strata passim Pergama.  
 O conjugale tempus! — An quisquam audeat  
 Negare? quisquam dubius ad thalamos eat, 995  
 Quos Helena suadet? (ad Helenam) Pestis, exitium, lues  
 Utriusque populi! Cernis hos tumulos ducum?  
 Et nuda totis ossa quae passim jacent  
 Inhumata campis? haec hymen sparsit tuus.  
 Tibi fluxit Asiae, fluxit Europae cruor, 1000  
 Quum dimicantes lenta prospiceret viros,  
 Incerta voti. Perge, thalamos adpara.  
 Taedis quid opus est, quidve solenni face?  
 Quid igne? Thalamis Troja praelucet novis.  
 Celebrate Pyrrhi, Troades, connubia: 1005  
 Celebrate digne, planctus et gemitus sonent.  
*Helena.* Ratione quamvis careat, et flecti neget  
 Magnus dolor, sociosque nonnumquam sui  
 Moeroris ipsos oderit; causam tamen  
 Possum tueri iudice infesto meam, 1010  
 Graviores passa. Luget Andromacha Hectorem,  
 Et Hecuba Priamum, solus occulte Paris  
 Legendus Helenae est — Durum, et invisum, et grave est,  
 Servitia ferre: patior hoc olim jugum  
 Annis decem captiva — Prostratum Ilium est; 1015  
 Versi penates, perdere est patriam grave,  
 Gravius timere — Vos levat tanti mali  
 Comitatus: in me victus et victor furit.  
 — Quam quisque famulam traheret, incerto diu  
 Casu pendit: me meus traxit statim 1020

- Sine sorte dominus. — Causa bellorum fui?  
 Tantaque Teucris cladis? Hoc verum puta;  
 Spartana puppis vestra si secuit freta;  
 Si rapta Phrygiis praeda remigibus fui,  
 1025 Deditque domum judici victrix dea;  
 Ignosce Paridi. Judicem iratum mea  
 Habitura causa est: ista Menelaum manent  
 Arbitria. Nunc hanc, luctibus paulum tuis,  
 Andromacha, missis, flecte — vix lacrimas queo  
 1030 Retinere. *Androm.* Quantum est, Helena quod lacri-  
 mat, malum;  
 Cur lacrimat autem? Fare quos Ithacus dolos,  
 Quae scelera nectat. Utrum ab Idaeis jugis  
 Jactanda virgo est, arcis an celsae edito  
 Mittenda saxo? num per has vastum in mare  
 1035 Volvenda rupes, latere quas scisso levat  
 Altum vadosos Sigeon spectans sinus?  
 Dic, fare, quidquid subdolo vultu tegis.  
 Leviora mala sunt cuncta, quam Priami gener  
 Hecubaeque Pyrrhus. Fare, quam poenam pares.  
 1040 Expromē; et unum hoc deme nostris cladibus;  
 Falli: paratas perpeti mortem vides.  
*Helena.* Utinam juberet me quoque interpres deūm  
 Abrumpere ense lucis invisae moras,  
 Vel Achillis ante busta, furibunda manu  
 1045 Occidere Pyrrhi, fata comitantem tua,  
 Polyxene miseranda; quam tradi sibi,  
 Cineremque Achilles ante mactari suum,  
 Campo maritus ut sit Elysio, jubet.  
*Androm.* (Ad Helenam) Vide, ut animus ingens laetus  
 audierit necem;
- 1050 Cultus decoros regiae vestis petit,  
 Et admoveri crinibus patitur manum.  
 Mortem putabat illud, hoc thalamos putat.  
 At misera luctu mater audito stupet.  
 Labefacta mens succubuit. Adsurge! adleva  
 1055 Animum, et cadentem, misera, firma spiritum,  
 Quam tenuis anima vinculo pendet levi;  
 Minimum est, quod Hecubam facere felicem potest.  
 Spirat, revixit; prima mors miseros fugit.  
*Hecuba.* Adhuc Achilles vivit in poenas Phrygum?  
 1060 Adhuc rebellat? O manum Paridis levem!  
 Cinis ipse nostrum sanguinem ac tumulum sinit.  
 Modo turba felix latera cingebat mea.

Lassabar in tot oscula, in totum gregem  
 Dividere matrem, sola nunc haec est super,  
 Votum, comes, levamen, adflictae quies.  
 Haec totus Hecubae fetus: hac sola vocor 1065  
 Jam voce mater. Dura et infelix, age,  
 Elabere anima: denique hoc unum mihi  
 Remitte funus. (ad Polyxenam) Irrigat fletus genas?  
 Imberque victo subitus e vultu cadit?  
 Laetare, gaude, gnata. Quam vellet tuos 1070  
 Cassandra thalamos, vellet Andromache tuos!  
*Androm.* Nos, Hecuba! nos, nos, Hecuba, lugendae sumus.  
 Quas mota classis huc et huc sparsas feret.  
 Hanc cara tellus sedibus patriis teget.  
*Helena.* Magis invidebis, si tuam sortem scias. 1075  
*Androm.* An aliqua poenae pars meae ignota est mihi?  
*Helena.* Versata dominos urna captivis dedit.  
*Androm.* Te sorte prima tradar, ede. Quem dominum voco?  
*Androm.* Cui famula tradar, ede. Quem dominum voco?  
*Androm.* Cassandra felix! Quam furor sorte eximit, 1080  
 Phoebusque. *Helena.* Regum hanc maximus rector tenet.  
*Hecuba.* Estne aliquis, Hecubam qui suam dici velit?  
*Helena.* Ithaco obtigisti praeda nolenti brevis.  
*Hecuba.* Quis tam impotens ac dirus, et iniquae ferus  
 Sortitor urnae regibus reges dedit? 1085  
 Quis tam sinister dividit captas deus?  
 Quis arbiter crudelis, et miseris gravis,  
 Eligere dominos nescit? Et saeva manu  
 Dat iniqua miseris fata? Quis matrem Hectoris  
 Armis Achillis miscet? Ad Ulyxem vocor! 1090  
 Nunc victa, nunc captiva, nunc cunctis mihi  
 Obsessa videor cladibus! Domini pudet,  
 Non servitutis. Hectoris spoliū feret,  
 Qui tulit Achillis? Sterilis et saevis fretis  
 Inclusa tellus non capit tumulos meos. — 1095  
 Duc, duc, Ulyxe: nil moror. Dominum sequor,  
 Me mea sequantur fata. Non pelago quies  
 Tranquilla veniat, saeviat ventis mare;  
 Et bella, et ignis, et mea, et Priami mala.  
 Dumque ista veniunt, interim hoc poenae in lucro est: 1100  
 Sortem occupavi, praemium eripui tibi.  
 Sed incitato Pyrrhus adcurrit gradu,  
 Vultuque torvo. Pyrrhe, quid cessas? age,  
 Reclude ferro pectus, et Achillis tui  
 Conjunge soceros. Perge, mactator senum, 1105

Et hic decet te sanguis ; abreptam traha.  
 Maculate superos caede funesta deos,  
 Maculate manes. Quid precer verbis ? Precor  
 His digna sacris aequora. Hoc classi accidat  
 1110 Toti pelasgae, ratibus hoc mille accidat,  
 Meae, precabor, quum vehar, quidquid rati.

## Chorus.

Chorus occasione sumta ab Helenae dicto supra v. 1017 et 1018  
*Vos levat tanti mali comitatus, in me victus et victor furit, solatur se communi malo, quasi solamen miseris, socios habuisse doloris ; quod tamen solatium ipsis, sortita disjunctis ablatum iri dolent.*

**D**ulce moerenti populus dolentum,  
 Dulce lamentis resonare gentes.  
 Lentius luctus, lacrimaeque mordent,  
 1115 Turba quas fletu simili frequentat.  
 Semper, ah! semper dolor est malignus:  
 Gaudet in multos sua fata mitti,  
 Neque non solum placuisse poenae.  
 Ferre, quam sortem patiuntur omnes,  
 1120 Nemo recusat.  
 Nemo se credit miserum, licet sit;  
 Tolle felices. Removeto multo  
 Divites auro, removeto, centum  
 Rura qui sciunt opulenta bubus;  
 1125 Pauperi surgent animi jacentes.  
 Est miser nemo, nisi comparatus.  
 Dulce in immensis posito ruinis,  
 Neminem laetos habuisse vultus.  
 Ille deplorat, queriturque fatum,  
 1130 Qui, secans fluctum rate singulari,  
 Nudus in portus cecidit petitos:  
 Aequior casum tulit et procellas;  
 Mille qui ponto pariter carinas  
 Obrui vidit, tabulaque litus  
 1135 Naufraga spargi, mare quum coactis  
 Fluctibus Caurus prohibet reverti  
 Questus est Hellen cecidisse Phryxus,  
 Quum gregis ductor radiante villo  
 Aureo fratrem simul et sororem  
 1140 Sustulit tergo, medioque jactum

Fecit in pōnto: tēnuit querelas  
 Et vir et Pyrrhē, mare quum viderent;  
 Et nihil præter mare quum viderent,  
 Unici terris homines relictī.

Solvēt hunc coetum, lacrimasque nostras

Sparget huc illuc agitata classis; 1146

Et tuba jussi dare vela nautae,  
 Quum simul ventis properante remo  
 Prenderint altum: fugietque litus.

Quis status mentis miseris, ubi omnis 1150

Terra decrescet, pelagusque crescet?

Celsa quum longe latitabit Ide?

Tum puer matri, genitrixque nato;

Troja qua jaceat regione, monstrans

Dicet, et longe digito notabit;

*Ilium est illic, ubi fumus alte*

*Serpit in caelum, nebulæque turpes.* 1155

Troës hoc signo patriam videbunt!

v. 1001. *Quum dimicantes lenta prospicerēs viros, incertā voti,*  
 i. e. quum emuro Trojano sine animi cura prospicerēs duos  
 maritos tuos de te dimicantes, incertā, quem victorem esse  
 velis, Menelaumne legitimum, an raptorem Paridem.

v. 1036. Magnum certe aliquod imminet malum, quod Hele-  
 nam malis indurataim cogat ad lacrimas.

v. 1051. *Illud*, sc. Pyrrho nubere, *mortem putabat, hoc*, sc.  
 occidi, *thalamos putat.*

v. 1090. *Quis matrem Hectoris armis Achillis miscet!* arma  
 Achillis obtigere Ulyxi, iudiciis vel Graecis, ut Sophocles;  
 Ovidius aliique volunt; vel Trojanis captivis, ut Homēro  
 placet.

v. 1137. Phryxus et Helle patrem Athamanta et Ino nover-  
 cām fugientes, ariete aurei velleris conscenso, pontum trans-  
 fretari adgressi sunt; quod Phryxo quidem feliciter cecidit,  
 Helle vero delapsa et submersa nomen ponto fecit.

v. 1141. Deucalion et Pyrrhæ non conquerebantur malum  
 late patens.

## A C T U S V.

Scena eadem, quae actus I, et IV.

*Nuntius. Andromache. Hecuba. Nuntius alius.*

Nuntius matribus narrat, ut e turri praecipitatus fuerit Astyanax,  
et Polyxena ad Achillis tumulum caesa.

*Nuntius.* O dira fata, saeva, miseranda, horrida!  
Quod tam ferum, tam triste bis quinis scelus  
1160 Mars vidit annis? quid prius referens gemam?  
(ad Andromacham) Tuosne potius (ad Hecubam) an tuos  
luctus, anus?

*Hecuba.* Quoscumque luctus fleveris, flebis meos.  
Sua quemque tantum: me omnium clades premit.  
Mihi cuncta pereunt: quisquis est, Hecubae est, miser.  
1165 *Nunt.* Mactata virgo est: missus e muris puer.  
Sed uterque lethum mente generosa tulit.

*Androm.* Expone seriem caedis, et duplex nefas!  
Prosequere; gaudet magnus aerumnas dolor  
Tractare totas. Ede et enarra omnia.

1170 *Nunt.* Est una magna turris e Troja super,  
Adsueta Priamo, cujus e fastigio  
Summisque pinis, arbiter belli sedens,  
Regebat acies. Turre in blando sinu  
Fovens nepotem, quum metu versos gravi

1175 Danaos fugaret Hector et ferro et face,  
Paterna puero bella monstrabat senex.  
Haec nota quondam turris, et muri decus,  
Nunc saeva cautes, undique adfusa ducum  
Plebisque turba cingitur. Totum coit

1180 Ratibus relictis vulgus. His collis procul  
Aciam patens liberam praebet loco;  
His alta rupes, cujus e cacumine  
Erecta summos turba libravit pedes.  
Hunc pinus, illum laurus, hunc fagus gerit,

1185 Et tota populo silva suspenso tremit,  
Extrema montis ille praerupti petit,  
Semiusta at ille tecta, vel saxum imminens  
Muri cadentis pressit; atque aliquis (nefas!)  
Tumulo ferus spectator Hectoreo sedet.

1190 Per spatia late plena sublimi gradu  
Incedit Ithacus, parvulum dextra trahens  
Priami nepotem: nec gradu segni puer

- Ad alta pergit moenia. Ut summa stetit  
 Pro turre, vultus huc et huc acres tulit, 1195  
 Intrepidus animo. Qualis ingentis ferae  
 Parvus tenerque fetus, et nondum potens  
 Saevire dente, jam tamen tollit minas,  
 Morsusque inanes tentat, atque animis tumet:  
 Sic ille, dextra pressus hostili puer 1000  
 Ferox, superne moverat vulgum ac duces,  
 Ipsumque Ulyxen. Non flet e turba omnium,  
 Qui fletur. Ac tum verba fatidici et preces  
 Concipit Ulyxes vatis, et saevos ciet  
 Ad sacra superos, sponte desiluit sua 1205  
 In media Priami regna.
- Androm.* Quis Colchus hoc, quis sedis incertae Scytha  
 Commisit? aut quae, Caspium tangens mare,  
 Gens juris expers ausa? Non Busiridis  
 Puerilis aras sanguis adpersi feri: 1210  
 Nec parva gregibus membra Diomedes suis  
 Epulanda posuit. — Quis tuos artus teget  
 Tumuloque tradet. *Nunt.* Quos enim praeceps locus  
 Reliquit artus? Ossa disjecta et gravi  
 Elisa casa; signa clari corporis, 1215  
 Et ora, et illas nobiles patris notas  
 Confudit imam pondus ad terram datum.  
 Soluta cervix; silicis impulsu caput  
 Raptum, cerebro penitus expresso: jacet  
 Deforme corpus. *Androm.* Sic quoque est similis patri! 1220  
*Nunt.* Praeceptus ut alius cecidit e muris puer,  
 Flevitque Achivum turba, quod fecit, nefas;  
 Idem ille populus aliud ad facinus redit,  
 Tumulumque Achillis. Hujus extremum latus  
 Rhoetea leni verberant fluctu vada. 1225  
 Adversa cingit campus, et clivo levi  
 Erecta medium vallis includens locum  
 Crescit theatri more. Concursus frequens  
 Implevit omne litus. Hi classis moras 1230  
 Hac morte solvi rentur: hi stirpem hostium  
 Gaudent recidi: magna pars vulgi levis  
 Odit scelus spectatque. Nec Troës minus  
 Suum frequentant funus, et pavidi metu  
 Partem ruentis ultimam Trojae vident:  
 Quum subito thalami more praecedunt faces, 1235  
 It pronuba illa Tyndaris moestum caput  
 Demissa. *Tali nubat Hermione modo,*

- Phryges precantur; sic viro turpis suo  
 Reddatur Helene. Terror attonitos tenet  
 1240 Utrosque populos. Ipsa dejectos gerit  
 Vultus pudore; sed tamen fulgent genae,  
 Magisque solito splendet extremus decor;  
 Ut esse Phoebi dulcius lumen solet  
 Jam jam cadentis, astra quum repetunt vices,  
 1245 Premiturque dubius nocte vicina dies.  
 Stupet omne vulgus: (et fere cuncti magis  
 Peritura laudant;) hos movet formae decus,  
 Hos mollis aetas: hos vagae rerum vices:  
 Movet animus omnes fortis et letho obvius,  
 1250 Pyrrhum antecedit. Omnium mentes tremunt:  
 Mirantur ac miserantur. Ut primum ardui  
 Sublime montis tetigit, atque alte edito  
 Juvenis paterni vertice in busti stetit;  
 Audax virago non tulit retro gradum;  
 1255 Conversa ad ictum stat truci vultu ferox.  
 Tam fortis animus omnium mentes ferit:  
 Novumque monstrum est, Pyrrhus ad caedem piger.  
 Ut dextra ferum penitus exacta abdidit,  
 Subitus recepta morte prorupit cruor  
 1260 Per vulnus ingens; nec tamen moriens adhuc  
 Deponit animos: cecidit, ut Achilli gravem  
 Factura terram, prona et irato impetu.  
 Uterque flevit coetus: at timidum Phryges  
 Misere gemitum; clarius victor gemit.  
 1265 Hic ordo sacri. Non stetit fusus cruor,  
 Humove summa fluxit: obduxit statim,  
 Saevusque totum sanguinem tumulus bibit,  
*Hecuba.* Itē, itē, Danai; petite jam tuti domos;  
 Optata velis maria diffusis secet  
 1270 Secura classis. Concidit virgo ac puer:  
 Bellum peractum est. — Quo meas lacrimas feram?  
 Ubi hanc anilis exspuam lethi moram?  
 Natam, an nepotem, conjugem an patriam fleam?  
 An omnia? an me? Sola mors votum meum,  
 1275 Infantibus violenta, virginibus venis:  
 Ubicumque properas, saeva: me solam times  
 Vitasque! gladios inter ac tela et faces  
 Quaesita tota nocte, cupientem fugis.  
 Non hostis, aut ruina, non ignis meos  
 1280 Absumsit artus: quam prope a Priamo steti?

*Nunt. classis.* Repetite celeri maria captivae, gradu.  
Jam vela puppis laxat, et clasis movet.

- v. 1168. *Animus meus*, sc. induratus jam, malisque insensatus.
- v. 1170. Superest e Troia turris una portae Scaevae, quod ad sinistram esset, dictae, e qua Priamus proelia et exercitus spectabat.
- v. 1196. *Ingentis ferae* i. e. leonis catulus.
- v. 1207. et sqq. *Quis Colchus, col.* Quis immanissimus e Cholchis, Medeae crudelitate famosis. *Gens Caspium mare tangens*, i. e. Hyrcani, barbari et crudeles. *Busiris*, hospites immolare solitus erat. *Diomedes*, rex Thraciae, equos suos humanis, non tamen puerorum, carnibus pavit.
- v. 1120. *Sic quoque est similis patri*, sc. Hectori, quem laerum raptarat bigis Achilles.
- v. 1237. *Hermione*, Menelai et Helenae filia postea a Pyrrho rapta, verum ab Oreste, cui prius desponsata fuerat, reperta, occiso Pyrrho.
- v. 1256. *Fortis Polyxena animus omnium mentes ferit*, dolore, stupore, commiseratione.
- v. 1261. *Gravem terram factura*; nam cui male volebant, terram gravem et tumulum onerosum precabantur veteres; ut animus, quem una cum corpore condi sepulcro opinabantur, depressus, tarde aut aegre ad beatorum sedes devoleret: contra vero, cui bene volebant: tenuem et sine pondere terram precabantur, levem caespitem aut cippum, ut molliter ossa cubarent, Et forsitan propterea illos, quos repererant insepultos, non lapidibus aut lignis contegebant: sed Gracci quidem ter injiciebant pulverem, romani vero levem terrae glebam.
- v. 1282. *Classis movet*, sc. se, seu movetur, Hellenismus.

## B. Comoedia.

M. Accil

P l a u t i

Capteivi.

## Dramatis Personae.

Ergasilus, parasitus.	Aristophanes.
Hegio, senex.	Puer Hegionis.
Lorarius.	Philopolemus.
Philocrates)	Stalagmus.
Tyndarus ) Captivi.	Grex.

## A r g u m e n t u m.

*F*abulae huic nomen *Captivi Duo*. Inter *Plautinas* omnes haec argumento et expositione optima est et elegantissima. Ipse etiam poeta hanc commendat, ut pudice scriptam. Multaeque bonae sententiae in hac insunt, et eximiae fidei exemplum servi erga horilem filium. Quum enim bellum esset inter *Aetolos* et *Elienses*, capitur *Philopolemus*. Hunc *Hegio* una cum servo *Tyndaro* emit, quod speraret, posse aliqua permutatione captivorum recuperare se filium suum. Sed inter dominum et servum convenit, ut servus se dominum esse simularet. Ita dimissus, aestimatus *Philocrates* ut servus, rediit in patriam. Fraude detecta per alterum captivum *Aristophanem*, vehementissime irascitur senex, et *Tyndarum* compeditum in lapicidinas conjicit. Hic erat filius ipsius, furto surreptus aetate puerili a servo. Interea revertitur *Philocrates*, et adducit filium *Hegionis*, et servum etiam illum furem. Itaque agnitus *Tyndarus* in libertatem et familiam suam restituitur. Argumentum ita est sumtum, quasi res geratur in *Aetolia*.

## P r o l o g u s.

Hos quos videtis stare hic captivos duos, illi qui adstant, hi stant ambo, non sedent. Vos, vos mihi testes estis, me verum loqui. Senex qui hic habitat, *Hegio* est hujus pater. Sed is quo pacto serviat suo

sibi patri, id ego hic apud vos proloquar, si operam datis. Seni huic fuerunt filii nati duo, alterum quadrimum puerum servus surpuit, eumque hinc profugiens vendidit in Alide patri hujusce. Jam hoc tenetis? Optimum est. Negat, hercle, ille ultimus; accedito! Si non, ubi sedeas, locus est, est ubi ambules, quando histrionem cogis mendicariet. Ego me tua causa, ne erres, non rupturus sum. Vos qui potestis ope vestra 1) censeriet: accipite reliquom: alieno uti 2) nihil moror. Fugitivus ille, ut dixeram ante, hujus patri, domo quem profugiens dominum abstulerat, vendidit. Hic postquam hunc emit, dedit eum huic gnato suo peculiarem, quia quasi una aetas erat. Hic nunc domi servit suo patri, nec scit pater. Rationem habetis, quomodo unum amiserit. Postquam belligerant Aetoli cum Aliis, ut fit in bello, capitur alter filius. Medicus Menarchus emit ibidem in Alide. Coepit captivos commercari hic Alios, si quem reperire posset, cum quo mutet suum illum captivum; hunc suum esse nescit, qui domi est. Et quoniam heri inde audivit, de summo loco summoque genere captum esse equitem Aleum, nihil pretio parsit, filio dum parceret: reconciliare ut facilius posset domum, emit hosce de praeda ambos de Quaestoribus. Hic autem inter sese hunc confinxerunt dolum, quo pacto hic servus suum herum hinc amittat domum. Itaque inter se commutant vestem et nomina; illic vocatur Philocrates, hic Tyndarus. Hujus illic, hic illius hodie fert imaginem. Et hic hodie expedit hanc docte fallaciam; et suum herum faciet libertatis compotem. Eodemque pacto fratrem servabit suum; reducemque faciet liberum in patriam ad patrem; imprudens: itidem ut saepe jam in multis locis plus insciens quis fecit, quam prudens boni. Sed inscientes sua sibi fallacia ita compararunt et confinxerunt dolum: itaque hi commenti de sua sententia ut in servitute hic ad suum maneat patrem. Ita nunc ignorans suo sibi servit patri. Homunculi quanti sunt, quum recogito! Haec res agetur nobis, vobis fabula. Sed etiam est, paucis vos quod monitos voluerim. Profecto expedit, fabulae huic operam dare. Non pertractate facta est, neque item ut ceterae: neque spurcidi insunt versus immemorabiles. Hic, neque perjurus leno est, nec meretrix mala, neque miles

gloriosus. Ne vereamini, quia bellum Aetolis esse dixi cum Aliis; foris illic extra scenam fient proelia. Nam hoc paene iniquum est comico choragio, conari de subito nos agere tragoediam. Proin si quis pugnam exspectat, lites contrahat: valentiosem nactus adversarium si erit, ego faciam ut pugnam inspectet non bonam: adeo ut spectare postea omneis oderit. Abeo. Valete, iudices justissimi, domi, bellique duellatores optimi.

Actus I. Scena 1.

*Ergasilus.*

**J**uventus nomen indidit scorto mihi, eo quia invocatus soleo esse in convivio. Scio absurde dictum hoc derisores dicere, at ego ajo recte; nam in convivio sibi amator, talos cum jacit, scortum invocat. Estne invocatum, an non? est planissime. Verum, hercle, verum nos parasiti planius 3); quos numquam quisquam neque vocat, neque invocat: quasi mures semper edimus alienum cibum. Ubi res prolatae sunt, quum rus homines eunt, simul prolatae res sunt nostris dentibus. Quasi quum caletur, cochleae in occulto latent; suo sibi succo vivunt, ros si non cadit: item parasiti rebus prolatis latent in occulto, miseri victitant succo suo, dum ruri rurant homines, quos liguriant. Prolatis rebus parasiti venatici sumus: quando res redierunt, molossici odiosicique et multum incommodistici. Et hic quidem, hercle; nisi qui colaphos perpeti potis parasitus, frangique aulas in caput, vel ire extra portam trigeminam 4) ad saccum licet. Quod mihi ne eveniat, nonnullum periculum est. Nam postquam meus rex est potitus hostium, ita nunc belligerant Aetoli cum Aliis. Nam Aetolia haec est; illic captus est in Alide Philopolemus hujus Hegionis filius senis, qui hic habitat: quae aedes lamentariae mihi sunt: quas quotiescumque conspicio, fleo. Nunc hic occoepit quaestum hunc filii gratia inhonestum, maxime alienum ingenio suo. Homines captivos commercatur, si queat aliquem invenire, suum quicum mutet filium. Nunc ad eum pergam: sed aperitur ostium, unde saturitate saepe ego exii ebrius.

## Actus I. Scena 2.

*Hegio, Lorarius, Ergasilus.*

**A**dvorte animum sis tu: istos captivos duos, heri quos emi de praeda, de Quaestoribus, his indito catenas singularias; istas majores, quibus sunt vincti, demito, sinito ambulare, si foris, si intus volent; sed uti adserventur magna diligentia. Liber captivus avis ferae consimilis est; semel fugiendi si data est occasio, satis est, nunquam post illam possis prendere.

*Lor.* Omnes profecto liberi lubentius sumus, quam servimus.

*Heg.* Non videre ita tu quidem.

*Lor.* Si non est quod dem, mene vis dem ipse in pedes?

*Heg.* Si dederis erit extemplo mihi, quod dem tibi.

*Lor.* Avis me ferae consimilem faciam, ut praedicas.

*Heg.* Ita tu dicis; nam si faxis, te in caveam dabo. Sed satis verborum est; cura quae jussi, atque abi.

*Erg.* Quod ego quidem nimis, quam cupio, ut impetret: nam ni illum recipit, nihil est, quo me recipiam. Nulla juventutis est spes: sese omnes amant. Ille demum antiquis est adolescens moribus: cujus nunquam voltum tranquillavi gratiis. Condigne est pater ejus moratus moribus.

*Heg.* Ego ibo ad fratrem, ad alios captivos meos: visam, ne nocte hac quidpiam turbaverint. Inde me continuo recipiam rursus domum.

*Erg.* Aegre est mihi, hunc facere quaestum carcerarium, propter sui gnati miseriam, miserum senem. Sed si ullo pacto ille huc conciliari potest, vel carnificinam hunc facere possum perpeti.

*Heg.* Quis hic loquitur?

*Erg.* Ego, qui tuo moerore maceror, macesco, consenesco, et tabesco miser. Ossa atque pellis sum misera, macritudine. Neque umquam quidquam me juvat, quod edo domi: foris aliquantillum etiam, quod gusto, id beat.

*Heg.* Ergasile, salve.

*Erg.* Di te bene ament, Hegio,

*Heg.* Ne fle.

*Erg.* Egone illum non fleam? egone non defleam talem adolescentem?

*Heg.* Semper sensi, filio meo te esse amicum, et illum intellexi tibi.

*Erg.* Tum denique homines nostra intelligimus bona, quum quae in potestate habuimus, ea amisimus. Ego, postquam gnatus tuus potitu'st hostium, expertus, quanti fuerit, nunc desidero.

*Heg.* Alienus quum ejus incommodum tam aegre feras, quid me patrem par facere est, cui ille est unicus?

*Erg.* Alienus ego? alienus ille? ha, Hegio! Numquam istuc dixis, neque animum induxis tuum. Tibi ille unicu'st, mihi etiam unico magis unicus.

*Heg.* Laudo, malum quom amici tuum ducis malum. Nunc habe bonum animum.

*Erg.* Eheu!

*Heg.* Huic illud dolet, quia nunc remissus est edendi exercitus. Nullumne interea nactus, qui posset tibi remissum, quem dixti, imperare 5) exercitum?

*Erg.* Quid credis? fugitant omnes hanc provinciam, quoi obtigerat, postquam captu'st Philopolemus tuus.

*Heg.* Non pol mirandum est, fugitare hanc provinciam. Multis et multigeneribus opus est tibi militibus. Primum dum opus est Pistoriensibus: eorum sunt genera aliquot Pistoriensium. Opus Paniceis, opus Placentinis quoque, opus Turdetanis, opus est Ficedulensibus: jam maritimi omnes milites opus sunt tibi.

*Erg.* Ut saepe summa ingenia in occulto latent! Hic qualis imperator nunc privatus est!

*Heg.* Habe modo bonum animum; nam illum confido domum in his diebus me reconciliassere. Nam eum hic captivum adolescentem Alium, prognatum genere summo, et summis divitiis: hoc, illum me mutare, confido fore.

*Erg.* Ita di deaeque faxint.

*Heg.* Sed num quo foras vocatu's ad coenam?

*Erg.* Nusquam, quod sciam. Sed quid tu id quaeris?

*Heg.* Quia mihi est natalis dies; propterea te vocari ad coenam volo.

*Erg.* Facete dictum.

*Heg.* Sed si pauxillum potes contentus esse.

*Erg.* Nae perpauillum modo; nam istoc me adsi-  
duo victu delecto domi.

*Heg.* Age sis rogo.

*Erg.* Emtum 6), nisi qui meliorem adferet, quae  
mihi atque amicis placeat conditio magis: quasi fun-  
dum vendam, meis me addicam 7) legibus.

*Heg.* Profundum vendis, tu quidem, haud fundum  
mihi: sed si venturus, tempori.

*Erg.* Hem! vel jam otium est.

*Heg.* I modo, venare leporem: nunc enim tenes.  
Nam meus scruposam victus commeat viam.

*Erg.* Numquam istoc vinces me, Hegio; ne postu-  
les: cum calceatis dentibus veniam tamen.

*Heg.* Asper meus victus sane est.

*Erg.* Sentisne esitas?

*Heg.* Terrestris coena est.

*Erg.* Sus, terrestris bestia est.

*Heg.* Multis oleribus.

*Erg.* Curato aegrotos domi 8). Numquid vis?

*Heg.* Venias tempori.

*Erg.* Memorem mones.

*Heg.* Ibo intro, atque intus subducam ratiuncu-  
lam, quantillum argenti mihi apud trapezitam siet.  
Ad fratrem, quo ire dixeram, mox ivero.

## Actus II. Scene 1.

*Lorarius, Philocrates, Tyndarus.*

**S**i dii immortales id voluere, vos hanc aerumnam  
exsequi, decet id pati animo aequo: si id facietis,  
levior labos erit. Domi fuistis, credo, liberi, nunc  
servitus si evenit, ei vos morigerari mos bonu'st,  
eamque herili imperio ingeniis vestris lenem reddere.  
Indigna digna habenda sunt, herus quae facit.

*Ph.* Oh oh oh!

*Lor.* Ejulatione haud opus est: oculis multam mi-  
seriam additis. In re mala animo si bono utare, adjuvat.

*Ph.* At nos pudet, quia cum catenis sumus.

*Lor.* At pigeat postea nostrum herum, si vos exi-  
mat vinculis, aut solutos sinat, quos argento emerit.

*Ph.* Quid a nobis metuit? Scimus nos nostrum  
officium quod est, si solutos sinat.

*Lor.* At fugam fingitis; sentio quam rem agitis.

*Ph.* Nos fugiamus? quo fugiamus?

*Lor.* In patriam.

*Ph.* Apage: haud nos id deceat fugitivos imitari.

*Lor.* Imo edepol, si erit occasio, haud dehortor.

*Ph.* Unum exorare vos sinite nos.

*Lor.* Quidnam id est?

*Ph.* Ut sine his arbitris atque vobis, nobis detis locum loquendi.

*Lor.* Fiat; abscedite hinc: nos concedamus huc; sed brevem orationem incipesse.

*Ph.* Hem! istuc mihi certum erat; concede huc.

*Lor.* Abite ab istis.

*Tynd.* Obnoxii ambo vobis sumus propter hanc rem; quum, quae volumus nos, copia est: ea facitis nos competes.

*Ph.* Secede huc nunc jam, si videtur, procul, ne arbitri dicta nostra arbitrari queant; neve permanet palam haec nostra fallacia. Nam doli non doli sunt, nisi astu colas, sed malum maximum, si id palam provenit. Nam si herus mihi es tu, atque ego me tuum esse servum adsimulo, tamen viso opus't, cauto est opus, ut hoc sobrie, sineque arbitris adcurate hoc agatur, docte et diligenter. Tanta incepta res est: haud somnicolose hoc agendum est.

*Tynd.* Ero, ut me voles esse.

*Ph.* Spero.

*Tynd.* Nam tu nunc vides pro quo caro capite carum offerre meum caput vilitati.

*Ph.* Scio.

*Tynd.* At scire memento, quando id, quod voles, habebis. Nam fere maxima pars morem hunc homines habent: quod sibi volunt, tum id impetrant, boni sunt, sed id ubi jam penes sese habent, ex bonis presumi et fraudulentissimi sunt: nunc ut te mihi volo esse, esse autumo. Quod tibi suadeam, suadeam meo patri.

*Ph.* Pol ego te, si audeam, meum patrem nominem: nam secundum patrem tu es pater proximus.

*Tynd.* Audio.

*Ph.* Et propterea saepius te, ut memineris, moneo. Non ego herus tibi, sed servus sum; nunc obsecro te hoc unum, quoniam nobis di immortales animum ostenderunt suum, ut qui herum me tibi fuisse, atque

esse nunc conservum velint; quod antehac pro jure imperitabam meo, nunc te oro per precem, per fortunam incertam, et per mei te erga bonitatem patris, perque conservitium commune, quod hostica evenit manu, ne me secus honore honestes, quam ego te, quum servibas mihi, atque ut qui fueris, et qui nunc sis, meminisse ut memineris.

*Tynd.* Scio quidem me te esse nunc, et te esse me.

*Ph.* Hem! istuc si potes memoriter meminisse, inest spes nobis in hac astutia.

## Actus II. Scena 2.

*Hegio. Philocrates, Tyndarus.*

*Heg.* Jam ego revertar intro, si ex his, quae volo, exquisivero. Ubi sunt isti, quos ante aedis jussi huc prodici foras?

*Ph.* Edepol tibi ne quaestioni essemus, cautum intelligo; ita vinclis custodiisque circummoeniti sumus.

*Heg.* Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, quum etiam cavet. Etiam quum cavisse ratus est, saepe is cautor captus est. An vero, non justa causa est, ut vos servem sedulo, quos tam grandi simi mercatus praesenti pecunia?

*Ph.* Neque pol tibi nos, quia nos servas, aequom est vitio vortere: neque te nobis, si abeamus hinc, si fuat occasio.

*Heg.* Ut vos hic, itidem illic, apud vos meus servatur filius.

*Ph.* Captus est?

*Heg.* Ita.

*Ph.* Non igitur nos soli ignavi fuimus.

*Heg.* Secede huc; nam sunt, ex te quae solo scitari volo; quarum rerum te falsiloquum mihi esse nolo.

*Ph.* Non ero, quod sciam; si quid nescivi id nescium tradam tibi.

*Tynd.* Nunc senex est in tonstrina: nunc jam cultros adtinet. Ne id quidem involucre injicere voluit, vestem ut ne inquinat. Sed utrum, strictimne adton-

surum dicam esse, an per pectinem, nescio: verum si frugi est, usque admutilabit probe.

*Heg.* Quid tu? servusne esse, an liber mavelis? memora mihi.

*Ph.* Proximum quod sit bono, quodque a malo longissime, id volo; quamquam non multum fuit molesta servitus: nec mi secus erat, quam si essem familiaris filius.

*Tynd.* Eugepae! Thalem talento non emam Milesium. Nam ad sapientiam hujus nimius nugator fuit. Ut facete orationem ad servitutem contulit!

*Heg.* Quo de genere natu'st illic Philocrates?

*Ph.* Polyplusio; quod genus illic est unum pollens atque honoratissimum.

*Heg.* Quid ipse hic? quo honore est illic?

*Ph.* Summo, atque ab summis viris.

*Heg.* Tum igitur ei, quum in Aleis tanta gratia est, ut praedicas, quid divitiae, suntne opimae?

*Ph.* Unde excoquat sevm senex.

*Heg.* Quid pater? vivitne?

*Ph.* Vivum, quum inde abiimus, liquimus. Nunc vivat, nec ne, id Orcum scire oportet scilicet.

*Tynd.* Salva res est; philosophatur quoque jam non mendax modo est.

*Heg.* Quod erat ei nomen?

*Ph.* Thesaurochrysonicochrysidis.

*Heg.* Videlicet propter divitias inditum id nomen quasi est.

*Ph.* Imo edepol propter avaritiam ipsius, atque audaciam. Nam ille quidem Theodoromedes fuit germano nomine.

*Heg.* Quid tu ais? tenaxne pater ejus est?

*Ph.* Imo edepol pertinax. Quin etiam ut magis noscas: Genio suo ubi quando sacrificat, ad rem divinam, quibus est opus, Samiis vasis utitur, ne ipse Genius surripiat: proinde, aliis ut credat vide.

*Heg.* Sequere hac me igitur: eadem ego ex hoc, quae volo, exquaesivero. Philocrates hic fecit, hominem frugi ut facere oportuit. Nam ego ex hoc, quo genere gnatus sis, scio: hic fassu'st mihi; haec tu eadem si confiteri vis, tua re feceris: quae tamen scito scire me ex hoc.

*Tynd.* Fecit officium hic suum, quum tibi est confessus verum; quamquam volui sedulo meam nobili

tatem occultare, et genus, et divitias meas, Hegio; nunc quando patriam et libertatem perdidisti, non ego istunc me potius, quam te metuere, aequum censeo. Vis hostilis cum istoc fecit meas opes aequabiles. Memini, quum dicto haud audebat; factio nunc laedat licet. Sed viden? Fortuna humana fingit a c atque, ut lubet: me, qui liber fueram, servum fecit: e summo infimum. Qui imperare insueveram, nunc alterius imperio obsequor. Et quidem, si proinde ut ipse fui, imperator familiae, habeam dominum, non verear, ne injuste aut graviter mihi imperet. Hegio hoc te monitum, nisi forte ipse non vis, volueram.

*Heg.* Loquere audacter.

*Tynd.* Tam ego fui ante liber, quam gnatus tuus: tam mihi, quam illi libertatem hostilis eripuit manus: tam ille apud nos servit, quam ego nunc hic apud te servio: est profecto Deus, qui, quae nos gerimus auditque et videt: is, uti tu me hic habueris, proinde illum illic curaverit. Bene merenti bene profuerit, male merenti par erit. Quam tu filium tuum, tam pater me meus desiderat.

*Heg.* Memini ego istoc; sed faterin' eadem, quae hic fassus est mihi?

*Tynd.* Ego patri meo esse fateor summas divitias domi, meque summo genere gnatum; sed te obtestor, Hegio, ne tuum animum avariorem faxint divitiae meae: ne patri, tametsi unicus sum, decere videatur magis, me saturum servire apud te sumptu et vestitu tuo, potius quam illi, ubi minime honestum est, mendicantem vivere.

*Heg.* Ego virtute deum et majorum nostrum dives sum satis. Non ego omnino lucrum omne esse utile homini existimo: scio ego; multos jam lucrum luculentos homines reddidit; est etiam, ubi profecto damnum praestet facere, quam lucrum. Odi ego aurum: multa multis saepe suasit perperam. Nunc hoc animum advortito, ut ea, quae sentio, pariter scias. Filius meus illic apud vos servit captus Alide; eum si reddis mihi, praeterea unum nummum ne dais: et te et hunc amittam hinc; alio pacto abire non potes.

*Tynd.* Optimum atque aequissimum oras, optimusque hominum homo es. Sed is privatam servitatem servit illi, an publicam?

*Heg.* Privatam medici Menarchi.

*Ph.* Pol hinc quidem hujus est cliens. Tam hoc quidem tibi in proclivi, quam imber est, quando pluit.

*Heg.* Fac is homo ut redimatur.

*Tynd.* Faciam; sed te id oro, Hegio.

*Heg.* Quidvis, dum ab re ne quid ores, faciam.

*Tynd.* Ausculta, dum scies. Ego me amitti, donicum ille huc redierit, non postulo. Verum, te quaeso, ut aestimatum hunc mihi des, quem mittam ad patrem; ut is homo redimatur illi.

*Heg.* Imo alium potius misero hinc, ubi erunt induciae, illum tuum qui conveniat patrem: qui tua, quae tu miseris mandata, ita, ut velis, perferat.

*Tynd.* At nihil est, ignotum ad illum mittere: operam luseris. Hunc mitte, hic omne transactum reddet, si illuc venerit; ne quemquam fidiorem, neque cui plus credat, potes mittere ad eum, nec qui magis sit servus ex sententia: neque adeo, quoi tuum concedat filium hodie audacius. Ne vereare, meo periculo hujus ego experiar fidem, fretus ingenio ejus, quod me esse scit erga se benevolum.

*Heg.* Mittam equidem istunc aestimatum tua fide, si vis.

*Tynd.* Volo; quam citissime potest, tam hoc cedere ad factum volo.

*Heg.* Num quae causa est, quin si ille huc non redeat, viginti minas mihi des pro illo?

*Tynd.* Optima imo.

*Heg.* Solvite istum nunc jam, atque utrumque.

*Tynd.* Di tibi omnes omnia optata adferant, quum me tanto honore honestas, quumque ex vinculis eximis. Hoc quidem haud molestum est jam, quod collus collaria caret.

*Heg.* Quod bonis benefit beneficium, gratia ea grava est bonis. Nunc tu illum si illo es missurus, dice demonstra, praecipe, quae ad patrem vis nuntiari: vin' vocem huc ad te?

*Tynd.* Voca.

*Heg.* Quae res bene vortat mihi, meoque filio; vobisque: vult te novus herus operam dare tuo veteri domino, quod is velit, fideliter. Nam ego te, aestimatum huic dedi viginti minis; hic autem te, ait, mittere hinc velle ad patrem, meum ut illic redimat filium: mutatio inter me atque illum ut nostris fiat filiis.

*Ph.* Utroque vorsum rectum est ingenium meum, ad te, adque illum; pro rota me uti licet. Vel ego huc vel illuc vortar: quo imperabitis.

*Heg.* Tute tibi ex tuopte ingenio prodes plurimum, quum servitatem ita fers, ut ferri decet. Sequere. Hem tibi hominem.

*Tynd.* Gratiam habeo tibi, quom copiam istam mihi et potestatem facis: ut ego ad parentes hunc remittam nuntium, qui me quid rerum hic agitem, et quid fieri velim, patri meo ordine omnem rem illuc perferat. Nunc ita convenit inter me atque hunc, Tyndare, ut te aestimatum in Alidem mittam ad patrem. Si non rebitas huc, ut viginti minas dem pro te.

*Ph.* Recte convenisse sentio. Nam pater exspectat aut me, aut aliquem nuntium, qui hinc ad se veniat.

*Tynd.* Ergo animum advortas volo, quae nuntiare hinc te volo in patriam ad patrem.

*Ph.* Philocrates, ut adhuc locorum feci, faciam sedulo, ut potissimum, quod in rem recte conducatur, id id petam, id persequarque corde et animo atque viribus.

*Tynd.* Facis ita, ut te facere oportet, nunc animum advortas volo. Omnium primum salutem dicito matri et patri, et cognatis, et si quem alium benevolentem videris: me hic valere et servitatem servire huic homini optumo, qui me honore honestiorem semper fecit, et facit.

*Ph.* Istuc ne praecipias: facile memoria meminere tamen.

*Tynd.* Nam equidem, nisi quod custodem habeo, liberum me esse arbitror. Dicito patri, quo pacto mihi cum hoc convenerit de hujus filio.

*Ph.* Quae meminere, mora mera est monerier.

*Tynd.* Ut eum redimat, et remittat nostrum huc amborum vicem.

*Ph.* Meminero.

*Heg.* At quamprimum poteris: istuc in rem utriusque est maxime.

*Ph.* Non tuum tu magis videre, quam ille suum gnatum cupit.

*Heg.* Meus mihi, suus cuique est carus.

*Ph.* Numquid aliud vis patri nuntiare?

*Tynd.* Me hic valere, et tute audacter dicito, Tyndare, inter nos fuisse ingenio haud discordabili: ne-

que te commeruisse culpam, neque me advorsatum tibi, beneque hero gessisse morem in tantis aerumnis tamen. Neque med' umquam deseruisse te, neque factis, neque fide, rebus in dubiis, egenis; haec pater quando sciet, Tyndare, ut fueris animatus erga suum gnatum atque se, numquam erit tam avarus, quin te gratus emittat manu: et mea opera, si hinc rebito, faciam ut faciat facilius. Nam tua opera et comitate et virtute et sapientia fecisti, ut redire liceat ad parentes denuo, quum apud hunc confessus es et genus et divitias meas. Quo pacto emisisti e vinclostuum herum, tua sapientia.

*Ph.* Feci ego ista, ut commemoras: et te meminisse id gratum est mihi. Merito tibi ea evenerunt a me; nam nunc, Philocrates, si ego item memorem, quae med' erga multa fecisti bene, nox diem adimat; nam si servus meus esses, nihilo secius mihi obsequiosus semper fuisti.

*Heg.* Di vostram fidem, hominum ingenium liberale! ut lacrimas excutiant mihi! Videas corde amare inter se: quantis laudibus suum herum servus collaudavit!

*Ph.* Istic pol haud me centesimam partem laudat, quam ipse meritus est, ut laudetur laudibus!

*Heg.* Ergo quum optume fecisti, nunc adest occasio benefacta cumulare, ut erga hunc rem geras fideliter.

*Ph.* Magis non factum possum velle, quam opera experiar persequi: id ut scias, Jovem supremum testem laudo, Hegio, me infidelem non futurum Philocrati.

*Heg.* Probus es homo.

*Ph.* Nec me secus umquam ei facturum quidquam, quam memet mihi.

*Tynd.* Istaec dicta te experiri et operis et factis volo. Et quo minus dixi, quam volui de te, animum advortas volo. Atque horum verborum causa caveto mihi iratus fuas. Sed te, quaeso, cogitato, hinc mea fide mitti domum te aestimatum: et meam esse vitam hic pro te positam pignori. Ne tu me ignores, quum ex templo meo e conspectu abscesseris. Quom me servum in servitute pro te hic reliqueris; tuque te pro libero esse ducas, pignus deseras: neque des operam, ut hujus reducem facias filium. Scito te hinc minis

viginti aestimatum mittier. Fac fidelis sis fideli: cave fidem fluxam geras. Nam pater, scio, faciet, quae illum facere oportet, omnia. Serva in perpetuum tibi amicum me, atque hunc inventum inveni. Haec per dexteram tuam, te dextera retinens manu, obsecro, infidelior mihi ne suas, quam ego sum tibi. Tu hoc age; tu mihi herus nunc es, tu patronus: tu pater; tibi commendo spes opesque meas.

*Ph.* Mandavisti satis. Satin' habes, mandata quae sunt, facta si refero?

*Tynd.* Satis.

*Ph.* Et tua hic ornatus reveniam ex sententia. Numquam aliud?

*Tynd.* Ut quamprimum possis, redeas.

*Ph.* Res monet.

*Heg.* Sequere me, viaticum ut dem hinc a trapezita tibi: eadem opera a praetore sumam syngraphum.

*Tynd.* Quem syngraphum?

*Heg.* Quem hic ferat secum ad legionem, hinc ire huic ut liceat domum. Tu intro abi.

*Tynd.* Bene ambulato.

*Ph.* Bene vale.

*Heg.* Edepol rem meam constabilivi, quum illos emi de praeda a quaestoribus. Expedivi ex servitute filium, si dis placet. At etiam dubitavi, hos homines emerem, an non emerem, diu. Servate istum sultis intus, servi: ne quoquam pedem efferat sine custode: ego adparebo domi. Ad fratrem modo capti vos alios invisio meos. Eadem percontabor, ecquis hunc adolescentem noverit. Sequere tu, te ut amitam, ei rei primum praevorti volo.

### Actus III. Scena 1.

*Ergasilus.*

Miser homo est, qui ipse sibi, quod edit, quaerit, et id aegre invenit: sed ille est miserior, qui et aegre quaerit, et nihil invenit: ille miserrimus est qui quum esse cupit, quod edit, non habet. Nam hercle, ego huic diei, si liceat, oculos effodiam libens; ita malignitate oneravit omnes mortales mihi. Neque jejuniosorem, neque magis effertum fame vidi, nec qui mi-

nus procedat, quidquid facere occoeperit. Itaque venter gutturque resident esuriales ferias. Illicet parasiticae arti maximam in malam crucem! Ita iuventus jam ridiculos inopesque ab se segregat. Nihil morantur jam Laconas imi subselii 9) viros, Plagipatidas: quibus sunt verba sine penu et pecunia. Eos requirunt, qui libenter quum ederint, reddant domi: ipsi obsonant, quae Parasitorum ante erat provincia. Ipsi de foro tam aperto capite 10) ad lenones eunt, quam in tribu aperto capite sontes condemnant reos. Neque ridiculos jam teruncii faciunt; sese omnes amant. Nam ut dudum hinc abii, accessi ad adolescentes in foro: Salvete, inquam: Quo imus una, inquam, ad prandium? atque illi tacent. Quis ait: huc? aut quis proficitur? inquam; quasi muti silent; neque me rident. Ubi coenamur? inquam; atque illi abnuunt. Dico unum ridiculum dictum de dictis melioribus, quibus solebam menstruales epulas ante adipiscier. Nemo ridet, scivi extemplo rem de compacto geri; ne canem quidem irritatam voluit quisquam imitari; saltem, si non adriderent, dentes ut restringerent. Abeo ab illis, postquam video me sic ludificarier; pergo ad alios: venio ad alios, deinde ad alios: una res. Omnes compacto rem agunt, quasi in velabro olearii 11). Nunc redeo inde, quoniam me ibi video ludificarier. Item alii parassiti frustra obambulabant in foro. Nunc barbarica lege 12) certum est jus meum omne persequi. Qui concilium iniere, quo nos victu et vita prohibeant, his diem dicam, irrogabo multam: ut mihi coenas decem meo arbitrato dent, quum cara annona sit; sic egero. Nunc ibo ad portum hinc; est illic mihi una spes coenatica: si ea decollabit, redibo huc ad senem, ad coenam asperam.

### Actus. III. Scena. 2.

*Hegio.*

Quid est suavius, quam bene rem gerere bono publico? sicut ego feci heri, quum emi hosce homines; ubi quisque vident, eunt obviam, gratulanturque eam rem; ita me miserum restitendo retinendoque lassum reddiderunt. Vix ex gratulando miser jam eminebam. Tandem abii ad praetorem: ibi vix requievi: rogo

syngraphum: datur mihi: illico dedi Tyndaro; ille abiit domum; inde illico revortor domum, postquam id actum est, eo: protinus ad fratrem inde abii, mei ubi sunt alii captivi. Rogo, Philocratem ex Alide equis omnium noverit? Tandem hic exclamat, eum sibi esse sodalem; dico esse eum apud me; hic extemplo orat obsecratque; eum sibi ut liceat videre; jussi illico hunc exsolvi; nunc tu sequere me, ut, quod me oravisti, impetres, eum hominem ut convenias.

## Actus III. Scena 3.

*Tyndarus*

**N**unc illud est, quum me fuisse, quam esse, nimio mavelim: nunc spes, opes, auxiliaque a me segregant, spernuntque se. Hic ille est dies, quum nulla vitæ meae salus sperabilis est: neque exsilium exitio est; neque adeo spes, quæ mihi hunc abspellat metum: nec mendaciis subdolis mihi usquam mantellum est meis: nec sycophantiis, nec fucis ullum mantellum obviam est. Neque deprecatio perfidiis meis, nec malefactis fuga est; nec confidentiæ usquam hospitium est, nec deverticulum dolis. Operta quæ fuere, aperta sunt: patent præstigiæ; omnis res palam est: neque de hac re negotium est, quin male occidam optetamque pestem, heri vicem meamque. Perdidit me Aristophontes hic, qui intro venit modo; is me novit: is sodalis Philocrati et cognatus est. Neque jam Salus servare, si volt, me potest: nec copia est; nisi si aliquam corde machinor astutiam. Quam? malum! quid machiner? quid comminiscar? maxumas nugas ineptiasque incipisso; haereo.

## Actus III. Scena 4.

*Hegio, Tyndarus, Aristophontes.*

*Heg.* Quo illum hunc hominem proripuisse foras se dicam ex aedibus?

*Tynd.* Nunc enim vero ego occidi: eunt ad te hostes, Tyndare. Quid loquar? quid fabulabor? quid negabo? aut quid fatebor? mihi res omnis in incerto

sita est; quid rebus confidam meis? Utinam te di prius perderent, quam periisti e patria tua, Aristophontes, qui ex parata re imparatam omnem facis. Occisa est haec res, nisi reperio atrocem mihi aliquam astutiam.

*Heg.* Sequere; hem tibi hominem; adi, atque adloquere.

*Tynd.* Quis homo est me hominum miserior?

*Arist.* Quid istuc est, quod meos te dicam fugitare oculos, Tyndare? proque ignoto me adspernari, quasi me numquam noveris? Equidem tam sum servus, quam tu; etsi ego domi liber fui, tu usque a puero servitutem servivisti in Alide.

*Heg.* Edepol minime miror, si te fugitat, aut oculos tuos, aut si te odit, qui istum adpelles Tyndarum pro Philocrate.

*Tynd.* Hegio, hic homo rabiosus habitus est in Alide. Ne tu, quod istic fabuletur, aures immittas tuas. Nam istic hastis insectatus est domi matrem et patrem. Et illic isti, qui sputatur, morbus 13) interdum venit. Proin' tu ab istoc procul recedas.

*Heg.* Ulro istum a me.

*Arist.* Ain', verbero, me rabiosum? atque insectatum esse hastis meum memoras patrem? et eum morbum mihi esse, ut qui me opus sit inasputarier?

*Heg.* Ne verere: multos iste morbus homines macterat, quibus inasputari saluti fuit.

*Tynd.* Atque Aliis profuit.

*Arist.* Quid tu autem, etiam huic credis?

*Heg.* Quid ego credam huic?

*Arist.* Insanum esse me.

*Tynd.* Viden' tu hunc, quam inimico voltu intuetur? concedi optimum est. Hegio, fit, quod tibi ego dixi: gliscit rabies; cave tibi.

*Heg.* Credidi esse insanum extemplo, ubi te adpellavit Tyndarum.

*Tynd.* Quin suum ipse interdum ignorat nomen, neque scit, qui siet.

*Heg.* At etiam te suum sodalem esse ajebat:

*Tynd.* Haud vidi magis; et quidem Alcmaeo, atque Orestes, et Lycurgus 14) postea una opera mihi sunt sodales, qua iste.

*Arist.* At etiam, furcifer, male mihi loqui audes? non ego te novi?

*Heg.* Pol planum id quidem est non novisse, qui

istunc adpelles Tyndarum pro Philocrate; quem vides, eum ignoras: illum nominas, quem non vides.

*Arist.* Imo iste eum sese ait, qui non est, esse: et qui vero est, negat.

*Tynd.* Tu enim repertus, Philocratem qui superes veriverbio.

*Arist.* Pol, ego ut rem video, tu inventus, vera vanitudine qui convincas; sed quaeso, hercle: agedum adspice ad me.

*Tynd.* Hem!

*Arist.* Dic modo, te negas Tyndarum esse?

*Tynd.* Nego, inquam;

*Arist.* Tun' te Philocratem esse ais?

*Tynd.* Ego, inquam.

*Arist.* Tupe huic credis?

*Heg.* Plus quidem, quam tibi, aut mihi. Nam ille quidem, quem tu hunc memoras esse: hodie hinc abiit Alidem ad patrem hujus.

*Arist.* Quem patrem, qui servus est?

*Tynd.* Et tu quidem servus et liber fuisti, et ego me confido fore, si hujus huc reconciliasso in libertatem filium.

*Arist.* Quid ais, furcifer? tun' te gnatum memoras liberum?

*Tynd.* Non equidem me liberum, sed Philocratem esse aio.

*Arist.* Quid est? ut scelestus, Hegio, nunc is te ludos facit! Nam is est servus ipse, neque praeter se umquam ei servus fuit.

*Tynd.* Quia tute ipse eges in patria, nec tibi, qui vivas, domi est. Omneis inveniri similes tibi vis. Non mirum facis. Est miserorum, ut malevolentes sint atque invadeant bonis.

*Arist.* Hegio, vide sis, ne quid tu huic temere insistas credere; atque, ut perspicio, profecto jam aliquid pugnae edidit. Filium tuum quod redimere se ait, id neutiquam mihi placet.

*Tynd.* Scio, te id nolle fieri: efficiam tamen ego id, si di adjuvant. Illum restituaui huic, hic autem in Alidem me meo patri; propterea ad patrem hinc amisi Tyndarum.

*Arist.* Quin tute is es: neque praeter te in Alide ullus servus istoc nomine est.

*Tynd.* Pergin' servom me exprobrare esse, id quod vi hostili obtigit?

*Arist.* Enimvero jam nequeo contineri.

*Tynd.* Heus, audin' quid ait? quin fugis? Jam illic hic nos insectabit lapidibus, nisi illum jubes comprehendere.

*Arist.* Crucior.

*Tynd.* Ardent oculi: fune opu'st, Hegio. Vident tu illi maculari corpus totum maculis luridis? atra bilis agitat hominem.

*Arist.* At pol te, si hic sapiat senex: atra pix agitet, apud carnificem, tuoque capiti illuceat.

*Tynd.* Jam deliramenta loquitur: larvae stimulant virum.

*Heg.* Quid? quid si hunc comprehendere jusserim?

*Tynd.* Sapias magis.

*Arist.* Crucior, lapidem non habere me, ut illi mastigiae cerebrum excutiam, qui me insanum verbis concinnat suis.

*Tynd.* Audin' lapidem quaeritare?

*Arist.* Solus te solum volo, Hegio.

*Heg.* Istinc loquere, si quid vis; procul tamen audiam.

*Tynd.* Namque edepol si ad bites propius, os denasabit tibi mordicus.

*Arist.* Neque pol me insanum, Hegio, esse creduis neque fuisse, umquam, neque esse morbum, quem istic autumat. Verum si quid metuis a me, jube me vinciri: volo, dum istic itidem vinciatur.

*Tynd.* Imo enim vero, Hegio, istic, qui volt, vinciatur.

*Arist.* Tace modo: ego te, Philocrates false, faciam, ut verus hodie reperiare Tyndarus. Quid mi abnutas?

*Tynd.* Tibi ego abnuto? *Arist.* Quid agat, si absis longius?

*Heg.* Quid ais? quid si adeam hunc insanum?

*Tynd.* Nugas ludificabitur; garruet, quod neque pes umquam, neque caput compareat. Armenta absunt; Ajacem, hunc quum vides, ipsum vides.

*Heg.* Nihili facio, tamen adibo.

*Tynd.* Nunc ego omnino occidi, nunc ego inter sacrum saxumque 15) sto; nec, quid faciam, scio.

*Heg.* Do tibi operam Aristophontes, si quid est, quod me velis.

*Arist.* Ex me audibis vera, quae nunc falsa opinare, Hegio. Sed hoc primum me expurgare tibi volo, me insaniam neque tenere, neque mi esse ullum morbum, nisi quod servio; at ita me rex deorum atque hominum faxit patriae compotem, ut istic Philocrates non magis est, quam aut ego, aut tu.

*Heg.* Eho! dic mihi, quis igitur ille est?

*Arist.* Quem dudum dixi a principio tibi. Hoc si secus reperies, nullam causam dico, quin mihi et parentum et libertatis apud te deliquio siet.

*Heg.* Quid tu ais?

*Tynd.* Me tuum esse servom, et te meum herum.

*Heg.* Haud istuc rogo; fuistin' liber?

*Tynd.* Fui.

*Arist.* Enim vero non fuit: nugas agit.

*Tynd.* Quid tu scis? an tu fortasse fuisti meae matri obstetrix, quid id tam audacter dicere audes?

*Arist.* Puerum te vidi puer.

*Tynd.* At ego te video major majorem; hem rursum tibi! Meam rem non cures, sic recte facias, num ego curo tuam?

*Heg.* Fuitne huic pater Thesaurochrysonicochry-sides?

*Arist.* Non fuit; neque ego istuc nomen unquam audiavi ante hunc diem. Philocrati Theodoromedes fuit pater.

*Tynd.* Pereo probe; quin quiescis directum cor meum! i, ac suspende te; tu subsultas, ego miser vix adsto prae formidine.

*Heg.* Satin' istuc mihi exquisitum est fuisse hunc servum in Alide? neque esse hunc Philocratem?

*Arist.* Tam satis, quam numquam hoc invenies secus. Sed, ubi is nunc est?

*Heg.* Ubi ego minime, atque ipse se volt maxime: Tum igitur ego deruncinatus, deartuatus sum miser hujus scelesti technis, qui me ut lubitum ductavit dolis. Sed vide sis.

*Arist.* Quin exploratum dico, et provisum hoc tibi.

*Heg.* Certon'?

*Arist.* Quin nihil, inquam, invenies magis hoc

certo certius. Philocrates jam inde usque amicus fuit mihi a puero puer.

*Heg.* Sed qua facie est tuus sodalis Philocrates?

*Arist.* Dicam tibi: macilento ore, naso acuto, corpore albo, et oculis nigris, subrufus aliquantum, crispus, cincinnatus.

*Heg.* Convenit.

*Tynd.* Ut quidem, hercle, in medium ego hodie pessume processerim. Vae illis virgis miseris, quae hodie in tergo morientur mea.

*Heg.* Verba mihi data esse video.

*Tynd.* Quid cessatis, compedes, currere ad me; meaque amplecti crura, ut vos custodiam?

*Heg.* Satin' me illi hodie scelesti capti ceperunt dolo? illic servum se-adsimulabat, hic sese autem liberum: nucleum amisi; reliquit pignori putamina. Ita mihi stolido sursum vorsum os sublevare officiiis. Hic quidem me numquam irridebit. Colaphe, Cordalio, Corax, ite istinc, atque efferte lora.

*Lor.* Num lignatum mittimur?

### Actus III. Scena 5.

*Hegio, Tyndarus, Aristophontes.*

*Heg.* **I**njicite huic manicas mastigiae.

*Tynd.* Quid hoc est negotii? quid ego deliqui?

*Heg.* Rogas? Sator sartorque scelerum, et messor maxume.

*Tynd.* Non occatorem dicere audebat prius? Nam semper occant prius, quam sarriunt rustici.

*Heg.* At ut confidenter mihi contra adstitit!

*Tynd.* Decet innocentem servom atque innoxium confidentem esse, suum apud herum potissimum.

*Heg.* Astringite isti, sultis, vehementer manus.

*Tynd.* Tuus sum, tuas quidem vel praecidi jube. Sed quid negotii est, quamobrem succenses mihi?

*Heg.* Quia me meamque rem, quod in te uno fuit, tuis scelestis falsidicis fallaciis delaceravisti, deartuavistique opes: confecisti omnes res ac rationes meas: ita mihi exemisti Philocratem fallaciis. Illum esse servom credidi, te liberum; ita vosmet ajebatis, itaque nomina inter vos permutastis.

*Tynd.* Fateor, omnia facta esse ita, ut tu dicis, et fallacis abiisse eum abs te, mea opera atque astutia: an, obsecro hercle te, id nunc succenses mihi?

*Heg.* At cum cruciatus maximo id factum est tuo.

*Tynd.* Dum ne ob malafacta peream, parvi aestimo. Si ergo hic peribo, ast ille, ut dixit, non redit: at erit mihi hoc factum mortuo memorabile; meum herum captum ex servitute, atque hostibus, reducem fecisse liberum in patriam ad patrem, meumque potius me caput periculo praeoptavisse, quam is periret, ponere.

*Heg.* Facito ergo ut Acherunti elueas gloria.

*Tynd.* Qui per virtutem peritat, non interit.

*Heg.* Quando ego te exemplis excruciavero pessumis, atque ob sutelas tuas te morti misero, vel te interdisse, vel perisse pradicent, dum pereas, nihil interduo, dicant vivere.

*Tynd.* Pol si istuc faxis, haud sine poena feceris, si ille huc redibit, sicut confido adfore.

*Arist.* Pro di immortales! nunc ego tenco, nunc scio, quid sit hoc negoti; meus sodalis Philocrates in libertate est ad patrem, in patria, bene est: nec est quisquam mihi, aequè melius cui velim. Sed hoc mihi aegre est, me huic dedisse operam malam, qui nunc propter me, meaque verba vincit est.

*Heg.* Vetuin' te quidquam mihi hodie falsum proloqui?

*Tynd.* Vetuisti.

*Heg.* Cur es ausus mentiri mihi?

*Tynd.* Quia vera obessent illi, quoj operam dabam: nunc falsa prosunt.

*Heg.* At tibi oberunt.

*Tynd.* Optume est. At herum servavi, quem servatum gaudeo: cui me custodem addiderat herus major meus. Sed malene id arbitrare factum?

*Heg.* Pessume.

*Tynd.* At ego ajo recte, qui abs te seorsum sentio; nam cogitato, si quis hoc gnato tuo tuus servus faxit, qualem haberes gratiam? emitteresne, necne, eum servom manu, essetne apud te is servus acceptissimus? Responde.

*Heg.* Opinor.

*Tynd.* Cur ergo iratus mihi es?

*Heg.* Quia illi fuisti, quam mihi, fidelior.

*Tynd.* Quid? tu una nocte postulavisti et die, re-  
eens captum hominem, nuperum et novitium, te per-  
docere, ut melius consulerem tibi, quam illi, quicum  
una a puero aetatem exegeram?

*Heg.* Ergo ab eo petito gratiam istam; ducite,  
ubi ponderosas, crassas capiat compedes; inde ibis  
porro in latomias lapidarias; ibi quom alii octonos la-  
pides effodint, nisi cotidianus sesquiopus confeceris,  
sexcentoplago nomen indetur tibi.

*Arist.* Per deos atque homines ego te obtestor,  
Hegio, ne tu istunc hominem perdis.

*Heg.* Curabitur. Nam noctu nervo vinctus custo-  
dibitur, interdus sub terra lapides eximet; diu ego  
hunc cruciabo, non uno absolvam die.

*Arist.* Certumne est tibi istuc?

*Heg.* Non moriri certius est. Abducite istum actu-  
tum ad Hippolytum fabrum, jubete huic crassas com-  
pedes impingier: inde extra portam ad meum libertum  
Cordalum, in lapidinas facite deductus siet: atque hunc  
ita me velle, dicite, curarier, ne qui deterius huic sit,  
quam quoi pessume est.

*Tynd.* Cur ego te invito me esse salvom postulem?  
periculum vitae meae stat tuo periculo; post mortem  
in morte nihil est, quod metuam, mali. Etsi pervivo  
usque ad summam aetatem, tamen breve spatium est  
perferundi, quae minitas mihi. Vale atque salve: etsi  
aliter, ut dicam, meres. Tu Aristophontes, de me ut  
meruisti, ita vale, nam mihi propter te hoc obtigit.

*Heg.* Abducite.

*Tynd.* At unum hoc quaeso, si huc rebitet Philo-  
crates, ut mihi ejus facias conveniundi copiam.

*Heg.* Periistis, nisi hunc jam e conspectu abdu-  
citis.

*Tynd.* Vis haec quidem hercle est, et trahi et tru-  
di simul.

*Heg.* Illic est abductus recta in phylacam, ut dig-  
nus est; ego illis capteivis aliis documentum dabo,  
ne tale quisquam facinus incipere audeat. Quod abs-  
que hoc esset, qui mihi hoc fecit palam, usque obfre-  
natum suis me ductarent dolis. Nunc certum est nulli  
post haec quidquam credere; satis sum semel deceptus,  
speravi miser ex servitute me exemisse filium. Ea spes  
elapsa est; perdidit unum filium puerum quadrimum,  
quem mihi seryos surpuit; neque enim servom um-

quam reperi, neque filium: major potitus hostium est. Quod hoc est scelus! quasi in orbitatem liberos produxerim. Sequere hac; reducam te ubi fuisti; neminis misereri certum est, quia mei miseret neminem.

*Arist.* Exauspicavi ex vinclis; nunc intelligo red-auspiciandum esse in catenas denuo.

### Actus IV. Scena 1.

*Ergasilus.*

Jupiter supreme, servas me, measque auges opes. maxumas opimitates opiparasque offers mihi; laudem, lucrum, ludum, jocum, festivitatem, ferias, pompam, penum, potationes, saturitatem, gaudium: nec quouquam homini supplicare nunc certum est mihi: nam vel prodesse amico possum, vel inimicum perdere; ita hic me amoenitate amoena amoenus oneravit dies. Sine sacris (6) hereditatem sum aptus effertissumam. Nunc ad senem cursum capessam hunc Hegionem, cui boni tantum adfero, quantum ipse a diis optat, atque etiam amplius. Nunc res certa est, eodem pacto, ut Comici servi solent, conjiciam in collum pallium, primo ex me hanc rem ut audiat; speroque me ob hunc nuntium aeternum adepturum cibum.

### Actus IV. Scena 2.

*Hegio, Ergasilus.*

*Heg.* Quanto in pectore hanc rem eo magis voluto, tanto mihi aegritudo auctior est in animo; ad illum modum sublitum os esse hodie mihi? neque id perspicere quivi? quod quum scibitur, per urbem irridebor, quum extemplo ad forum advenero, omnes loquentur: hic ille est senex ductus, quoi verba data sunt. Sed Ergasilus estne hic, procul quem video? collecto quidem est pallio: quidnam acturus est?

*Erg.* Move ab te moram, atque, Ergasile, age hanc rem; emenor interminorque, ne quis mihi obstiterit obviam; nisi, qui sat diu vixisse sese homo arbitritur; nam qui obstiterit, ore sistet.

*Heg.* Hic homo pugilatum incipit.

*Erg.* Facere certum est; proinde ut omnes itinera insistant sua, ne quis in hac platea negotii conferat quidquam sui. Nam meus est ballista pugnus, cubitus catapulta est mihi, humerus aries; tum genu ad quemque jecero, ad terram dabo. Dentilegos omnes mortales faciam, quemque offendero.

*Heg.* Quae illaec eminentio est? nam nequeo mirari satis.

*Erg.* Faciam ut ejus diei locique, meique semper meminerit: qui mihi in cursu obstiterit, faxo vitae is extemplo obstiterit suae.

*Heg.* Quid hic homo tantum incipissit, facere cum tantis minis?

*Erg.* Prius edico, ne quis propter culpam capiat suam; continete vos domi, prohibete a vobis vim meam.

*Heg.* Mira edepol sunt, ni hic in ventrem sumpsit confidentiam; vae misero illi, cujus cibo iste factus imperiosior.

*Erg.* Tum pistores scrophipasci, qui alunt furfure sues, quarum odore praeterire nemo pistrinum potest: eorum si quousquam scropham in publico conspexero, ex ipsis dominis, meis pugnis exculcabo furfures.

*Heg.* Basilicas edictiones, atque imperiosas habet; satur homo est: habet profecto in ventre confidentiam.

*Erg.* Tum piscatores, qui praebent populo pisces foetidos, qui advehuntur quadrupedanti crucianti canterio: quorum odos subbasilicanos omnes abigit in forum, eis ego ora verberabo sirpiculis piscariis: ut sciant, alieno naso quam exhibeant molestiam. Tum lanii autem, qui concinnant liberis orbas oves, qui locant caedundos agnos, et duplam agninam dant, qui petroni nomen induunt <sup>13)</sup> verveci sectario; eum ego si in via petronem publica conspexero, et petronem et dominum reddam mortales miserrimos.

*Heg.* Eugepae! edictiones aedilitias hic habet quidem: mirumque adeo est, ni hunc fecere sibi Aetoli agoranomum.

*Erg.* Non ego nunc parasitus sum, sed regum rex regalior: tantus ventri commeatus meo adest in portu cibis. Sed ego cesso hunc Hegionem onerare laetitia senem? qui homine adaeque nemo vivit fortunatio-

*Heg.* Quae illaec est laetitia, quam illic laetus largitur mihi?

*Erg.* Heus, ubi estis? ecquis hoc aperit ostium?

*Heg.* Hic homo ad coenam recipit se ad me.

*Erg.* Aperite hasce ambas fores, priusquam pul-tando vel assulatim foribus exitium adfero.

*Heg.* Perlubet hunc hominem colloqui; Ergasile!

*Erg.* Ergasilum qui vocat?

*Heg.* Respice.

*Erg.* Fortuna quod tibi nec facit, nec faciet, hoc me jubes, sed qui est?

*Heg.* Respice ad me, Hegio sum.

*Erg.* O mihi! quantum est hominum optumorum optume, in tempore advenis.

*Heg.* Nescio quem ad portum nactus es, ubi coe-nes; eo fastidis.

*Erg.* Cedo manum;

*Heg.* Manum?

*Erg.* Manum, inquam, cedo tuam, actutum.

*Heg.* Tene.

*Erg.* Gaude.

*Heg.* Quid ego gaudeam?

*Erg.* Quia ego impero; age, gaude modo.

*Heg.* Pol, moerores mi antevortunt gaudiis.

*Erg.* Noli irascier; jam ego ex corpore exigam omnes maculas moerorum tibi; gaude audacter.

*Heg.* Gaudeo, etsi nihil scio, quod gaudeam.

*Erg.* Bene facis; jube.

*Heg.* Quid jubeam?

*Erg.* Ignem ingentem fieri.

*Heg.* Ignem ingentem?

*Erg.* Ita dico, magnus ut sit.

*Heg.* Quid? me, volturie, tuan' causa aedeis incen-surum censes?

*Erg.* Noli irascier. Juben' an non jubes adstitui aulas? patinas elui? laridum atque epulas foveri fo-culis ferventibus? alium pisces praestinatam abire?

*Heg.* Hic vigilans somniat.

*Erg.* Alium porcinam, atque agninam, et pullos gallinaceos?

*Heg.* Scis bene esse, si sit unde.

*Erg.* Pernam atque ophthalmia, horaeum, scom-brum, et tigronum, et cetum, et mollem caseum?

*Heg.* Nominandi istorum tibi erit magis quam e-  
dundi copia hic apud me, Ergasile.

*Erg.* Mean' me causa hoc censes dicere?

*Heg.* Nec nihil hodie, nec multo plus tu hic edes,  
ne frustra sis; proin' tu tui quotidiani victi ventrem  
ad me adferas.

*Erg.* Quin ita faciam, ut te cupias facere sumtum,  
etsi ego vetem.

*Heg.* Egone?

*Erg.* Tute.

*Heg.* Tum tu mi igitur herus es.

*Erg.* Imo bene volens. Vin'te faciam fortunatum?

*Heg.* Malim, quam miserum quidem.

*Erg.* Cedo manum.

*Heg.* Hem manum.

*Erg.* Di te omnes adjuvant.

*Heg.* Nihil sentio.

*Erg.* Non enim es in senticeto, eo non sentis, sed  
jube vasa tibi pura adparari ad rem divinam cito, at-  
que agnum adferri proprium, pinguem.

*Heg.* Cur?

*Erg.* Ut sacrifices.

*Heg.* Cui deorum?

*Erg.* Mihi hercle; nam ego tibi nunc sum summus  
Jupiter, idem ego sum salus, fortuna, lux, laetitia,  
gaudium; proinde tu deum huncce saturitate facias  
tranquillum tibi.

*Heg.* Esurire mihi videre.

*Erg.* Mihi quidem esurio, non tibi.

*Heg.* Tuo arbitrato facile patior.

*Erg.* Credo, consuetus puer.

*Heg.* Jupiter te Dique perdant 17).

*Erg.* Te hercle, mihi aequom est gratias agere ob  
nuntium: tantum ego nunc porto a portu tibi boni.  
Nunc tu mihi places.

*Heg.* Abi stultus, sero post tempus venis.

*Erg.* Igitur olim si advenissem, magis tu tum istuc  
diceres. Nunc hanc laetitiam accipe a me, quam fero;  
nam filium tuum modo in portu Philopolemum vivom,  
salvom et sospitem vidi in publica celoce, ibidemque  
illum adolescentulum alium una, et tuum Stalagmum  
servom, qui aufugit domo, qui tibi surripuit quadri-  
mum puerum filiolum tuum.

*Heg.* Abi in malam rem: ludis me.

*Erg.* Ita me amabit sancta Saturitas, Hegio, itaque suo me semper concederet cognomine, ut ego vidi.

*Heg.* Meum gnatum?

*Erg.* Tuum gnatum et genium meum.

*Heg.* Et captivum illum Alidensem?

*Erg.* Μὰ τὸν Ἀπόλλω.

*Heg.* Et servolum meum Stalagmum, meum qui gnatum surripuit?

*Erg.* Νὴ τὰν Κόραν.

*Heg.* Jam diu?

*Erg.* Νὴ τὰν Πραίνεσην.

*Heg.* Venit.

*Erg.* Νὴ τὰν Σιγνίαν.

*Heg.* Certon'?

*Erg.* Νὴ τὰν φεσιῶνα.

*Heg.* Vide sis.

*Erg.* Νὴ τὸ Ἀλάτριον.

*Heg.* Quid tu per barbaricas urbes juras?

*Erg.* Quia enim item asperae sunt, ut tuum victim autumabas esse.

*Heg.* Vae aetati tuae.

*Erg.* Quippe quando mihi nihil credis, quod ego dico sedulo.

*Heg.* Dic bonan' fide tu mihi istaec verba dixisti?

*Erg.* Bona.

*Heg.* Di immortales! iterum gnatus videor, si vera autumas.

*Erg.* An tu dubium habebis, etiam sancte quum jurem tibi? Postremo, Hegio, si parva jurijurando est fides, vise ad portum.

*Heg.* Facere certum est, tu intus cura quod opus est. Sume, posce, prome quidvis, te facio cellarium.

*Erg.* Nam, hercle, nisi mantiscinatus probe ero, fusti pectito.

*Heg.* Aeternum tibi dapinabo victim, si vera autumas.

*Erg.* Unde id?

*Heg.* A me meoque gnato.

*Erg.* Sponden' tu istud?

*Heg.* Spondeo.

*Erg.* At ego tuum tibi advenisse filium respondeo.

*Heg.* Cura quam optume potes.

*Erg.* Bene ambula: et redambula.

## Actus IV. Scena 3.

*Ergasillus.*

**I**lluc hinc abiit: mihi rem summam credidit cibariam. Di immortales, jam ut ego collos praetruncabo tergoribus! Quanta pernis pestis veniet! quanta labes larido! quanta sumini absumedo! quanta callo calamitas! quanta laniis lassitudo! quanta porcinariis! Nam si alia memorem; quae ad ventris victum conducunt, mora est. Nunc ibo ad praefecturam, et jus dicam larido; et quae pendent indemnatae pernae, eis auxilium ut feram.

## Actus V. Scena 1. 20)

*Puer Hegionis.*

**D**iespiter te Dique, Ergasile, perdant et ventrem tuum, parasitosque omnes, et qui post hac coenam parasitis dabit. Clades calamitasque, intemperies modo in nostram advenit domum. Quasi lupus esuriens, metui, ne in me faceret impetum; nimisque, hercle, ego illum male formidabam; ita frendebat dentibus; adveniens deturbavit totum cum carne carnarium. Adripuit gladium, praetruncavit tribus tergoribus glandia; aulas calicesque omnes confregit, nisi quae modiales erant. Cocum percontabatur, possentne seriae ferverescere; cellas refregit omnes intus, reclusitque armarium. Adserve istunc, sultis, servi; ego ibo, ut conveniam senem. Dicam, ut sibi penum aliud ornet, siquidem sese uti volet. Nam hic quidem ut adorant, aut jam nihil est, aut jam nihil erit.

## Actus V. Scena 2.

*Hegio, Philopolemus, Philocrates.*

**Hegio.** Jovi Diisque ago gratias merito magnas, quom te reducem tuo patri reddiderunt, quomque ex miseris plurimis me exemerunt, quae adhuc te carens, dum hic fui, sustentabam: quomque hunc conspicio

in potestate nostra, quomque hæc reperta est fides firma nobis. Satis jam dolui animo, et cura me satis et lacrumis maceravi. Hoc! satis jam audiui tuas aerumnas ad portum mihi quas memorasti. Hoc agamus.

*Philocr.* Quid nunc, quoniam tecum servavi fidem, tibi que hunc reducem in libertatem feci?

*Heg.* Fecisti, ut tibi, Philocrates, numquam referre gratiam possim satis, proinde ut tu promeritus de me et filio meo.

*Philop.* Imo potes, pater, et poteris, et ego poterō: et Di eam potestatem dabunt, ut beneficium bene merenti nostro merito muneres; sicut tu huic potes, pater mi, facere merito maxume.

*Heg.* Quid opus est verbis? lingua nulla est, qua negem, quidquid roges.

*Philocr.* Postulo abs te, ut mihi illum reddas servom, quem hic reliqueram, pignus pro me, qui mihi melior, quam sibi semper fuit, pro benefactis ejus uti ei pretium possim reddere.

*Heg.* Quod benefecisti, referetur gratia, id quod postulas, et id, et aliud, quod me orabis, impetrabis; atque te nolim succensere, quod ego iratus ei feci male.

*Philocr.* Quid fecisti?

*Heg.* In lapicidinas compeditum condidi, ubi rescivi mihi data esse verba.

*Philocr.* Vae misero mihi, propter meum caput labores homini evenisse optumo.

*Heg.* At ob eam rem mihi libellam pro eo argentine duis. Gratis a me, ut sit liber, abducito.

*Philocr.* Edepol, Hegio, facis benigne, sed quæso, hominem ut jubeas arcessi.

*Heg.* Licet. Ubi estis vos? ite actutum, Tyndarum huc arcessite. Vos ite intro; interibi ego ex hac statua verberæa volo erogitare, meo minore quid sit factum filio; vos lavate interibi.

*Philop.* Sequere hac, Philocrates me intro.

*Philocr.* Sequor.

## Actus V. Scena 3.

*Hegio, Stalagmus.*

**A**ge tu illuc procede, bone vir, lepidum mancipium meum.

*Stal.* Quid me oportet facere, ubi tu talis vir falsum autumas? fui ego bellus, lepidus, bonuis vir numquam, neque frugi bonae, neque ero umquam: ne tu spem ponas me bonae frugi fore.

*Heg.* Propemodum ubi loci fortunae tuae sint, facile intelligis. Si eris verax, tua ex re facies, ex mala melliusculam: Recta et vera loquere: sed neque vere, neque recte adhuc fecisti umquam.

*Stal.* Quod ego fatear, credin' pudeat, quum autumes?

*Heg.* At ego faciam ut pudeat. nam in ruborem te totum dabo.

*Stal.* Eia! credo ego, imperito plagas minitaris mihi. Tandem ista aufer, dicque quid fers, ut feras hinc, quod petis.

*Heg.* Satis facundus; sed jam fieri dictis compendium volo.

*Stal.* Ut vis, fiat.

*Heg.* Bene morigerus fuit puer: nunc non decet 21). Hoc agamus; jam animum advorte, ac mihi, quae dicam, edissere: si eris verax, tuis rebus feceris meliusculas.

*Stal.* Nugae istaec sunt, non me censes scire, quid dignus siem?

*Heg.* At ea subterfugere potis es pauca, si non omnia.

*Stal.* Pauca effugiam, scio: nam multa evenient, et merito meo: quia et fugi, et tibi surripui filium, et eum vendidi.

*Heg.* Cui homini?

*Stal.* Theodoromedi in Alide Polyplusio sex minis.

*Heg.* Proh Di immortales! is quidem hujus est pater Philocratis.

*Stal.* Quin melius novi, quam te, et vidi saepius.

*Heg.* Serva, Jupiter supreme, et me et meum gnatum mihi: Philocrates, per tuum te ingenium obsecro, exi: te volo.

## Actus V. Scena 4.

*Philoerates, Hegio, Stalagmus.**Philoc.* **H**egio, adsum: si quid me vis impera.*Heg.* Hic gnatum meum tuo patri ait se vendidisse sex minis in Alide.*Ph.* Quamdiu id factum est?*Stal.* Hic annus incipit vicesimus.*Ph.* Falsa memorat.*Stal.* Aut ego, aut tu: nam tibi quadrimulum tuus pater peculiarem parvolum puero dedit.*Ph.* Quid erat ei nomen? si vera dicis, memora dum mihi.*Stal.* Paegnum vocitatu'st: post vos indidistis Tyndaro.*Ph.* Cur ego te non novi?*Stal.* Quia mos est oblivisci hominibus, neque novisse, cujus nihil sit faciunda gratia.*Ph.* Dic mihi: isne istic fuit, quem vendidisti meo patri, qui mihi peculiaris datus est hujus filius? *Stalagmus**Heg.* Vivitne is homo?*Stal.* Argentum accepi, nihil curavi ceterum.*Heg.* Quid tu ais?*Ph.* Quin istic ipsu'st Tyndarus tuus filius, ut quidem hic argumenta loquitur; nam is mecum a puero puer bene pudiceque educatu'st usque ad adolescentiam.*Heg.* Et miser sum, et fortunatus, si vos vera dicitis; eo miser sum, quia male illi feci, si gnatus meu'st. Eheu! cur ego plus minusque feci, quam aequum fuit? Quod male feci, crucior modo, si infectum fieri possiet. Sed ecum, incedit huc ornatus haud, ex suis virtutibus.

## Actus V. Scena 5.

*Tyndarus, Hegio, Philocrates, Stalagmus.**Tynd.* **V**idi ego multa picta, quae Acherunti fierent cruciamenta; verumenimvero nulla adaeque est Ache-

rums, atque ubi ego fui in lapicidinis. Illic ibi demum est locus, ubi labore lassitudo omni'st exigunda ex corpore. Nam ubi illo adveni, quasi patriciis pueris aut monedulae, aut anates, aut coturnices dantur, quicum lusitent: itidem haec mihi advenienti upupa, qui me delectet, data est. Sed herus eccum ante ostium, et herus alter eccum ex Alide rediit.

*Heg.* Salve, exoptate gnate mi.

*Tynd.* Hem! quid, gnate mi? atat, scio cur te patrem adsimules esse, et me filium: quia mihi, item ut parentes, lucis das tuendae copiam.

*Ph.* Salve, Tyndare.

*Tynd.* Et tu, quous causa hanc aerumnam exigo.

*Ph.* At nunc liber in divitias faxo venies; nam tibi pater hic est; hic servus, qui te huic hinc quadrimum surpuit, vendidit patri meo te sex minis; is te mihi parvolum peculiarem parvulo puero dedit. Illie indicium fecit; nam hunc ex Alide huc reducimus.

*Tynd.* Quid huius filium?

*Ph.* Intus eccum fratrem germanum tuum.

*Tynd.* Quid tu ais? adduxtin' illum hujus captivum filium?

*Ph.* Quin, inquam, intus hic est.

*Tynd.* Fecisti edepol et recte et bene.

*Ph.* Nunc tibi pater hic est: hic fur est tuus, qui parvum hinc te abstulit.

*Tynd.* At ego nunc grandis grandem natu ob furtum, ad carnificem dabo.

*Ph.* Meritus est.

*Tynd.* Ergo edepol meritam mercedem dabo. Sed dic oro, pater meus tune es?

*Heg.* Ego sum, gnate mi.

*Tynd.* Nunc demum in memoriam redeo, quum mecum cogito, nunc edepol demum in memoriam regredior, audisse me quasi per nebulam, Hegionem patrem meum vocarier.

*Heg.* Ego sum.

*Ph.* Compedibus, quaeso, ut tibi sit levior filius, atque hic gravior servus.

*Heg.* Certum est principium id praevertier. Eamus intro, ut arcessatur faber: ut istas compedes tibi adimam, huic dem.

*Stal.* Cui peculii nihil est, recte feceris.

## G r e x.

Spectatores, ad pudicos mores facta haec fabula est. Hujusmodi paucas poetae reperiunt Comoedias: ubi boni meliores fiant. Nunc vos, si vobis placet, et, si placuimus, neque odio fuimus, signum hoc mittite, qui pudicitiae esse vultis praemium, plausum date.

## A d n o t a t i o n e s.

- 1) *ope vestra censeris*, i. e. opibus vestris in priores populi classes referri. Prologus proxime sedentes adloquitur, equites, qui in Quatuordecim sedebant, et lautiores cives.
- 2) *alieno uti nihil morer*, i. e. nolo vobis alicujus rei debitor esse.
- 3) *planius sumus invocati*, i. e. non vocati.
- 4) *extra portam trigeminam*. Plautus in comoedia palliata Ergasilum, ac si Romae esset, de porta trigemina, quae etiam Ostiensis dicebatur, loquentem facit. Lambinus putat, ante portam trigeminam sedisse pauperes, stipemque petiisse saccum tenentes. Longolius autem existimat, Saccum fuisse locum ante portam praedictam, a mendicantibus occupari solitum. Utut sit, certe porta trigemina in primis quaeestuosa mendicabilis fuisse videtur, quia praeter viam Ostiensem nulla iter facientibus adaeque frequens fuit.
- 5) *imperare exercitum*. Jocus sumtus a comitiis centuriatis indictis et dimissis. Consul auguri vel praeconi imperat exercitum i. e. conventum populi: rex sive adolescens luxuriosus parasitum mittit obsonatum. Exercitus urbanus conventus plurium classium, tribuum, centuriarum: parasitus multigenere accessit copiam, quibus rem gerat, pistoria opera, panes, placentas, aviculas, pisces cet. Hinc illi opus Pistoriensibus cet. Imperatus est exercitus, tum indicta sunt et aguntur comitia: *edendi exercitus imperatus* habetur, dum sternitur mensa et discumbentes detinet. Educebant olim exercitum urbanum ad comitia in Campum *λοχαγοι*, ut vocat Dionysius: ita parasitus obsonium portantes et coquos sub signis ducit, eaque de causa Hegio ait: *quem duxit*. Remittitur exercitus, quum comitia dimittuntur; remissus est exercitus, quum nulla comitia habentur: sic remissae coenarum copiae (*edendi exercitus*) sunt, quum nulla fit invitatio, quum nemo pascit. Denique qui Comitia indicit et

exercitum imperat, ob id jure dicitur *imperator*: talem He-  
gionem, si faciat ut filius, esse posse censet parasitus. Nam  
*imperator* hic diversus ponitur *privato*.

- 6) *emtum*, i. e. res emta tibi est; ego tibi sum additus, nisi  
quis meliorem conditionem adferat, i. e. nisi quis me ad  
coenam lautiolem vocet. Haec erat formula fundorum in  
diem addictorum; *Ille fundus centum esto tibi emtus, nisi  
quis intra Kalendas Januarias meliorem conditionem ad-  
tulerit.*
- 7) *meis me addicoam legibus*, i. e. conditione a me dictata me  
quasi fundum vendam.
- 8) *Curato aegrotos domi*, i. e. oleribus aegrotos curabis, non  
me lautioris convivii egentem. Oleribus enim nihil inimicium  
fuisse parasito, et hic et alibi apud Graecos comicos decla-  
ratur. Meursius, *aegrotos*, inquit, *oleribus curatos olim  
fuisse, vel ex uno isto Plauti loco facile adparet.*
- 9) *Laconas imi subsellii viros*. Jocatur parasitus de solenni  
puerorum Laconicorum verberatione. Viri imi subsellii sunt,  
qui ad coenam in loco ultimo tamquam minus honorati dis-  
cumbunt.
- 10) *aperto capite*. Parasitus non solum Romanorum impuden-  
tiam, sed etiam illorum crudelitatem in plebe condemnanda  
perstringit. Veteres, vigentibus bonis moribus, in lupanaria  
devertentes caput operuerunt, ne dignosci possent.
- 11) *in velabro olearii*, qui communi pacto et pretio vendunt  
oleum.
- 12) *nunc barbarica lege*, i. e. Romana. Qui lingua Graeca  
non utebantur, a Graecis βαρβαροι vocati sunt. Adhuc Er-  
gasilus ad legem duodecim tabularum, et legem Gabiniam,  
quibus cautum erat, ut qui coetus perduelles agitassent, ca-  
pite plecterentur.
- 13) *qi i sputatur morbus*, i. e. comitialis seu Herculeus, qui  
et morbus sacer, et major, et caducus, ἐπιληψία dicitur,  
qui sputo curari credebatur. Sed quis fuerit insputandi mo-  
dus, incertum est. Verisimile videtur, priscos hac in re  
idem fecisse, quod hodie faciunt in plerisque regionibus ho-  
mines vulgi; ut, ubi epilepticus vel occurrit, vel morbus no-  
minatur, sputum emittant, tamquam hujusmodi conspuitio  
ad averruncandam morbi perniciem conferat.
- 14) *et quidem Alcmæo etc.* Tres insanos nobilissimos commemo-  
rat, quos eodem modo sibi dicit sodales esse, quo Aristo-

phontes. Alcmaeo, Amphiarai et Eriphilae filius, matrem, quod patrem prodidisset, ab Amphiarao jussus, interemit: quo factio adactus est ad insaniam. Orestes, Agamemnonis et Clytemnestrae filius, matrem occidit, adprobante Apolline, ut patris caedem ulcisceretur, quem Clytemnestra, adjutore Aegysto adultero freta, interfecerat. Lycurgus Thraciae rex, quia vitibus omnibus excisis Bacchum irritaverat, furris exagitatus sua sibi ipse crura praecidit.

- 15) *nunc ego inter sacrum saxumque sto*, i. e. nunc in summo discrimine sum. Proverbium est ductum a victimis, nempe snibus, quae a sacerdote in foederibus faciendis saxo feriabantur. Ex quo *ferire*, *percutere*, et *icere* foedus.
- 16) *sine sacris*, i. n. sine sumtu. Sacra enim familiaria, quae pecuniam sive heredem sequebantur, aliquo cum sumtu feri necesse erat. *Hereditas sine sacris* est, quum heres non adsciscitur in sacra familiae et gentem.
- 17) *Esurire mihi videre*. — *Jupiter te Di que perdant*. Hunc locum clarissimus Lessingius in dissertatione de Plauti vita et operibus ita transtulit. *H e g. Du bist mir also hungerig, wie es scheint. E r g. Ich bin mir hungerig, und nicht dir. H e g. Meinewegen, ich kann es zufrieden seyn. E r g. O, dieß weiß ich wohl, du bist von Jugend auf ein Menich gewesen, dem es eben so nahe nicht gegangen ist, wenn einem ehrlichen Kerl hungerte. H e g. Ey, hole dich der —*
- 18) *qui concinnant liberis orbas oves*, i. e. qui oves vetulas jam recentesque a nutriendis agnis, ideoque mactas venditioni aptant. *Qui locant caedundos agnos*, i. e. qui mactari curant, et *duplam agninam danunt*, i. e. praebent: *dupla agnina*, si agni jam grandiores et diu ablactati sunt. *Qui petroni nomen induunt*, i. e. qui petronem sive arietem sub nomine vervecis sectarii vendunt.
- 19) *Μὰ τὸν Ἀπόλλω*, per Apollinem. Quod Graeci jurantes praeponunt *Μὰ* et *Νῆ* id Romanis est *Me* et *E*, e. c. *Me eastor*. *Medius Fidius*, *Mercurule*, *Ejuno*, *Equirine*, *cet.* *Νῆ τῶν κόραυ*, per Minervam, quae sicut Proserpina *κόρη* (puella) *κατ' ἐξοχὴν* nominabatur *κόρη καὶ δέσποια*. Sed et colonia esse potest, unde *Corani* Plinii L. III, c. 5. *Νῆ τῶν Πραίνεσσυ* per Praeneste, quod Campaniae oppidum, a quo sortes Praenestinae. *Στυρία*, hodie *Segni*, etiam urbs in Campania, ut *Ἀλάττιον*, hodie *Alatri*, *Νῆ*

τῶν φρουσίων, nunc *Frusilione*, per *Frusinonem*. *Frusinates* memorat Plin. L. III. c. 5. et Juvenalis Satyra 3.

- 20) Sequens scena, non Plauti sed libratorum culpa, in plerisque editionibus ponitur Actus IV. Scena 4. perperam. Nam inter stragem, quam Ergasilus se editurum scena praecedente minatur, et eam, quam puer Hegionis ab Ergasilo editam narrat, aliquod temporis spatium intercedere debet.
- 21) *Bene morigerus fuit puer*, i. e. obsequens, obediens. Nihil in his verbis latere obscoeni, jam pridem clarissimus Lessingius docuit. Eodem, quo hoc loco, sensu Plautus Amph. III. 4, 21. dicit: *Meo aequum est morigerum patri, ejus studio servire addacet*; uti et Cist. I. 3, 27. et Epid. V. 1, 1.

C. C o m o e d i a.

A d e l p h i

Publii Terentii Afri.

P e r s o n a e a g e n t e s.

Mitio.	Sostrata.
Demea.	Hegio.
Aeschinus.	Geta.
Ctesipho.	Canthara.
Syrus.	Tibicina.
Dromo.	Parmeno.
Sannio.	

A r g u m e n t u m.

**M**itio et Demea, duo dissimillimo ingenio fratres, ille urbanam vitam sequutus est, hic rusticam; ille ingenio lenissimo, hic asperrimo; ille mitis etiam in alienos, hic saevus etiam in suos; ille etiam in ira placidus, hic etiam citra iram ferox. Erant Demeae filii duo: ex quibus natu majorem Aeschinum sibi adoptavit Mitio, eumque secum in urbe educavit liberalissime et indulgentissime: minorem, Ctesiphonem, ruri secum severe in primis et restricte habuit pater. Aeschinus convivio patris ad omnia connivente, celebravit multa, et quae fert ju-

ventus, ea omnia libere exercuit. Postremo eo usque progressus est, ut Pamphilam, virginem bonis quidem prognatam, sed pauperulam, inscio patre sibi desponsaret. Ctesipho, quum in urbem interdum ventitaret, ipse quoque liberioris lautiorisque vivendi rationis cupidus, ci-tharistriam quandam emere voluit a Sannione, mancipiorum negotiatore. Qui quum aut pecuniam sibi, quanti ea erat, vellet in manum dari, aut se alii eam venditurum minitaretur: Aeschinus, re intellecta, Sannionis domum per vim ingressus, et Sannionem et familiam contudit pugnis, puellamque per vim abreptam tradidit fratri. Spargitur tota urbe rumor; venit Demea, oburgat, vociferatur. haec omnia Aeschini esse facinora, ad Ctesiphonem nihil quidquam pertinere arbitratus. Ro tandem omni comperita, quum satis diu esset vociferatus: placida Mitionis oratione eo deducitur, ut et ipse benignus, adfabilisque videri velit. Itaque ipso, non permitte-  
tente tantum, sed etiam iubente, Aeschinus ducit Pamphilam; argentum Sannioni numeratur; quid? quod ipse Mitio, impellente Demea, Sostratam, Pamphilae matrem, ducit uxorem.

## Actus I. Scena I.

Mitio.

*Sorax!* — Non rediit hac nocte a coena Aeschinus? neque servulorum quisquam, qui advorsum ierunt. —  
*Mitio* Quibus nunc sollicitor rebus! Ne aut ille alserit, aut uspiam ceciderit, aut perfregerit aliquid. Vah, quemquamne hominem in animum instituere aut parare, quod sit carius, quam ipse est sibi? Atqui ex me hic natus non est, sed ex fratre: is adeo dissimili studio est jam inde ab adolescentia. Ego hanc clementem vitam urbanam atque otium sequutus sum, et quod fortunatum isti putant, uxorem numquam habui. Ille contra, haec omnia: ruri agere vitam; semper parce ac duriter se habere; uxorem duxit; nati filii duo. Inde ego hunc majorem adoptavi mihi: eduxi a parvulo: habui, amavi pro meo: in eo me oblecto: solum id est carum mihi. Ille ut item contra me habeat, facio sedulo: do, praetermitto, non necesse habeo omnia pro meo jure agere. Postremo alii clanculum patres

quae faciunt, quae fert adolescentia: ea ne me celet, consuefeci filium. Nam qui mentiri, aut fallere insueverit patrem, aut audebit: tanto magis audebit ceteros. Pudore et liberalitate liberos retinere satius esse credo, quam metu. Haec fratri mecum non conveniunt, neque placent. Venit ad me saepe, clamitans: *Quid agis, Mitio? Cur perdis adolescentem mihi? Cur amat? Cur potat? Cur tu his rebus sumtum suggeris? Vestitu nimio indulges: nimium ineptus es!* — Sed errat longe, mea quidem sententia, qui imperium credat gravius esse aut stabilius, vi quod fit, quam illud, quod amicitia adjungitur. Mea sic est ratio, et sic animum induco meum: malo coactus qui suum officium facit, dum id rescitum iri credit, tantisper cavet; si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit. Ille, quem beneficio adjungas, ex animo facit; studet par referre; praesens absensque idem erit. Hoc patrium est, potius consuefacere filium, sua sponte recte facere, quam alieno metu. — Sed estne hic ipse, de quo agebam? Et certe is est: nescio quid tristem video. Credo jam, ut solet, jurgabit.

## Scena 2.

*Mitio. Demea.*

*Mitio.* **S**alvum te advenire, Demea, gaudemus.

*Demea.* Ehem opportune! Te ipsum quaerito.

*Mit.* Quid tristis es?

*Dem.* Rogas me, ubi noster Aeschinus siet, quid tristis ego sim?

*Mit.* Dixi hoc fore? — Quid fecit.

*Dem.* Quid ille fecerit? Quem neque pudet quidquam, nec metuit quemquam, neque legem putat tenere se ullam. Nam illa, quae antehac facta sunt, omitto: modo quid designavit!

*Mit.* Quidnam id est?

*Dem.* Fores effregit, atque in aedes irruit alienas: ipsum dominum atque omnem familiam mulcavit usque ad mortem: eripuit mulierem, quam amabat. Clamant omnes, indignissime factum esse. Hoc advenienti quot mihi, Mitio, dixere? In ore est omni populo. Denique si conferendum exemplum est, non fratrem

videt rei dare operam, ruri esse parcum ac sobrium?  
Nullum hujus simile factum. Haec quum illi, Mitio,  
dico: tibi dico. Tu illum corrumpi sinis.

*Mit.* Homine imperito numquam quidquam in-  
justius, qui nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat.

*Dem.* Quorsum istoc?

*Mit.* Ausculta: ne me obtundas de hac re saepius.  
Tuum filium dedisti adoptandum mihi: is meus est  
factus: si quid peccat, Demea, mihi peccat.

*Dem.* Curae est mihi.

*Mit.* Et mihi cura est. Verum, Demea, curemus  
aequam uterque partem, tu alterum, ego item alterum.  
Nam ambos curare, propemodum reposcere illum est,  
quem dedisti.

*Dem.* Ah Mitio!

*Mit.* Mihi sic videtur.

*Dem.* Quid istic? Tibi si istuc placet: profundat,  
perdat, pereat. Nihil ad me attinet. Jam si verbum  
unum posthac — —

*Mit.* Rursum, Demea, irascere?

*Dem.* An non credis? Repeton' quem dedi? Aegre  
est: alienus non sum. Si obsto. . . hem desino!  
Unum vis curem: curo. Et est Diis gratia, quum ita,  
ut volo, est. Iste tuus ipse sentiet posterius. . . nolo  
in illum gravius dicere. (abit.)

*Mit.* Nec nihil, neque omnia haec sunt, quae di-  
cit. Tamen nonnihil molesta haec sunt mihi. Sed  
ostendere me aegre pati illi nolui. Nam ita est homo:  
quum placo, advorsor sedulo, et deterreo: tamen vix  
humane patitur. Verum si augeam, aut etiam adjutor  
sim ejus iracundiae, insaniam profecto cum illo. Etsi  
Aeschinus nonnullam in hac re nobis facit injuriam.  
Sperabam jam defervisse adolescentiam: gaudebam.  
Ecce autem de integro. Nisi quidquid est, volo scire,  
atque hominem convenire, si apud forum est.

## Actus II. Scena I.

*Aeschinus. Sannio. Parmeno. Tibicina.*

*Sannio.* **O**bscuro, populares! Ferte misero atque in-  
nocenti auxilium: subvenite inopi.

*Aeschinus.* Otiose nunc jam illico hic consiste. Quid respectas? Nihil pericli est. Numquam, dum ego adero, hic te tanget.

*San.* Ego istam invitis omnibus. . .

*Aesch.* Quamquam est scelestus, non committet hodie umquam, iterum ut vapulet.

*San.* Aeschine, audi, ne te ignarum fuisse dicas morum meorum.

*Aesch.* Scio.

*San.* Tu quod te posterius purges, hanc injuriam mihi nolle factam esse, hujus non faciam. Crede hoc: ego meum jus persequar, neque tu verbis solves umquam, quod mihi re male feceris. Non ego vestra haec: *nollem factum, jusjurandum dabitur, te esse indignum injuria hac*: indignis quum egomet sim acceptus modis.

*Aesch.* (ad Parmenonem) Abi prae strenue, ac fores aperiri.

*San.* (obstans) Ceterum hoc nihil facis.

*Aesch.* (ad Tibicinam) Intro jam nunc.

*San.* At enim non sinam.

*Aesch.* Accede illuc Parmeno; nimium istoc abiisti. Hic propter hunc adsiste. Hem, sic volo. Cave nunc jam oculos a meis oculis quoquam demoveas tuos, ne mora sit, si innuerim, quin pugnus continuo in mala haereat.

*San.* Istuc volo ergo ipsum experiri.

*Aesch.* (ad Parmenonem) Hem, serva! — (ad Sannionem) Omitte mulierem.

Quum Sannio mulierem non omittit: Aeschinus innuit Parmenoni, qui Sannionem pugno petit.

*San.* O facinus indignum!

*Aesch.* Geminabit, nisi caves.

(Parmeno, non exspectato Aeschini nutu, verbera repetit.)

*San.* Vae misero mihi.

*Aesch.* (ad Parmenonem) Non innueram: verum in istam partem potius peccato tamen. — (ad Tibicinam) Intro jam. (Tibicina cum Parmenone abit.)

## Scena 2.

*Aeschinus. Sannio.*

*San.* Quid hoc rei est? Regnumne, Aeschine, hic tu possides?

*Aesch.* Si possiderem, ornatus esses ex tuis virtutibus.

*San.* Quid tibi rei mecum est.

*Aesch.* Nihil.

*San.* Quid? Nostin' qui sim?

*Aesch.* Non desidero.

*San.* Tetigine tui quidquam.

*Aesch.* Si attigisses, ferres infortunium.

*San.* Quid tibi magis licet meam habere, pro qua ego argentum dedi? Responde.

*Aesch.* Ante aedes non fecisse erit melius heic convicium. Nam si molestus pergis esse, jam intro abripere, atque ibi usque ad necem operiere loris.

*San.* Loris liber?

*Aesch.* Sic erit.

*San.* O hominem impurum! Hiccine libertatem ajunt aequam esse omnibus?

*Aesch.* Si satis jam debacchatus es, audi, si vis nunc jam.

*San.* Egon' debacchatus sum autem, an tu in me?

*Aesch.* Mitte ista, atque ad rem redi.

*San.* Quam rem? quo redeam?

*Aesch.* Jamne me vis dicere, quod ad te attinet?

*San.* Cupio: aequi modo aliquid.

*Aesch.* Vah! Sannio iniqua me non volt loqui

*San.* Sum, fateor, pernicies communis adolescentium; perjurus; pestis. Tamen tibi a me nulla orta est injuria.

*Aesch.* Nam hercle etiam hoc restat.

*San.* Illuc, quaeso, redi, quo coepisti, Aeschine.

*Aesch.* Minis viginti tu illam emisti: argenti tantum tibi dabitur.

*San.* Quid? si tibi illam nolo vendere! Cogem se?

*Aesch.* Minime.

*San.* Namque id metui.

*Aesch.* Neque vendundam censeo, quae libera est,

nam ego liberali illam adsero causa manu. Nunc vide: utrum vis argentum accipere, an causam mediari tuam. Delibera hoc, dum ego redeo.

## S c e n a 3.

Sannio.

**P**roh supreme Jupiter! Minime miror, qui insanire occipiunt ex injuria. Domo me eripuit, verberavit; me invito abduxit meam; ob malefacta haec tantidem emtam postulat sibi tradier. Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi. — Verum enim, quando bene promeruit, fiat. Suum jus postulat. Age jam cupio, si modo argentum reddat. — Sed ego hoc hariolor. Ubi me dixerō dare tanti, testes faciet illico, vendidisse me. De argento? Somnium! Mox: — *cras redi*. — Id quoque possum ferre, si modo reddat: quamquam injurium est. Verum cogito id, quod res est: quando eum quaestum occeperis, accipiunda et mussitanda injuria adolescentium est. — Sed nemo dabit: frustra egomet mecum has rationes puto.

## S c e n a 4.

Sannio. Syrus.

**T**ace: egomet conveniam ipsum. Cupide accipiat faxo, atque etiam bene dicat secum esse actum. Quid istuc, Sannio, est, quod te audio, nescio quid concieriasse cum hero?

*San.* Numquam vidi iniquius certationem comparatam, quam haec hodie inter nos fuit. Ego vapulando, ille verberando, usque ambo defessi sumus.

*Syr.* Tua culpa.

*San.* Quid facerem?

*Syr.* Adolescenti morem gestum oportuit.

*San.* Qui potui melius, qui hodie usque os praebui.

*Syr.* Age, scis quid loquar? Pecuniam in loco neglegere, maximum interdum est lucrum.

*San.* Hui.

*Syr.* Metuisti, si nunc de tuo jure concessisses paululum, atque adolescenti esses morigeratus, hominum homo stultissime, ne non tibi istuc foeneraret.

*San.* Ego spem pretio non emo.

*Syr.* Numquam rem facies: abi, nescis inescare homines, Sannio.

*San.* Credo istuc melius esse. Verum ego numquam, adeo astutus fui, quin, quidquid possem, malletm auferre potius in praesentia.

*Syr.* Age, novi tuum animum: quasi jam usquam tibi sint viginti minae, dum huic obsequare. Praeterea autem te ajunt proficisci Cyprum: . . .

*San.* Hem!

*Syr.* . . . Coëmissem hinc, quae illuc veheres multa. Navem conductam, hoc scio. — Animus tibi pendet? — Ubi illinc spero redieris, tamen hoc ages.

*San.* Nusquam pedem! — Perii hercle! Hac illi spe hoc inceperunt.

*Syr.* Timet. Injeci scrupulum homini.

*San.* O scelera! Illud vide, ut in ipso articulo oppressit! Emtae mulieres complures, et item hinc alia, quae porto Cyprum. Nisi eo ad mercatum venio, damnum maximum est. Nunc si hoc omitto, ac tum agam, ubi illinc rediero; nihil est, refrixerit res; *Nunc demum venis? Cur passus? Ubi eras?* — Ut sit satius, perdere, quam aut nunc manere tamdiu, aut tum persequi.

*Syr.* Jamne enumerasti, quod ad te rediturum putes?

*San.* Hoccine illo dignum est? Hoccine incipere Aeschinum: per oppressionem ut haec mihi eripere postulet?

*Syr.* Labascit. — Unum hoc habeo. Vide, si satis placet. Potius quam venias in periculum, Sannio, servesne an perdas totum: dividuum face. Minas decent corradet alicunde.

*San.* Hei mihi. Etiam de sorte nunc venio in dubium miser! Pudet nihil: omnes dentes labefecit mihi: praeterea colaphis tuber est totum caput: etiam insuper defrudet? Nusquam abeo.

*Syr.* Ut lubet. Numquid vis, quin abeam?

*San.* Imo, hercle, hoc quaeso, Syre: utut haec sunt facta, potius, quam lites sequar, meum mihi reddatur; saltem quanti emta est, Syre. Scio te non usum antehac amicitia mea: memorem me dios esse et gratum.

*Syr.* Sedulo faciam.

*Select. Exempl. Vol. II.*

## Actus III. Scena I.

*Geta. Sostrata. Canthara.*

*Geta.* **N**unc illud est, quod, si omnes omnia sua consilia conferant, atque huic malo salutem quaerant, auxilii nihil adferant, quod mihi que heraeque filiaeque herili est. Vae misero mihi! Tot res repente circumvallant, unde emergi non potest, vis, egestas, iniustitia, solitudo, infamia. Hoccine seclum! O scelera! O genera sacrilega! O hominem impium!

*Sost.* Me miseram! Quidnam est, quod sic video timidum et properantem Getam.

*Geta.* Quem neque fides, neque jusjurandum, neque illu' misericordia repressit.

*Sost.* Non intelligo satis, quae loquatur.

*Canth.* Propius obsecro accedamus, Sostrata.

*Geta.* Ah, me miserum! Vix sum compos animi, ita ardeo iracundia. Nihil est, quod malim, quam illam totam familiam mihi obviam dari, ut ego iram hanc in eos evomam omnem, dum aegritudo haec est recens. Satis mihi id habeam supplicii, dum illos ulciscar modo. Seni animam primum exstinguerem, qui illud produxit scelus: tum autem Syrum impulsorem, vah, quibus illum lacerarem modis! Sublimem medium arriperem, et capite pronum in terram statuerem, ut cerebro dispergat viam: adolescenti ipsi eriperem oculos; post haec praecipitem darem: ceteros ruerem, agerem, raperem, tunderem et prosternerem. Sed cesso heram hoc malo impertiri propere?

*Sost.* Revocemus. — *Geta.*

*Geta.* Hem, quisquis es, sine me.

*Sost.* Ego sum Sostrata.

*Geta.* Ubi es? — Te ipsam quaerito: te exspecto. Oppido opportune te obtulisti mihi obviam, hera.

*Sost.* Quid est? Quid trepidas?

*Geta.* Hei mihi!

*Sost.* Quid festinas, mi Geta? Animam recipe.

*Geta.* Prorsus. . . .

*Sost.* Quid istuc prorsus ergo est.

*Geta.* . . . perimus; actum est.

*Sost.* Eloquere ergo, obsecro te, quid sit.

*Geta.* Jam.

*Sost.* Quid jam, Geta?

*Geta.* . . . Aeschinus . . .

*Sost.* Quid is ergo?

*Geta.* . . . alienus est a nostra familia.

*Sost.* Hei mihi, perii! — Quare?

*Geta.* Amare coepit aliam.

*Sost.* Vae miserae mihi!

*Geta.* Neque id occulte fert: ab Sannione ipse eripuit palam.

*Sost.* Satin' hoc certum est?

*Geta.* Certum: hisce oculis egomet vidi, Sostrata.

*Sost.* Ah, ah! me miseram! Quid credas jam? aut cui credas? Nostrumne Aeschinum, nostram vitam omnium, in quo nostra spes omnesque opes sitae erant? Qui sine hac jurabat se unum numquam victurum diem; qui se dicebat patrem ita obsecraturum, ut liceret hanc se uxorem ducere.

*Geta.* Hera, lacrimas mitte, ac potius quod ad hanc rem opus est, porro consule: patiamur, an narremus cuiquam?

*Canth.* Au! mi homo, sanu'ne es? An hoc proferendum tibi videtur usquam esse?

*Geta.* Mihi quidem non placet. Jam primum, illum alieno animo a nobis esse, res ipsa indicat. Nunc si hoc palam proferimus, ille inficias ibit, sat scio. Tua fama et gnatae vita in dubium veniet: tum si maxime fateatur, quum aliam amet, non est utile, hanc illi dari. Quapropter quoquo pacto tacito est opus.

*Sost.* Ah, minime gentium! Non faciam.

*Get.* Quid ages?

*Sost.* Proferam.

*Get.* Hem, mea Sostrata, vide quam rem agas.

*Sost.* Pejore res loco non potest esse, quam in hoc, quo nunc sita est. Virgo indotata est. Hoc reliquum est: si inficias ibit, testis mecum est annulus, quem amiserat. Postremo quando ego conscia mihi sum, a me culpam esse hanc procul, neque pretium neque rem ullam intercessisse, illa aut me indignam; Geta experiar.

*Get.* Quid istic? Accedo, ut melius dicas.

*Sost.* Tu, quantum potes, abi, atque Hegioni, cognato ejus, rem omnem narrato ordine: nam is nostro Simulo fuit summus, et nos coluit maxime.

*Get.* Nam, hercle, alius nemo respicit nos.

## S c e n a 2.

*Demea. Syrus.*

*Demea.* **D**isperii. Ctesiphonem audivi filium una adfuisse in raptione cum Aeschino. Id misero restat mihi mali, si illum potest, qui alicui rei est, etiam ad nequitiam abducere. Ubi ego illum quaeram? — Sed eccum Syrum ire video: hinc scibo jam, ubi siet. Atque, hercle, hic de grege illo est: si me senserit eum quaeritare, numquam dicet carnufex. Non ostendam me id velle.

*Syr.* Omnem rem modo seni, quo pacto haberet, enarsumus ordine: nihil vidi quidquam laetius.

*Dem.* Proh Jupiter! hominis stultitiam.

*Syr.* Collaudavit filium: mihi, qui id dedissem consilium, egit gratias.

*Dem.* Disrumpor.

*Syr.* Argentum adnumeravit illico: dedit praeterea in sumtum dimidium minae; id distributum sane est ex sententia.

*Dem.* Hem, huic mandes, si quid recte curatum velis.

*Syr.* Ehem, Demea! Haud adspexeram te. Quid agitur?

*Dem.* Quid agatur! Vostram nequeo mirari satis rationem.

*Syr.* Est hercle inepta, ne dicam dolo, atque absurda. — Pisces ceteros purga, Dromo: congruum istum maximum in aqua sinito ludere paullisper: ubi ego venero, exossabitur: prius nolo.

*Dem.* Haecine flagitia!

*Syr.* Mihi quidem non placent: et clamo saepe. Salsamenta haec, Stephano, fac macerentur pulchre.

*Dem.* Dii vostram fidem! Utrum studione id sibi habet, an laudi putat fore, si perdidit gnatum. Vae misero mihi. Videre videor jam diem illum, quum hinc egens profugiet aliquo militatum.

*Syr.* O Demea, istuc est sapere, non quod ante pedes est, videre, sed etiam illa, quae futura sunt, prospicere.

*Dem.* Quid? Istaec jam penes vos psaltria est?

*Syr.* Ellam intus.

*Dem.* Eho, an domi est habiturus?

*Syr.* Credo, ut est dementia.

*Dem.* Haecine fieri!

*Syr.* Inepta lenitas patris et facilitas prava.

*Dem.* Fratris me quidem pudet, pigetque.

*Syr.* Nimium inter vos Demea — ac non, quia ades praesens, dico, hoc pernimum interest. Tu quantus quantus, nihil nisi sapientia es, ille somnium. Sineres vero illum tuum facere haec?

*Dem.* Sinerem illum? An non sex totis mensibus prius olfecissem, quam ille quidquam coeperit?

*Syr.* Vigilantiam tuam tu mihi?

*Dem.* Sic siet modo, ut nunc est, quaeso.

*Syr.* Ut quisque suum vult esse, ita est.

*Dem.* Quid? eum vidistin' hodie?

*Syr.* Tuumne filium? — Abigam hunc rus. — Jam dudum aliquid ruri agere arbitror.

*Dem.* Satin' scis, ibi esse?

*Syr.* Oh, quem egomet produxi!

*Dem.* Optume est: metui, ne haereret hic.

*Syr.* Atque iratum admodum.

*Dem.* Quid autem?

*Syr.* Adortus jurgio fratrem apud forum de psalteria hac.

*Dem.* Ain' vero!

*Syr.* Vah, nihil reticuit. Nam ut numerabatur forte argentum, intervenit homo de improvise; coepit clamare: *Aeschine, haecine flagitia facere te? haec te admittere, indigna genere nostro?*

*Dem.* Oh, lacrumo gaudio.

*Syr.* Non tu hoc argentum perdis, sed vitam tuam.

*Dem.* Salvos sit: spero, est similis majorum suam.

*Syr.* Hui!

*Dem.* Syre, praeceptorum plenus istorum ille.

*Syr.* Phy, domi habuit, unde disceret.

*Dem.* Fit sedulo. Nihil praetermitto: consuefacio: denique inspicere, tamquam in speculum, in vitas omnium jubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi. *Hoc facito.*

*Syr.* Recte sane.

*Dem.* Hoc fugito.

*Syr.* Callide.

*Dem.* Hoc laudi est.

*Syr.* Istaec res est!

*Dem. Hoc vitio datur.*

*Syr. Probissime!*

*Dem. Porro autem.*

*Syr.* Non hercle otium est nunc mi auscultandi. Pisces ex sententia nactus sum: hi mihi ne corrumpantur, cautio est. Nam id nobis tam flagitium est, quam illa, Demea, non facere vobis, quae modo dixi. Et quod queo, conservis ad eundem istunc praecipio modum: *hoc salsum est; hoc adustum est; hoc lautum est parum; illud recte; iterum sic memento*: sedulo moneo quae possum pro mea sapientia. Postremo tamquam in speculum, in patinas, Demea, inspicere jubeo, et moneo, quid facto usus sit. Inepta haec esse, nos quae facimus, sentio. Verum quid facias? Ut homo est, ita morem geras. Num quid vis?

*Dem.* Mentem vobis meliorem dari.

*Syr.* Tu rus hinc abis?

*Dem.* Recte.

*Syr.* Nam quid tu hic agas, ubi, si quid bene praecipias, nemo obtemperet?

### S c e n a 5.

*Demea.*

**E**go vero hinc abeo, quando is, quamobrem huc veneram, rus abiit: illum curo unum, ille ad me attinet: quando ita vult frater; de istoc ipse viderit. — Sed quis illic est, quem video procul? Estne Hegio tribulis noster? Si satis cerno, is hercle! vah! homo amicus nobis jam inde a puero. Di boni, nae illiusmodi jam nobis magna civium penuria est. Homo antiqua virtute ac fide: haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice. Quam gaudeo, ubi etiam hujus generis reliquias restare video! vivere etiam nunc libet. Oppetiar hominem hic, ut salutem, et colloquar.

### S c e n a 6.

*Demea. Hegio. Geta.*

**P***Heg.* rō Di immortales, facinus indignum, Geta, quod narras!

*Get.* Sic est factum.

*Heg.* Ex illan' familia tam illiberale facinus esse ortum! O Aeschine, pol haud paternum istuc dedisti!

*Dem.* Videlicet de psaltria hac audivit. Id illi nunc dolet alieno; pater is nihili pendit. Hei mihi! utinam prope a lesset alicubi, atque audiret haec!

*Heg.* Ni facient, quae illos aequom est, haud sic auferent.

*Get.* In te spes omnis, Hegio, nobis sita est. Te solum habemus: tu es patronus, tu parens, ille tibi moriens nos commendavit senex. Si deseris tu, periiimus.

*Heg.* Cave dixeris! Neque faciam, neque me satis pie posse arbitror.

*Dem.* Adibo. — Salvare Hegionem plurimum jubeo.

*Heg.* Te quaerebam ipsum: — salve Demea.

*Dem.* Quid autem?

*Heg.* Major filius tuus Aeschinus, quem fratri adoptandum dedisti, neque boni, neque liberalis functus officium est viri.

*Dem.* Quid istuc est.

*Heg.* Ad matrem virginis venit ipsus ultro, lacrumans, orans, obsecrans, fidem dans, jurans, se illam ducturum domum. Creditum est. Ille bonus vir nobis psaltriam, si Diis placet, paravit, quicum vivat, illam deserat.

*Dem.* Pro certon' tu istaec dicis?

*Heg.* Mater virginis in medio est, ipsa virgo, res ipsa. Hic Geta praeterea, ut captus est servorum, non malus neque iners, alit illas: solus omnem familiam sustentat: hunc abduce, vinci, quaere rem.

*Get.* Imo hercle extorque, nisi ita factum est, Demea. Postremo, non negabit: coram ipsum cedo.

*Dem.* Pudet: nec quid agam, neque quid huic respondeam, scio.

*Heg.* Hem! illaec fidem nunc vestram implorat, Demea: quod vos jus cogit, id voluntate impetret. Haec primum ut fiant, Deos quaeso, ut vobis decet. Sin aliter animus vester est, ego, Demea, summa vi defendam hanc.

*Dem.* Fratrem conveniam, Hegio.

*Heg.* Sed, Demea, hoc tu facito cum animo cogites: quam vos facillume agitis, quam estis maxime potentes, dites, fortunati, nobiles: tam maxime vos

aequo animo aequa noscere oportet, si vos voltis perhiberi probos.

*Dem.* Redito. Fient, quae fieri aequum est, omnia.

*Heg.* Decet te facere. — Geta, duc me intro ad Sostratam.

*Dem.* Non me indicente haec fiunt. Utinam hoc sit modo defunctum. Verum nimia illa licentia evadet in magnum aliquod malum. Ibo, requiram fratrem, ut in eum haec evomam.

### Scena 7.

*Hegio.*

**B**ono animo fac sis, Sostrata, et istam, quod potes, fac consolere. Ego Mitionem, si apud forum est, conveniam, atque, ut res gesta est, narrabo ordine. Si est facturus, ut sit officium suum, faciat: sin aliter de hac re est ejus sententia, respondeat mihi, ut, quid agam, quam primum sciam.

### Actus IV. Scena 1.

*Ctesipho. Syrus.*

*Ctesi.* **A**in', patrem hinc abiisse rus?

*Syr.* Jam dudum.

*Ctesi.* Dic sodes.

*Syr.* Apud villam est: nunc eum maxime operis aliquid facere credo.

*Ctesi.* Illud rus nulla alia causa tam male odi, nisi quia prope: quod si abesset longius, prius nox oppressisset illic, quam huc revertier posset iterum. Nunc ubi me illic non videbit, jam huc recurret, sat scio: rogabit me, ubi fuerim; quem ego hodie toto non vidi die. Quid dicam?

*Syr.* Nihilne in mentem?

*Ctesi.* Numquam quidquam.

*Syr.* Tanto nequior. Cliens, amicus, hospes nemo est vobis?

*Ctesi.* Sunt. Quid postea?

*Syr.* Hisce opera ut data sit.

*Ctesi.* Quae non data sit? — Non potest fieri.

*Syr.* Quin tu otiosus es. Ego illius sensum pulchre calleo. Quum fervit maxume, tam placidum, quam ovem reddo.

*Ctesi.* Quo modo?

*Syr.* Laudarier te audit libenter. Facio te apud eum Deum: virtutes narro:

*Ctesi.* Meas?

*Syr.* Tuas. Homini illico lacrumae cadunt, quasi puero, gaudio. Hem tibi autem.

*Ctesi.* Quidnam est?

*Syr.* Lupus in fabula.

*Ctesi.* Paterne?

*Syr.* Is ipusus.

*Ctesi.* Syre, quid agimus?

*Syr.* Fuge modo intro: ego videro.

*Ctesi.* Si quid rogabit nusquam tu me: audistin'.

*Syr.* Potin' ut desinas.

## S c e n a 2.

*Demea. Syrus. Ctesipho.* (intus latens.)

*Dem.* **N**ae ego homo sum infelix! Primum, fratrem nusquam invenio gentium: praeterea autem, dum illum quaero, a villa mercenarium vidi: is filium negat esse ruri: nec quid agam, scio.

*Ctesi.* Syre.

*Syr.* Quid est?

*Ctesi.* Men' quaerit?

*Syr.* Verum.

*Ctesi.* Perii.

*Syr.* Quin tu animo bono es.

*Dem.* Quid hoc, malum, infelicitatis? nequeo satis decernere: nisi me credo huic esse natum rei, ferundis miseriis. Primus sentio mala nostra, primus rescisco omnia: primus porro obnuntio: aegre solus, si quid sit, fero.

*Syr.* Rideo hunc: primum ait se scire: is solus nescit omnia.

*Dem.* Nunc redeo: si forte frater redierit, viso.

*Ctesi.* Syre, obsecro, vide ne ille huc prorsus se irruat.

*Syr.* Etiam taces? Ego cavebo.

*Ctesi.* Numquam hercle hodie ego istuc committam tibi: nam me in cellam concludam: id tutissimum est.

*Syr.* Age: tamen ego hunc amovebo.

*Dem.* Sed eccum sceleratum Syrum!

### Scena 3.

*Demea. Syrus.*

*Syr.* **N**on hercle hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest. Scire equidem volo, quot mihi sint domini? Quae haec est miseria!

*Dem.* Quid ille gannit? Quid volt? Quid ais, bone vir? est frater domi?

*Syr.* Quid malum, bone vir mihi narras? equidem perii.

*Dem.* Quid tibi est?

*Syr.* Rogitas? Ctesipho me pugnis miserum usque occidit.

*Dem.* Hem, quid narras?

*Syr.* Hem, vide ut discidit labrum.

*Dem.* Quamobrem?

*Syr.* Me impulsore hanc emtam esse ait.

*Dem.* Non tu eum rus hinc modo produxe ajebas?

*Syr.* Factum: verum venit post insaniens: nihil pepercit. Non puduisse verberare hominem senem, quem ego modo puerum tantillum in manibus gestavi meis?

*Dem.* Laudo, Ctesipho! patrissas; abi, virum te judico.

*Syr.* Laudas? nae ille continebit posthac, si sapiet, manus.

*Dem.* Fortiter.

*Syr.* Perquam! quia me servolum, qui referire non audebam, vicit. Hui, perfortiter!

*Dem.* Non potuit melius; idem, quod ego, sensit, te esse huic rei caput. Sed estne frater intus?

*Syr.* Non est.

*Dem.* Ubi illum quaeram, cogito.

*Syr.* Scio, ubi sit, verum hodie numquam monstrabo.

*Dem.* Hem, quid ais?

*Syr.* Ita.

*Dem.* Diminuetur tibi quidem jam cerebrum.

*Syr.* At nomen nescio illius hominis, sed locum novi, ubi sit.

*Dem.* Dic ergo locum.

*Syr.* Nostin' porticum apud macellum hac deorsum.

*Dem.* Quidni nove'im?

*Syr.* Praeterito hac recta platea sursus: ubi eo veneris, clivus deorsum vorsus est: hac praecipitato. Postea est ad hanc manum sacellum; ibi angiportum propter est.

*Dem.* Quonam?

*Syr.* Illic, ubi etiam caprificus magna est.

*Dem.* Novi.

*Syr.* Hac pergito.

*Dem.* Id quidem angiportum non est pervium.

*Syr.* Verum, hercle! Vah! censen' hominem me esse? erravi. — In porticum rursus redi. Sane hac multo propius ibis, et minor est erratio. Scin' Cratini hujus ditis aedes?

*Dem.* Scio.

*Syr.* Ubi eas praeterieris, ad sinistram hac recta platea; ubi ad Dianae veneris, ito ad dextram: prius quam ad portam venias, apud ipsum lacum est pistrilla, et ex advorsum est fabrica: ibi est.

*Dem.* Quid ibi facit?

*Syr.* Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit.

*Dem.* Ubi potetis vos? bene sane. Sed cesso ad eum pergere?

*Syr.* I sane! Ego te exercebo hodie, ut dignus es, silicernium! — Aeschinus odiose cessat: prandium corrumpitur. Ego jam prospiciam mihi: nam jam adibo, atque unumquodque, quod quidem erit bellissimum, carpam, et cyathos sorbillans paullatim hunc produciam diem.

#### Scena 4.

*Mitio. Hegio.*

*Mit.* **E**go in hac re nihil reperio, quamobrem lauder tantopere, Hegio. Meum officium facio: quod peccatum a nobis ortum est, corrigo: nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant, sibi fieri injuriam ultro, si, quam fecere ipsi, expostules, et

ultra addeant. Id quia non est a me factum, agisne gratias?

*Heg.* Ah minime! numquam te aliter, atque es, in animum induxi meum. Sed quaeso, ut una mecum ad matrem virginis eas, Mitio, atque istaec eadem, quae mihi dixi, tute dicas mulieri, suspicionem hanc propter fratrem ejus esse, ejus esse psaltriam.

*Mit.* Si ita aequom censes, aut si ita opus est facto, eamus.

*Heg.* Bene facis: nam et illi animum jam relevabis, quae dolore ac miseria tabescit, et tu officio fueris functus. Sed si aliter putas, egomet narrabo, quae mihi dixi.

*Mit.* Imo ego ibo.

*Heg.* Bene facis. Omnes, quibus res sunt minus secundae, magis sunt, nescio quomodo, suspiciosi: ad contumeliam omnia accipiunt magis propter suam impotentiam se semper credunt laedier. Quapropter te ipsum purgare illi coram, placabilius est.

*Mit.* Et recte, et verum dicis.

*Heg.* Sequere me ergo hac intro.

*Mit.* Maxume.

## Scena 5.

### *Aeschinus.*

**D**iscrucior animi. Hoccine de improvise malum mihi objici tantum, ut, neque quid me faciam, nec quid agam, certum siet? Membra metu debilia sunt: animus timore obstupuit: pectore consistere nihil consilii quidquam potest. Vah! Quomodo me ex hac expediam turba tanta? Tanta nunc suspicio de me incidit, neque ea immerito. Sostrata credit mihi me psaltriam hanc emisse: id anus fecit indicium mihi. Nam ut rogitō: *Pamphila quid agat?* illa exclamat: „*Abi, abi jam, Aeschine! satis diu dedisti verba: sat adhuc tua nos frustrata est fides.*“ — *Hem, quid istuc obsecro, inquam, est?* — „*Valeas, habeas illam, quae placet!* — Sensi illico id illas suspicari: sed me reprehendi tamen, ne quid de fratre garrulae illi dicerem, ac fieret palam. — Nunc quid faciam? dicam, fratris esse hanc? quod minime est opus usquam efferri. Jam mitto: fieri po-

tis est, ut ne qua exeat. Ipsum id metuo, ut credant: tot concurrunt verisimilia: egomet rapui: ipsi egomet solvi argentum: ad me abducta est domum. Haec adeo mea culpa fateor fieri, non me hanc rem patri, utut erat gesta, indicasse: exorasset, ut eam ducerem. Cessatum usque adeo est. Nunc porro, Aeschine, expergiscere! — Nunc hoc primum est: ad illas ibo, ut purgem me: accedam ad fores. — Perii; horresco semper, ubi pultare hasce oecipio miser. — Heus, heus, Aeschinus ego sum: aperite acutum ostium. — Prodit nescio quis: concedam huc.

## S c e n a 6.

*Mitio. Aeschinus.*

*Mit.* Ita ut dixi, Sostrata, facite. — Ego Aeschinum conveniam, ut, quomodo acta haec sint, sciat. — Sed quis ostium hoc pultavit?

*Aeschin.* Pater, Hercle, est: perii.

*Mit.* Aeschine.

*Aeschin.* Quid huic hic negotii est?

*Mit.* Tunc has pepulisti fores? — Tacet. Cur non ludo hunc aliquantisper? melius est; quando quidem hoc numquam mihi ipse voluit credere. — Nihil mihi respondes?

*Aeschin.* Non equidem istas, quod sciam.

*Mit.* Ita? Nam mirabar, quid hic negotii esset tibi. — Erubuit; salva res est.

*Aeschin.* Dic sodes, pater, tibi vero quid istic est rei?

*Mit.* Nihil mihi quidem. Amicus quidam me a foro abduxit modo huc advocatum sibi.

*Aeschin.* Quid?

*Mit.* Ego dicam tibi. Habitant hic quaedam mulieres pauperulae: opinor, has non nosse te, et certo scio: neque enim diu huc commigrarunt.

*Aeschin.* Quid tum postea?

*Mit.* Virgo est cum matre.

*Aeschin.* Perge.

*Mit.* Haec virgo orba est patre: hic meus amicus

illi genere est proximus: huic leges cogunt nubere hanc.

*Aeschin.* Perii.

*Mit.* Quid est?

*Aeschin.* Nil: recte! perge.

*Mit.* Is venit, ut secum avehat: nam habitat Mileti.

*Aeschin.* Hem! virginem ut secum avehat?

*Mit.* Sic est.

*Aeschin.* Miletum usque, obsecro?

*Mit.* Ita.

*Aeschin.* Animo male est. — Quid ipsae? quid ajunt?

*Mit.* Quid illas censes? Nihil enim. Commenta mater est, priorem esse alium: non oportere huic dari.

*Aeschin.* Eho, nonne haec justa tibi videntur postea?

*Mit.* Non.

*Aeschin.* Obsecro, non? an illam hinc abducat, pater?

*Mit.* Quidni illam abducat?

*Aeschin.* Factum a vobis duriter, immisericorditerque; atque etiam, si est, pater, dicendum magis aperte, — illiberaliter.

*Mit.* Quamobrem?

*Aeschin.* Rogas me? Quid illi tandem creditis fore animi misero, qui infelix, haud scio an, illam misere nunc amat! — Quum hanc sibi videbit praesens praesenti eripi, abduci ab oculis? Facinus indignum, pater!

*Mit.* Qua ratione istuc? quis despondit? quis dedit? cui quando nupsit? auctor his rebus quis est? cur duxit alienam?

*Aeschin.* An sedere oportuit domi virginem tam grandem, dum cognatus huc illinc veniret, exspectantem? Haec, mi pater, te dicere aequum fuit, et id defendere.

*Mit.* Ridiculum! advorsumne illum causam dicere, cui veneram advocatus? — Sed quid ista Aeschine, nostra? aut quid nobis cum illis? Abeamus! — Quid est? quid lacrimas?

*Aeschin.* Pater, obsecro, ausculta.

*Mit.* Aeschine, audivi omnia, et scio: nam te amo. Quo magis, quae agis, curae sunt mihi.

*Aeschin.* Ita velim me promerentem ames, dum

vivas, mi pater, ut me hoc delictum admisisse in me, id mihi vehementer dolet, et me tui pudet.

*Mit.* Credo, hercle: nam ingenium novi tuum liberale: sed vereor, ne indiligens nimium sies. Numquid tute prospexti tibi, quid fieret; qua fieret? si te ipsum mihi puduit dicere; qua resciscerem? prodidisti te, atque illam miseram, quod quidem in te fuit. Quid? credebas dormienti haec tibi confecturos Deos? Nolim ceterarum rerum te socordem eodem modo. — Bono animo es, duces uxorem.

*Aeschin.* Hem!

*Mit.* Bono animo es, inquam.

*Aeschin.* Pater, obsecro, num ludis tu nunc me?

*Mit.* Ego, te? quamobrem.

*Aeschin.* Nescio: quia tam misere hoc esse cupio verum, eo vereor magis.

*Mit.* Abi domum, ac Deos comprecare ut uxorem arcessas. Abi.

*Aeschin.* Quid? jam uxorem?

*Mit.* Jam.

*Aeschin.* Jam?

*Mit.* Jam, quantum potes.

*Aeschin.* Di me, pater, omnes oderunt, ni magis te quam oculos nunc amo meos!

*Mit.* Quid? quam illam?

*Aeschin.* Aequae.

*Mit.* Perbenigne.

*Aeschin.* Quid? ille ubi est Milesius.

*Mit.* Abiit, periit, navem ascendit. Sed cur cessas?

*Aeschin.* Abi, pater: tu potius Deo comprecare. Nam tibi eos, certo scio, quo vir melior es quam ego, obtemperaturos magis.

*Mit.* Ego eo intro, ut, quae opus sunt parentur: tu fac, ut dixi, si sapis.

*Aeschin.* Quid hoc est negoti. Hoc est patrem esse, aut hoc est filium esse? Si frater, aut sodalis esset, qui magis morem gereret? Hic non amandus? hiccine non gestandus in sinu est? hem! Itaque adeo magnam mi injectit sua commoditate curam, ne forte imprudens faciam, quod nolit: sciens cavebo. Sed cesso ire intro, ne morae meis nuptiis egomet siem.

**Scena 7.***Demea.*

**D**efessus sum ambulando. Ut, Syre, te cum tua monstratione magnus perdat Jupiter! Perreptavi usque omne oppidum: ad portam, ad lacum, quo non? Neque illic fabrica ulla erat, neque fratrem homo vidisse se aiebat quisquam. Nunc vero domi certum est obsidere usque, donec redierit.

**Scena 8.***Demea. Mitio.*

*Mit.* **I**bo, illis dicam, nullam esse in nobis moram.  
*Dem.* Sed eccum ipsum!—Te jamdudum quaero  
*Mitio.*  
*Mit.* Quidnam?  
*Dem.* Fero alia flagitia ad te ingentia boni illius adolescentis.  
*Mit.* Ecce autem.  
*Dem.* Nova capitalia.  
*Mit.* Ohe, jam.  
*Dem.* Ah nescis, qui vir sit.  
*Mit.* Scio.  
*Dem.* Eho scis? et patere?  
*Mit.* Quidni patiar?  
*Dem.* Dic mihi, non clamas? non insanis?  
*Mit.* Non. Malim quidem . . .  
*Dem.* Virgo nihil habet.  
*Mit.* Audivi.  
*Dem.* Et ducenda indotata est.  
*Mit.* Scilicet.  
*Dem.* Quid nunc futurum est?  
*Mit.* Id enim, quod res ipsa fert. Illinc huc transferetur virgo.  
*Dem.* O Jupiter! Istoccine pacto oportet . . .?  
*Mit.* Quid faciam amplius?  
*Dem.* Quid facias? Si non ipsa re tibi istuc docet, simulare certe est hominis.

*Mit.* Quin jam virginem despondi, res composita est, fiunt nuptiae, demsi metum omnem: haec magis sunt hominis.

*Dem.* Ceterum, placet tibi factum, Mitio.

*Mit.* Non, si queam mutare: nunc, quum non queo, aequo animo fero. Ita vita est hominis, quasi quum ludas tesseris. Si illud, quod maxime opus est jactu, non cadit; illud, quod forte cecidit; id arte ut corrigas.

*Dem.* Corrector! — nempe tua arte viginti minae pro psaltria periere, quae, quantum potest, aliquo abjicienda est; si non pretio, gratis.

*Mit.* Neque est, neque illam sane studeo vendere.

*Dem.* Quid igitur facies?

*Mit.* Domi erit.

*Dem.* Sanumne te credis esse?

*Mit.* Equidem arbitror.

*Dem.* Ita me Di ament, ut video ego tuam ineptiam, facturum credo, ut habeas, quicum cantites.

*Mit.* Cur non?

*Dem.* Et nova nupta eadem haec discet?

*Mit.* Scilicet.

*Dem.* Tu inter eas restim ductans saltabis.

*Mit.* Probe.

*Dem.* Probe?

*Mit.* Et tu nobiscum una, si opus sit.

*Dem.* Hei mihi! non te haec pudent?

*Mit.* Jam vero omitte, Demea, tuam istanc iracundiam, atque ita, uti decet, hilarum ac lubentem, fac te gnati in nuptiis. Ego hos conveniam: post huc redeo.

*Dem.* O Jupiter! hancine vitam! hoscine mores! hanc dementiam! Uxor sine dote veniet: intus psaltria est: domus sumtuosa: adolescens luxu perditus: senex delirans. — Ipsa si cupiat, salus servare prorsus non potest hanc familiam.

## Scena 9.

*Demea. Syrus.*

*Syr.* Aedepol, Syrisce, te curasti molliter, lauteque munus administrasti tuum: abi! — sed postquam in-

*Select. Exempl. Vol. II.*

Z

tus sum omnium rerum satur prodeambulare huc libitum est.

*Dem.* Illud sis vide exemplum disciplinae.

*Syr.* Ecce autem hic adest senex noster! — Quid fit? Quid tu es tristis?

*Dem.* Oh scelus!

*Syr.* Ohe jam! tu verba fundis hic, sapientia?

*Dem.* Tu, si meus esses...!

*Syr.* Dis quidem esses, Demea, ac tuam rem constabilisses.

*Dem.* Exemplum omnibus curarem ut esses.

*Syr.* Quamobrem? quid feci?

*Dem.* Rogas? in ipsa turba atque in peccato maximo, quod vix sedatum satis est, potasti, scelus, quasi re bene gesta.

*Syr.* Sane nollem huc exitum.

### Scena 10.

*Demea. Syrus. Dromo.*

*Dromo.* **H**eus, Syre! rogat te Ctesipho, ut redeas.

*Syr.* Abi.

*Dem.* Quid Ctesiphonem hic narrat?

*Syr.* Nihil.

*Dem.* Eho, carnufex, est Ctesipho intus?

*Syr.* Non est.

*Dem.* Cur hic nominat?

*Syr.* Est alius quidam, parasitaster paullulus! nostin'?

*Dem.* Jam scibo.

*Syr.* Quid agis? quo abis?

*Dem.* Mitte me.

*Syr.* Noli inquam.

*Dem.* Non manum abstines, mastigia? An tibi jam mavis cerebrum dispergam hic?

*Syr.* Abit. — Aedepol commissatorem haud commodum, praesertim Ctesiphoni. Quid ego nunc agam? nisi dum hae silescunt turbae, interea in angulum aliquo abeam, atque obdormiscam hoc villi. Sic agam.

## Actus V. Scena 1.

*Mitio. Demea.*

**P**arata a nobis sunt, ut dixi, Sostrata, ubi vis.  
— Quisnam a me pepulit tam graviter fores?

*Dem.* Hei mihi, quid faciam? quid agam? quid clamem aut querar? O caelum, o terra, o maria Nep-tuni!

*Mit.* Hem tibi! rescivit omnem rem: id nunc clamat scilicet: illicet, paratae lites: succurrendum est.

*Dem.* Eccum! adest communis corruptela nostrum liberum.

*Mit.* Tandem reprime iracundiam, atque ad te redi.

*Dem.* Repressi, redii: mitto maledicta omnia: rem ipsam putemus: dictum inter nos hoc fuit, ex te adeo est ortum, ne tu curares meum, neve ego tuum? responde!

*Mit.* Factum est: non nego.

*Dem.* Cur nunc apud te potat? cur recipis meum? cur emis amicam, Mitio? Num qui minus mihi idem jus aequom est esse, quod mecum est tibi? Quando ego tuum non curo, ne cura meum.

*Mit.* Non aequom dicis....

*Dem.* Non?

*Mit.* Nam vetus verbum hoc quidem est, communia esse amicorum inter se omnia.

*Dem.* Facete! Nunc demum istaec nata oratio est?

*Mit.* Ausculta paucis, nisi molestum est, Demea. Principio, si id te mordet, sumtus filii quem faciunt, quaeso, facito hoc tecum cogites, tu illos duos olim pro re tollebas tua, quod satis putabas tua bona ambobus fore, et me tum uxorem credidisti scilicet ducturum. Eandem illam rationem antiquam ini; conserva, quaere, parce, fac quam plurimum illis relinquas: gloriam tu istam obtine. Mea, quae praeter spem evenerunt, utantur sine: de summa nihil decedet: quod hinc accesserit, id de lucro putato esse omne. Haec si voles in animo vere cogitare, Demea, et mihi, et tibi, et illis demseris molestiam.

*Dem.* Mitto rem: consuetudinem ipsorum...

*Mit.* Mane: scio: istuc ibam. Multa in homine, Demea, signa insunt, ex quibus conjectura facile fit, duo quum idem faciunt, saepe ut possis dicere: hoc licet impune facere huic, illi non licet; non quod dissimilis res sit, sed quod is, qui facit. Quae ego illis inesse video, ut confidam, fore ita, ut volumus. Video sapere, intellegere, in loco vereri, inter se amare: scire est liberum ingenium atque animum: quovis illos tu die reducas. At enim metuas, ne ab re sint tamen omissiores paullo. — O noster Demea, ad omnia alia aetate sapimus rectius: solum unum hoc vitium senectus adfert hominibus; attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est: quod illos sat aetas acuet.

*Dem.* Ne nimium modo bono tuae istae nos rationes, Mitio, et tuus iste animus aequus subvertant.

*Mit.* Tace, non fiet: mitte jam istaec: da te hodie mihi, experge frontem.

*Dem.* Scilicet, ita tempus est: faciendum est. Ceterum rus cras cum filio cum primo lucu.

*Mit.* Imo de nocte censeo: hodie modo hilarum fac te.

*Dem.* Et istam psaltriam una illuc mecum hinc abstraham.

*Mit.* Pugnaveris: eo pacto prorsum illic alligaveris filium. Modo facito, ut illam serves.

*Dem.* Ego istuc videro: atque ibi favillae plena, fumi ac pollinis coquendo sit faxo et molendo: praeter haec meridie ipso faciam, ut stipulam colligat. Tam excoctam reddam atque atram, quam carbo est.

*Mit.* Placet! nunc mihi videre sapere.

*Dem.* Derides? fortunatus, qui istoc animo sies! ego sentio. . . .

*Mit.* Ah, pergisne?

*Dem.* Jamjam desino.

*Mit.* Ergo intro, et cui rei opus est, ei rei hunc sumamus diem.

### Scena 2.

*Demea.*

**N**umquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit, quin res, aetas, usus semper aliquid adpor-

tet novi, aliquid moneat; ut illa, quae te scire credas, nescias, et quae tibi putaris prima, in experiendo repudies. Quod nunc mi evenit. Nam ego vitam duram, quam vixi usque adhuc, prope decurso spatio mitto. Id quamobrem? Re ipsa reperi, facilitate nihil esse homini melius neque clementia. Id esse verum ex me atque ex fratre cuiusvis facile est noscere. Ille suam semper egit vitam in otio, in conviviis: clemens, placidus, nulli laedere os, adridere omnibus: sibi vixit, sibi sumtum fecit: — omnes benedicunt, amant. Ego ille agrestis, saevus, tristis, parvus, truculentus, tenax, duxi uxorem: quam ibi miseriam vidi! nati filii, alia cura. Eja autem dum studeo, illis ut quam plurimum facerem, contrivi in quaerendo vitam atque aetatem meam. Nunc exacta aetate hoc fructi pro labore ab his fero, odium. Ille alter sine labore patria potitur commoda: illum amant, me fugitant: illi credunt consilia omnia: illum diligunt: apud illum sunt ambo: ego desertus sum. Scilicet ita eos meo labore eductos maxumo, hic fecit suos paullo sumtu: miseriam omnem ego capio, hic potitur gaudia. — Age, age, nunc experiar porro contra, ecquid ego possiem blande dicere, aut benigne facere, quando huc provocat. Ego quoque a meis me amari et magni pendere postulo. Si id fit dando atque obsequendo, non posteriores feram. Deerit? Id mea minime refert, qui sum natus maxumus.

## S c e n a 3.

Demea. Syrus.

Syr. **H**eus Demea, rogat frater, ne abeas longius.

Dem. Quis homo? — o Syre noster, salve! quid fit? quid agitur?

Syr. Recte.

Dem. Optime est. Jam nunc haec tria primum addidi praeter naturam. „O noster, quid fit? quid agitur?“ Servom haud illiberalent praebes, te, et tibi lubens bene faxim.

Syr. Gratiam habeo.

Dem. Atqui, Syre, hoc verum est: et ipsa re experiere propediem.

## S c e n a 4.

*Demea. Syrus. Geta.*

*Geta.* **H**era, ego huc ad hos proviso, quam mox virginem arcessant. — Sed eccum Demeam! — Salvus sies!

*Dem.* Oh, — qui vocare?

*Geta.* Geta.

*Dem.* Geta, hominem maximi pretii esse te hodie judicavi animo meo. Nam is mihi profecto est servus spectatus satis, cui dominus curae est ita, ut tibi sensi, Geta. Et tibi ob eam rem, si quid usus venerit, lubens bene faxim. — Meditor esse abfabilis, et bene procedit.

*Geta.* Bonus es, quum haec existimas.

*Dem.* Paullatim plebem primulum facio meam.

## S c e n a 5.

*Demea. Aeschinus. Syrus. Geta.*

*Aesch.* **O**ccidunt me quidem, dum nimi' sanctas nuptias student facere, in adparando totum consumunt diem.

*Dem.* Quid agitur, Aeschine?

*Aesch.* Ehem, pater mihi, tu hic eras?

*Dem.* Tuus, hercle, et animo et natura pater, qui te amat plus, quam hosce oculos. Sed cur non domum uxorem arcessis?

*Aesch.* Cupio; verum hoc mihi morae est tibicina, et hymenaeum qui cantent.

*Dem.* Eho, vin' tu huic seni auscultare?

*Aesch.* Quid.

*Dem.* Missa haec face, hymenaeum, turbas lampadas, tibicinas: atque hanc in horto maceriam jube dirui quantum potest: hac transfer, unam fac domum: traduce et matrem et familiam omnem ad nos.

*Aesch.* Placet, pater lepidissime.

*Dem.* Euge, jam lepidus vocor. — Fratri aedes fient perviae: turbam domum adducet, ad sumtum admittet multa: quid mea? ego lepidus inco gratiam; ubi nunc item dinumeret ille Babylo viginti minas. — Syre, cessas ire ac facere?

*Syr.* Quid, ergo?

*Dem.* Dirue. (ad *Getam.*) Tu illas abi et traduce.

*Get.* Di tibi, *Demea*, bene faciant, quum te video nostrae familiae tam ex animo factum velle.

*Dem.* Dignos arbitror. — Quid tu ais?

*Aesch.* Nihil enim vidi melius, mi pater.

*Dem.* Sic soleo: sed ecce cum *Mitio* egreditur foras.

### S c e n a 6.

*Mitio. Demea. Aeschinus.*

*Mit.* **J**ubet frater? ubi is? — Tune jubes hoc, *Demea*?

*Dem.* Ego vero jubeo et hac re et aliis omnibus quam maxime unam facere nos hanc familiam, colere, adjuvare, adjungere.

*Aesch.* Ita quaeso, pater.

*Mit.* Haud aliter censeo.

*Dem.* Imo, hercle, ita nobis decet. Primum hujus uxoris est mater.

*Mit.* Quid postea?

*Dem.* Proba et modesta.

*Mit.* Ita ajunt.

*Dem.* Natu grandior.

*Mit.* Scio.

*Dem.* Sola est.

*Mit.* Quam hic rem agit?

*Dem.* Hanc te aequom est ducere, et te (ad *Aeschinum.*) operam, ut fiat, dare.

*Mit.* Me ducere autem?

*Dem.* Te.

*Mit.* Me?

*Dem.* Te, inquam.

*Mit.* Ineptis.

*Dem.* Si tu sis homo, hic faciat.

*Aesch.* Mi pater.

*Mit.* Quid? tu autem huic, asine, auscultas?

*Dem.* Nihil agis: fieri aliter non potest.

*Mit.* Deliras.

*Aesch.* Sine, te exorem, mi pater!

*Mit.* Insanis? — Aufer!

*Dem.* Age, da veniam filio.

*Mit.* Satin' sanus est? Ego novus maritus anno decimum quinto et sexagesimo fiam? atque anum decrepitam ducam? idne estis auctores mihi?

*Aesch.* Fac, promisi ego illis.

*Mit.* Promisti autem? de te largitor, puer.

*Dem.* Age: quid, si quid te majus oret?

*Mit.* Quasi non hoc sit maximum!

*Dem.* Da veniam.

*Aesch.* Ne gravere.

*Dem.* Fac; permitte.

*Mit.* Non omittis?

*Aesch.* Non, nisi te exorem.

*Mit.* Vis est haec quidem.

*Dem.* Age prolixè, Mitio.

*Mit.* Etsi hoc mihi pravum, ineptum, absurdum, atque alienum a vita mea videtur: si vos tantopere istuc voltis, fiat.

*Aesch.* Bene facis.

*Dem.* Merito te amo. Verum quid ego dicam? Hoc confice, quod volo.

*Mit.* Quid nunc?

*Dem.* Quod restat: Hegio his est cognatus proximus, adfinis nobis, pauper: bene nos aliquid facere illi decet.

*Mit.* Quid facere?

*Dem.* Agelli est hic sub urbe paullulum, quod locitas foras, huic demus, qui fruatur.

*Mit.* Paullulum id autem?

*Dem.* Si multum est, tamen faciendum est: pro patre huic est, bonus est, noster est, recte datur. Postremo non meum illud verbum facio, quod tu, Mitio, bene et sapienter dixi dudum: *Vitium commune omnium est, quod nimium ad rem in senecta attenti sumus.* — Hanc maculam nos decet effugere, dictum est vere, et re ipsa fieri oportet Mitio.

*Mit.* Quid istic? dabitur quidem, quando hic volt.

*Aesch.* Mi pater.

*Dem.* Nunc tu mihi, Mitio, es germanus pariter animo et corpore.

*Mit.* Gaudeo.

*Dem.* Suo sibi gladio hunc jugulo.

### Scena 7.

*Mitio. Demea. Aeschinus. Syrus.*

*Syr.* **F**actum est, quod jussisti, Demea.

*Dem.* **F**rugi homo es: ego, aedepol, hodie mea

quidem sententia judico, Syrum fieri, esse aequom, liberum

*Mit.* Istunc liberum? quodnam ob factum?

*Dem.* Multa.

*Syr.* O noster Demea, aedepol, vir bonus es. Ego istos vobis usque a pueris curavi ambos sedulo, docui, monui, bene praecepi semper, quae potui, omnia.

*Dem.* Res adparet: et quidem porro haec, obsonare cum fide, adparare de die convivium. Non, mediocris hominis haec sunt officia.

*Syr.* O lepidum caput!

*Dem.* Postremo, hodie in psaltria emunda hic adjutor fuit, hic curavit: prodesse aequom est: alii meliores erunt: denique hic volt fieri.

*Mit.* (ad Aeschinum) Vin' tu hoc fieri?

*Aesch.* Cupio.

*Mit.* Siquidem tu vis: Syre, cho accede hu ad me, Liber esto!

*Syr.* Bene facis. Omnibus gratiam habeo, et seorsum tibi praeterea, Demea.

*Dem.* Gaudeo.

*Aesch.* Et ego.

*Syr.* Credo. — Utinam hoc perpetuum fiat gaudium; Phrygiam ut uxorem meam una mecum videam liberam.

*Dem.* Optumam quidem mulierem.

*Syr.* Di tibi Demea, omnes semper omnia optata offerant!

*Mit.* Syre, processisti hodie pulchre.

*Dem.* Si quidem porro, Mitio, tu tuum officium facies, atque huic aliquid paullulum prae manu dederis, unde utatur: reddet tibi cito.

*Mit.* Istoc vilius.

*Aesch.* Frugi homo est.

*Syr.* Reddam hercle, da modo.

*Aesch.* Age pater.

*Mit.* Post consulam.

*Dem.* Faciet.

*Syr.* O vir optime!

*Aesch.* O mi pater festivissime!

*Mit.* Quid istuc? quae res tam repente mores mutavit tuos? quod prolubium? quae istaec subita est largitas?

*Dem.* Dicam tibi: ut id ostenderem, quod te isti

facilem et festivum putant, id non fieri ex vera vita, neque adeo ex aequo et bono; sed ex adsentando, indulgendo et largiendo, Mitio. Nunc adeo, si ob eam rem vobis vita mea invisa est, Aescline, quia non justa, injusta, prorsus omnia omnino obsequor: missa facio: effundite, emite, facite, quod vobis lubet. Sed si id vultis potius, quae vos propter adolescentiam minus videtis, magis impense cupitis, consulitis parum, haec reprehendere et corrigere me, et obsecundare in loco; ecce me, qui id faciam vobis.

*Aesch.* Tibi, pater, permittimus: plus scis, quid facto opus siet. Sed de fratre quid fiet?

*Dem.* Sino, habeat: in instac finem faciat.

*Mit.* Istuc recte.

*Dem.* Plaudite!

## V. E p i c a.

P. Virgilii Maronis Aeneidos.

Lib. II.

A r g u m e n t u m.

*Aeneas, Troja per Graecos eversa; ad litus Africum tempestate adpulsus, Didoni inter convivium excidii Trojani seriem narrat: ea est hujusmodi: Graeci decimo belli Trojani anno, adtritit jam viribus, diffidentesque virtuti, ad dolum confugiunt; nocteque ea, quae urbis incendium antecessit, fugam simulantes, circa Tenedum latitant, relicto in regione Trojana equo ligneo tantae altitudinis, ut urbis portis non posset recipi, ejusque utero lectissimum quemque procerum includunt. Trojani partim Sinonis fraude impulsus, partim Laocoontis supplicio territi, diruta muri parte, equum in arce statuunt. Nocte intempesta Graeci a Tenedo profecti, per eam muri ruinam, qua introductus erat equus, urbem invadunt. Sinon reserato equi utero armatos emittit; omnia ferro flammisque foedantur. Aeneas interim ab Hectore in somnis admonetur, ut sibi consulat fuga, deosque patrios incendio eripiat. Ille tamen honestam mortem turpi fugae praeferebat, frustra in arma ruit. Satis feliciter primus impetus succedit Trojanis, donec Ceroebi consilium sequuti, sumtis Graecorum armis,*

suorum telis obruuntur. Interea Priami regia oppugnatur, Priamusque ipse a Pyrrho, Achillis filio, interficitur. Aeneas itaque, omnibus frustra tentatis quum jam nihil spei reliquum esset, sacra committit. Anchisae patri, eoque in humeros suos sublato, adsumisque Ascanio filio Creusaque uxore, fugam adripit, Graecis a tergo insequentibus. In eo tumultu amittit Creusam; cujus quaerendae causa per urbem totam oberranti obviam fit uxoris umbra, maritumque mortis suae facit certiozem. Ipse revertitur ad socios, quo jam magnus virorum mulierumque numerus confluerat, ejus auspiciam, quo cumque terrarum vellet abducere, sequi paratus.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant:  
 Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto:  
 Infandum, regina, jubes renovare dolorem;  
 Trojanas ut opes et lamentabile regnum  
 Eruerint Danaï; quaeque ipse miserrima vidi, 5  
 Et quorum pars magna fui. Quis talia fando,  
 Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulyxi,  
 Temperet a lacrimis? et jam nox humida caelo  
 Praecipitat, suadentque cadentia sidera somnos.  
 Sed, si tantus amor casus cognoscere nostros  
 Et breviter Trojae supremum audire laborem: 10  
 Quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit,  
 Incipiam. Fracti bello, fatisque repulsi,  
 Ductores Danaum, tot jam labentibus annis,  
 Instar montis equum, divina Palladis arte,  
 Aedificant, sectaque intexunt abjete costas, 15  
 Votum pro reditu simulant; ea fama vagatur,  
 Huc delecta virum sortiti corpora furtim  
 Includunt caeco lateri, penitusque cavernas  
 Ingentes uterumque armato milite complent.  
 Est in conspectu Tenedos, notissima fama 20  
 Insula, dives opum, Priami dum regna manebant;  
 Nunc tantum sinus, et statio male fida carinis.  
 Huc se profecti deserto in litore condunt.  
 Nos abiisse rati, et vento petiisse Mycenas.  
 Ergo omnis longo solvit se Teuceria luctu: 25  
 Panduntur portae, juvat ire, et Dorica castra,  
 Desertosque videre locos litusque relictum.  
 Hic Dolopum manus, hic saevus tendebat Achilles;  
 Classibus hic locus: hic acie certare solebant. 30

- Pars stupet innuptae donum exitiale Minervae,  
 Et molem mirantur equi; primusque Thymoetes  
 Duci intra muros hortatur, et arce locari;  
 Sive dolo, seu jam Trojae sic fata ferebant.
- 35 At Capys, et quorum melior sententia menti,  
 Aut pelago Danaum insidias suspectaque dona  
 Praecipitare jubent, subjectisque urere flammis;  
 Aut terebrare cavas uteri et tentare latebras.  
 Scinditur incertum studia in contraria vulgus.
- 40 Primus ibi ante omnes, magna comitante caterva,  
 Laocoon ardens summa decurrit ab arce;  
 Et procul, o miseri, quae tanta insania, cives?  
 Creditis auctos hostis? aut ulla putatis  
 Dona carere dolis Danaum? sic notus Ulyxes?
- 45 Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi,  
 Aut haec in nostros fabricata est machina muros,  
 Inspectura domos, venturaque desuper urbi;  
 Aut aliquis latet error: equo ne credite Teucri.  
 Quidquid id est; timeo Danaos et dona ferentes.
- 50 Sic fatus, validis ingentem viribus hastam  
 In latus, inque feri curvam compagibus alvum  
 Contorsit. Stetit illa tremens, uteroque recusso  
 Insonuere cavae gemitumque dedere cavernae.  
 Et, si fata Deum, si mens non laeva fuisset,
- 55 Impulerat ferro Argolicas foedare lat. bras:  
 Trojaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.  
 Ecce manus juvenem interea post terga revinctum  
 Pastores magno ad regem clamore trahebant  
 Dardanidae: qui se ignotum venientibus ultro,
- 60 Hoc ipsum ut strueret, Trojamque aperiret Achivis,  
 Obtulerat, fidens animi, atque in utrumque paratus,  
 Seu versare dolos; seu certae occumbere morti.  
 Undique visendi studio Trojana juvenus  
 Circumfusa ruit, certantque illudere capto.
- 65 Accipe nunc Danaum insidias, et crimine ab uno  
 Disce omnis.  
 Namque ut conspectu in medio turbatus, inermis  
 Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit:  
 Heu! quae nunc tellus, inquit, quae me aequora possunt
- 70 Accipere? aut quid jam misero mihi denique restat?  
 Cui neque apud Danaos usquam locus et super ipsi  
 Dardanidae infensi poenas cum sanguine poscunt.  
 Quo gemitu conversi animi, compressus et omnis  
 Impetus. Hortamur fari, quo sanguine cretus,

- Quidve ferat; memoret, quæ sit fiducia capto. 75  
 Ille hæc, deposita tandem formidine, fatur:  
 Cuncta equidem tibi, rex, fuerit quodcumque, fatebor  
 Vera, inquit: neque me Argolica de gente negabo;  
 Hoc primum. Nec, si miserum fortuna Sinœem  
 Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget. 80  
 Tando aliquod si forte tuas pervenit ad aures  
 Belidæ nomen Palamedis, et inclyta fama  
 Gloria; quem falsa sub prodicione Pelasgi  
 Insontem, infando indicio, quia bella vetabat,  
 Demisere neci; nunc cassum lumine lugent: 85  
 Illi me comitem, et consanguinitate propinquum,  
 Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.  
 Dum stabat regno incolumis, regnumque vigebat  
 Consiliis, et nos aliquod nomenque decusque  
 Gessimus. Invidia postquam pellacis Ulyxi 90  
 (Haud ignota loquor) superis concessit ab oris:  
 Adflctus vitam in tenebris luctuque trahebam,  
 Et casum insontis mecum indignabar amici.  
 Nec tacui demens; et me, fors si qua tulisset,  
 Si patrios umquam remeassem victor ad Argos, 95  
 Promisi ultorem; et verbis odia aspera movi.  
 Hinc mihi prima mali labes; hinc semper Ulyxes  
 Criminibus terrere novis; hinc spargere voces  
 In vulgum ambiguas, et quaerere conscius arma.  
 Nec requievit enim, donec Calchante ministro. . . . . 100  
 Sed quid ego hæc autem nequidquam ingrata revolvo?  
 Quidve moror? si omnes uno ordine habetis Achivos;  
 Idque audire sat est: jam dudum sumite poenas.  
 Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridae.  
 Tum vero ardemus scitari et quaerere causas, 105  
 Ignari scelerum tantorum artisque Pelasgae.  
 Prosequitur pavitans, et ficto pectore fatur;  
 Saepe fugam Danaï Troja cupiere relicta  
 Moliri, et longo fessi discedere bello.  
 Fecissentque utinam! saepe illos aspera ponti 110  
 Interclusit hiems, et terruit Auster euntes.  
 Praecipue, quum jam hic trabibus contextus acernis  
 Staret equus, toto sonuerunt aethere nimbi.  
 Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phoebi  
 Mittimus; isque adytis hæc tristia dicta reportat: 115  
 Sanguine placastis ventos et virgine caesa,  
 Quum primum Iliacas, Danaï venistis ad oras,  
 Sanguine quaerendi reditus, animaque litandum

- Argolica. Volgi quæ vox ut venit ad aures,  
 120 Obstupuere animi, gelidusque per ima cucurrit  
 Ossa tremor; cui fata parent, quem poscat Apollo,  
 Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu  
 Protrahit in medios; quæ sint ea numina Divom  
 Flagitat. Et mihi jam multi crudele canebant  
 125 Artificis scelus, et taciti ventura videbant.  
 Bis quinos silet ille dies, tectusque recusat  
 Prodere voce sua quemquam, aut opponere morti,  
 Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,  
 Composito rumpit vocem, et me destinat arae.  
 130 Adsensere omnes, et quæ sibi quisque timebat,  
 Unius in miseri exitium conversa tulere.  
 Jamque dies infanda aderat; mihi sacra parari,  
 Et salsæ fruges, et circum tempora vittæ.  
 Eripui, fateor, letho me, et vincula rupi;  
 135 Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva  
 Delitui, dum vela darent si forte, dedissent.  
 Nec mihi jam patriam antiquam spes ulla videndi,  
 Nec dulces natos exoptatumque parentem;  
 Quos illi fors ad poenas ob nostra reposcent  
 140 Effugia, et culpam hanc miserorum morte piabunt,  
 Quod te, per superos et conscia numina veri,  
 Per, si qua est, quæ restet adhuc mortalibus usquam  
 Intemerata fides, oro, miserere laborum  
 Tantorum, miserere animi non digna ferentis.  
 145 His lacrimis vitam damus, et miserescimus ultro.  
 Ipse viro primus manicas atque arcta levari  
 Vincla jubet Priamus; dictisque ita fatur amicis:  
 Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Grajos:  
 Noster eris; mihi que hæc edissere vera roganti:  
 150 Quo molem hanc immanis equi statuere? quis auctor?  
 Quidve petunt? quæ religio? aut quæ machina belli?  
 Dixerat. Ille dolis instructus et arte Pelasga,  
 Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas:  
 Vos æterni ignes, et non violabile vestrum  
 155 Testor numen, ait; vos, arae, ensesque nefandi,  
 Quos fugi, vittæque deum, quas hostia gessi;  
 Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura,  
 Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,  
 Si qua tegunt: teneor patriæ nec legibus ullis.  
 160 Tu modo promissis maneat, servataque serves  
 Troja fidem: si vera feram, si magna rependam.

- Omnis spes Danaum, et coepta fiducia belli  
 Palladis auxiliis semper stetit. Impius ex quo  
 Tydides sed enim scelerumque inventor Ulyxes,  
 Fatale adgressi sacrato avellere templo 165  
 Palladium, caesis summae custodibus arcis,  
 Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis  
 Virgineas ausi divae contingere vittas:  
 Ex illo fluere ac retro sublapsa referri  
 Spes Danaum, fractae vires, aversa deae mens. 170  
 Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.  
 Vix positum castris simulacrum, arsere coruscae  
 Luminibus flammae adrectis; salsusque per artus  
 Sudor iit, terque ipsa solo (mirabile dictu)  
 Emicuit: parmamque ferens hastamque trementem. 175  
 Extemplo tentanda fuga canit aequora Calchas,  
 Nec posse Argolicis excindi Pergama telis,  
 Omina ni repetant Argis, numenque reducant,  
 Quod pelago et curvis secum avexere carinis.  
 Et nunc, quod patrias vento petiere Mycenae, 180  
 Arma deosque parant comites; pelagoque remenso  
 Improvisi aderunt: ita digerit omina Calchas.  
 Hanc, pro Palladio, moniti, pro numine laeso,  
 Effigiem statuere, nefas quae triste piaret.  
 Hanc tamen immensam Calchas attollere molem 185  
 Roboribus textis, caeloque educere jussit;  
 Ne recipi portis, aut duci in moenia possit,  
 Neu populum antiqua sub religione tueri.  
 Nam si vestra manus violasset dona Minervae,  
 Tum magnum exitium (quod di prius omen in ipsum 190  
 Convertant) Priami imperio Phrygibusque futurum;  
 Sin manibus vestris vestram ascendisset in urbem,  
 Ultra Asiam magno Pelopea ad moenia bello  
 Venturam, et nostros ea fata manere nepotes.  
 Talibus insidiis perjurique arte Sinonis 195  
 Credita res: captique dolis lacrimisque coactis,  
 Quos neque Tydides, nec Larissaeus Achilles,  
 Non anni domuere decem, non mille carinae,  
 Hic aliud majus miseris multoque tremendum  
 Objicitur magis, atque improvida pectora turbat. 200  
 Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos;  
 Solennes taurum ingentem mactabat ad aras.  
 Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta  
 (Horresco referens) immensis orbibus angues  
 Incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt; 205

- Pectora quorum inter fluctus adrecta, jubaeque  
 Sanguineae exsuperant undas; pars cetera pontum  
 Pone legit, sinuantque immensa volumine terga  
 Fit sonitus, spumante salo: jamque arva tenebant,  
 210 Ardentesque oculos suffecti sanguine et igni,  
 Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.  
 Diffugimus visu exsanguis. Illi agmine cert  
 Laocoonta petunt; et primum parva duorum  
 Corpora natorum serpens amplexus uterque  
 215 Implicat, et miseros morsu depascitur artus.  
 Post ipsum, auxilio subeuntem ac tela ferentem,  
 Corripiunt, spirisque ligant ingentibus; et jam  
 Bis medium amplexi, bis collo squamea circum  
 Terga dati, superant capite et cervicibus altis.  
 220 Ille simul manibus tendit divellere nodos,  
 Perfusus sanie vittas atroque veneno;  
 Clamores simul horrendos ad sidera tollit:  
 Qualis mugitus, fugit quum saucius aram  
 Taurus, et incertam excussit cervice securim.  
 225 At gemini lapsu delubra ad summa dracones  
 Effugiunt, saevaeque petunt Tritonidis arcem:  
 Sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur.  
 Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis  
 Insinuat pavor; et scelus expendisse merentem  
 230 Laocoonta ferunt: sacrum qui cuspide robor  
 Laeserit, et tergo sceleratam intorserit hastam.  
 Ducendum ad sedes simulacrum, orandaque divae  
 Numina, conclamant.  
 Dividimus muros, et moenia pandimus urbis.  
 235 Accingunt omnes operi, pedibusque rotarum  
 Subjiciunt lapsus, et stuppea vincula collo  
 Intendunt. Scandit fatalis machina muros,  
 Feta armis. Pueri circum innuptaeque puellae  
 Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.  
 240 Illa subit, mediaeque minans illabitur urbi.  
 O patria! o divom domus Ilium! et inclyta bello  
 Moenia Dardanidum! quater ipso in limine portae  
 Substitit, atque utero sonitum quater arma dederat.  
 Instamus tamen immemores caecique furore,  
 245 Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.  
 Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris  
 Ora, dei jussu non umquam credita Teucris.  
 Nos delubra deum miseri, quibus ultimus esset  
 Ille dies, festa velamus fronde per urbem.

Vertitur interea caelum; et ruit oceano nox; 250  
 Involvens umbra magna terramque, polumque,  
 Myrmidonumque dolos: fusi per moenia Teucri  
 Conticuerunt; sopor fessos complectitur artus.  
 Et jam Argiva phalanx instructis navibus ibat.  
 A Tenedo, tacitae per amica silentia lunae, 255  
 Litora nota petens: flammas quum regia puppis  
 Extulerat, fatisque deum defensus iniquis,  
 Includit utero Danaos et pinea furtim  
 Laxat claustra Sinon: illos patefactus ad auras  
 Reddit equus: laetique cavo se robore promunt 260  
 Thessaandrus Sthenelusque duces, et dirus Ulyxes.  
 Demissum lapsi per funem, Athamasque, Thoasque,  
 Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon,  
 Et Menelaus, et ipse doli fabricator Epeos.  
 Invadunt urbem somno vinoque sepultam; 265  
 Caeduntur vigiles, portisque patentibus omnis  
 Accipiunt socios atque agmina conscia jungunt.  
 Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris  
 Incipit, et dono divom grauissera serpit.  
 Insomnis ecce ante oculos moestissimus Hector 270  
 Visus adesse mihi, largosque effundere fletus.  
 Raptatus bigis, ut quondam, atterque cruento  
 Pulvere, perque pedes trajectus lora tumentis.  
 Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo  
 Hectore, qui redit exuvias indutus Achillis, 275  
 Vel Danaum Phrygios jaculatus puppibus ignis!  
 Squalentem barbam, et concretos sanguine crinis,  
 Vulneraque illa gerens, quae circum plurima muros  
 Accepit patrios. Ultero flens ipse videbar  
 Compellare virum, et moestas exprimere voces: 280  
 O lux Dardaniae! spes o fidissima Teucrum!  
 Quae tantae tenere morae? quibus Hector ab oris  
 Expectate venis? ut te post multa tuorum  
 Lunera, post varios hominumque urbisque labores,  
 Defessi adspicimus! quae causa indigna serenae 285  
 Foedavit voltus? aut cur haec volnera cerno?  
 Ille nihil: nec me quaerentem vana moratur;  
 Sed graviter gemitus imo de pectore ducens,  
 Heu! fuge, nate dea, teque his, ait, eripe flammis:  
 Hostis habet muros; ruit alto a culmine Troja. 290  
 Sat patriae Priamoque datum. Si Pergama dextra  
 Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.  
 Sacra suosque tibi commendat Troja Penates:

- Hos cape fatorum comites; his moenia quaere,  
 295 Magna pererrato statues quae denique ponto.  
 Sic ait, et manibus vittas; Vestamque potentem,  
 Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.  
 Diverso interea miscentur moenia luctu;  
 Et magis atque magis, quamquam secreta parentis  
 300 Anchisae domus arboribusque oblecta recessit,  
 Claescent sonitus; amorumque ingruit horror.  
 Excitior somno, et summi fastigia tecti  
 Adscensu supero, atque adrectis auribus adsto:  
 In segetem veluti quum flamma furentibus austris  
 305 Incidit, aut rapidus montano flumine torrens  
 Sternit agros, sternit sata laeta, boumque labores,  
 Praecipitesque trahit silvas; stupet inscius alto  
 Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.  
 Tum vero manifesta fides, Danaumque patescunt  
 310 Insidiae: jam Deiphobi dedit ampla ruinam,  
 Volcano superante, domus; jam proximus ardet  
 Ucalegon; Sigea igni freta lata relucent.  
 Exoritur clamorque virum clangorque tubarum.  
 Arma amens capio; nec sat rationis in armis;  
 315 Sed glomerare manum bello, et concurrere in arcem  
 Cum sociis ardent animi. Furor iraque mentem  
 Praecipitant, pulchrumque mori succurrit in armis.  
 Ecce autem telis Panthus elapsus Achivom,  
 Panthus Othryades, arcis Phoebique sacerdos,  
 320 Sacra manu, victosque deos, parvumque nepotem  
 Ipse trahit, cursuque amens ad limina tendit.  
 Quo res summa loco, Panthu? quam prendimus arcem?  
 Vix ea fatus eram, gemitu quum talia reddidit:  
 Venit summa dies et ineluctabile tempus  
 325 Dardaniae: fuimus Troes; fuit Ilium, et ingens  
 Gloria Teucrorum: ferus omnia Jupiter Argos  
 Transtulit: incensa Danai dominantur in urbe.  
 Arduus armatos mediis in moenibus adstans  
 Fundit equus, victorque Sinon incendia miscet  
 330 Insultans: portis alii bipatentibus adsunt,  
 Millia quot magnis umquam venere Mycenis.  
 Obsedere alii telis angusta viarum  
 Oppositi: stat ferri acies mucrone corusco  
 Stricta, parata neci; vix primi proelia tentant  
 335 Portarum vigiles, et caeco Marte resistunt.  
 Talibus Othryadae dictis et numine divom  
 In flammis et in arma feror, quo tristis Erinnyis

Quo fremitus vocat, et sublatus ad aethera clamor.  
 Addunt se socios ripeus, et maxumus armis  
 Epytus: oblatis per lunam Hypanisque, Dymasque  
 Et lateri adglomerant nostro; juvenisque Coroebus 340  
 Mygdonides. Illis ad Trojam forte diebus  
 Venerat insano Cassandrae incensus amore;  
 Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat;  
 Infelix, qui non sponsae praecepta parentis  
 Audierit. 345  
 Quos ubi confertos audere in proelia vidi,  
 Incipio super his: Juvenes, fortissima frustra  
 Pectora, si vobis audentem extrema cupido  
 Certa sequi (quae sit rebus fortuna videtis:  
 Excessere omnes adytis arisque relictis 350  
 Di, quibus imperim hoc steterat: succurritis urbi  
 Incensae) moriamur, et in media arma ruamus:  
 Una salus victis nullam sperare salutem.  
 Sic animis juvenum furor additus. Inde, lupi ceu  
 Raptores atra in nebula, quos improba ventris 355  
 Exegit caecos rabies, catulique relictis  
 Faucibus expectant siccis; per tela, per hostis  
 Vadimus haud dubiam in mortem, mediaeque tenemus  
 Urbis iter; nox atra cava circumvolat umbra.  
 Quis cladem illius noctis, quis funera fando 360  
 Explicet, aut possit lacrimis aequare labores?  
 Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos.  
 Plurima perque vias sternuntur inertia passim  
 Corpora, perque domos et religiosa deorum  
 Limina. Nec soli poenas dant sanguine Teucris; 365  
 Quondam etiam victis redit in praecordia virtus,  
 Victoresque cadunt Danaï: crudelis ubique  
 Luctus, ubique pavor et plurima mortis imago.  
 Primus se, Danaum magna comitante caterva,  
 Androgeus offert nobis, socia agmina credens 370  
 Inscius; atque ultro verbis compellat amicis:  
 Festinate, viri; nam quae tam sera moratur  
 Segnities? alii rapiunt incensa feruntque  
 Pergama; vos celsis nunc primum a navibus iis?  
 Dixit, et extemplo (neque enim responsa dabantur 375  
 Fida satis) sensit medios delapsus in hostis.  
 Obstupuit, retroque pedem cum voce repressit.  
 Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem  
 Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit,  
 Attolentem iras, et caerulea colla tumentem: 380

- Haud secus Androgeus visu tremefactus abibat,  
 Irruimus, densis et circumfundimur armis;  
 Ignarosque loci passim et formidine captos  
 Sternimus: adspirat primo fortuna labori.  
 385 Atque hic successu exsultans animisque Coroebus,  
 O socii, qua prima, inquit, fortuna salutis  
 Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur.  
 Mutemus clipeos, Danaumque insignia nobis  
 Aptemus: dolus, an virtus, quis in hoste requirat?  
 390 Arma dabunt ipsi. Sic fatus; deinde comantem  
 Androgei galeam clipeique insigne decorum  
 Induitur, laterique Argivum adcommodat ensem.  
 Hoc Ripeus, hoc ipse Dymas, omnisque juvenus  
 Laeta facit, spoliis se quisque recentibus armat.  
 395 Vadimus immixti Danais haud numine nostro;  
 Multaque per caecam congressi proelia noctem  
 Conserimus; multos Danaum demittimus Orco.  
 Diffugiunt alii ad navis, et litora cursu  
 Fida petunt; pars ingentem formidine turpi  
 400 Scandunt rursus equum, et nota conduntur in alvo.  
 Heu! nihil invitis fas quemquam fidere divis!  
 Ecce trahebatur passis Priameia virgo  
 Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervae,  
 Ad caelum tendens ardentia lumina frustra;  
 405 Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.  
 Non tulit hanc speciem furiata mente Coroebus,  
 Et sese medium injecit periturus in agmen.  
 Consequimur cuncti, et densis incurrimus armis,  
 Hic primam ex alto delubri culmine telis  
 410 Nostrorum obruimur, oriturque miserrima caedes,  
 Armorum facie et Grajarum errore jubatum.  
 Tum Danai, gemitu atque ereptae virginis ira,  
 Undique collecti invadunt: acerrimus Ajax,  
 Et gemini Atridae, Dolopumque exercitus omnis  
 415 Adversi rupto ceu quondam turbine venti  
 Confligunt, Zephyrusque, Notusque, et laetus Eois  
 Euris equis; stridunt silvae, saevitque tridenti  
 Spumeus atque imo Nereus ciet aequora fundo.  
 Isti etiam, si quos obscura nocte per umbram  
 420 Fudimus insidiis, totaque agitavimus urbe,  
 Adparent; primi clipeos mentitaque tela  
 Adgnoscent, atque ora sono discordia signant.  
 Illicet obruimur numero; primusque Coroebus,  
 Penelei dextra, divae armipotentis ad aram

Procumbit; cadit et Ripeus; justissimus unus 425  
 Qui fuit in Teucris, et servantissimus æqui:  
 Dis aliter visum. Pereunt Hyspanisque, Dymasque  
 Confixi a sociis: nec tua plurima, Panthu,  
 Labentem pietas, nec Apollinis infula textit.  
 Iliaci cineres. et flamma extrema meorum, 430  
 Testor, in occasu vestro, nec tela nec ullas  
 Vitavisse vices Danaum; et si fata fuissent,  
 Ut caderem meruisse manu. Divellimur inde,  
 Iphitus et Pelias mecum: quorum Iphitus ævo  
 Jam gravior, Pelias et vulnere tardus Ulyxi: 435  
 Protenus ad sedes Priami clamore vocati.  
 Hic vero ingentem pugnam, ceu cetera nusquam  
 Bella forent nulli tota morerentur in urbe:  
 Sic Martem indomitum, Danaosque ad tecta ruentis  
 Cernimus, obsessumque acta testudine limen. 440  
 Haerent parietibus scalae, postesque sub ipsos  
 Nituntur gradibus; clipeosque ac tela sinistris  
 Protecti obijciunt; prensant fastigia dextris.  
 Dardanidae contra turris ac tecta domorum  
 Culmina convellunt; hæ se, quando ultima cernunt, 445  
 Extrema jam in morte parant defendere telis:  
 Auratasque trabes, veterum decora alta parentum,  
 Devolvunt: aliis strictis mucronibus imas  
 Obsedere fores, has servant agmine denso.  
 Instaurati animi regis succurrere tectis, 450  
 Auxilioque levare viros, vimque addere victis.  
 Limen erat, caecaeque fores, et pervius usus  
 Tectorum inter se Priami, postesque relictæ  
 A tergo infelix qua se, dum regna manebant,  
 Saepius Andromache ferre incomitata solebat. 455  
 Ad soceros, et avo puerum Astyanacta trahebat.  
 Evado ad summi fastigia culminis; unde  
 Tela manu miseri jactabant irrita Teucri.  
 Turrin in praecipiti stantem, summisque sub astra  
 Eductam tectis, unde omnis Troja videri, 460  
 Et Danaum solitae naves, et Achaïa castra,  
 Adgressi ferro circum qua summa labantis  
 Juncturas tabulata dabant, convellimus altis  
 Sedibus, impulimusque. Ea lapsa repente ruinam  
 Cum sonitu trahit, et Danaum super agmina late 465  
 Incidit. Ast alii subeunt; nec saxa, nec ullum  
 Telorum interea cessat genus.  
 Vestibulum ante ipsum primoque in limine Pyrrhus

- Esultat telis et luce coruscus athena.
- 470 Qualis, ubi in lucem coluber mala gramina, pastus,  
Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,  
Nunc positus novus exuviis, nitidusque juventa,  
Lubrico convolvit sublato pectore terga  
Arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis.
- 475 Una ingens Periphas et equorum agitator Achillis  
Armiger Automedon, una omnis Scyria pubes  
Succedunt tecto, et flammis ad culmina jactant.  
Ipse inter primos correpta dura bipenni  
Limina perrumpit, postesque a cardine vellit
- 480 Aeratos; jamque excisa trabe firma cavavit  
Robora, et ingentem lato dedit ore fenestram.  
Adparet domus intus, et atria longa patescunt;  
Adparent Priami et veterum penetralia regum;  
Armatisque vident stantis in limine primo.
- 485 At domus interior gemitu miseroque tumultu  
Miscetur; penitusque cavae plangoribus aedes  
Femineis ululant: ferit aurea sidera clamor.  
Tum pavidae tectis matres ingentibus errant,  
Amplexaeque tenent postes, atque oscula figunt.
- 490 Instat vi patria Pyrrhus; nec claustra, neque ipsi  
Custodes sufferre valent. Labat ariete crebro  
Janua, et emoti procumbunt cardine postes  
Fit via vi; rampunt aditus; primosque trucidant  
Immissi Danaï, et late loca milite complent.
- 495 Non sic, aggeribus ruptus quum spumeus amnis  
Exiit, oppositasque evicit gurgite moles.  
Fertur in arva furens cumulo, camposque per omnis  
Cum stabulis armenta trahit. Vidi ipse furentem  
Caede Neoptoleum, geminosque in limine Atridas,
- 500 Vidi Hecubam centumque nurus, Priamumque per aras  
Sanguine foedantem, quos ipse sacraverat, ignis,  
Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum,  
Barbarico postes auro spoliisque superbi,  
Procubere. Tenent Danaï, qua deficit ignis.
- 505 Forsitan et, Priami fuerint quae fata, requiras.  
Urbis ubi captae casum, convolsaque vidit  
Limina tectorum, et medium in penetralibus hostem:  
Arma diu senior desueta trementibus aevo  
Circumdat nequidquam humeris, et inutile ferrum  
Cingitur, ac densos fertur moriturus in hostis.
- 510 Aedibus in mediis, nudoque sub aetheris axe,  
Ingens ara fuit, juxtaque veterrima laurus

Incumbens aræ, atque umbra complexa Penates.  
 Hic Hecuba et natae nequidquam altaria circum,  
 Praecipites atra ceu tempestate columbae, 515  
 Condensae, et Divom amplexae simulacra, sedebant.  
 Ipsum autem sumtis Priamum juvenilibus armis  
 Ut vidit: quae mens tam dira, miserrime conjux,  
 Impulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.  
 Non tali auxilio nec defensoribus istis 520  
 Tempus eget; non, si ipse meus nunc adforet Hector.  
 Hue tandem concede, haec ara tuebitur omnis,  
 Aut moriere simul. Sic ore effata, recepit  
 Ad sese, et sacra longaevum in sede locavit.  
 Ecce autem elapsus Pyrrhi de caede Polites, 525  
 Unus natorum Priami, per tela, per hostis,  
 Porticibus longis fugit, et vacua atria lustrat  
 Saucius: illum ardens infesto vulnere Pyrrhus  
 Insequitur, jam jamque manu tenet, et premit hasta.  
 Ut tandem ante oculos evasit et ora parentum, 530  
 Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit.  
 Hic Priamus, quamquam in media jam morte tenetur  
 Non tamen abstinuit, nec voci iraeque pepercit.  
 At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis  
 Di (si qua est caelo pietas, quae talia curet) 535  
 Persolvant grates dignas, et praemia reddant  
 Debita, qui nati coram me cernere lethum  
 Fecisti, et patrios foedasti funere voltus!  
 At non ille, satum quo te mentiris, Achilles  
 Talis in hoste fuit Priamo? sed jura fidemque 540  
 Supplicis erubuit, corpusque exsanguè sepulcro  
 Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit.  
 Sic fatus senior, telumque imbelle sine ictu  
 Conjecit, rauco, quod protenus aere repulsum,  
 Et summo clipei nequidquam umbone pependit, 545  
 Cui Pyrrhus: Referes ergo haec et nuntius ibis  
 Pelidae genitori: illi mea tristia facta  
 Degeneremque Neoptoleum narrare memento.  
 Nunc morere. Hoc dicens, altaria ad ipsa trementem  
 Traxit, et in multo lapsantem sanguine nati, 550  
 Implicuitque comam laeva, dextraque coruscum  
 Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensẽm.  
 Haec finis Priami fatorum; hic exitus illum  
 Sorte tulit, Trojam incensam et prolapsa videntem  
 Pergama, tot quondam populis terrisque superbum 555

- Regnatorem Asiae. Jacet ingens litore truncus,  
 Avolsumque humeris caput, et sine nomine corpus.  
 At me tum primum saevus circumstetit horror:  
 Obstupui; subiit cari genitoris imago
- 560 Ut regem aequaevum crudeli vulnere vidi  
 Vitam exhalantem; subiit deserta Creusa,  
 Et direpta domus, et parvi casus Iuli.  
 Respicio, et, quae sit me circum copia, lustrō.  
 Deseruere omnes defessi, et corpora saltu
- 565 Ad terram miscere aut ignibus aegra dedere.  
 Jamque adeo super unus eram; quum limina Vestae  
 Servantem et tacitam secreta in sede latentem  
 Tyndarida adspicio; dant clara incendia lucem  
 Erranti, passimque oculos per cuncta ferenti.  
 Illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros,
- 570 Et poenas Danaum et deserti conjugis iras  
 Praemetuens. Trojae et patriae communis Erinnyis,  
 Abdiderat sese atque aris invisae sedebat.  
 Exarsere ignes animo; subit ira cadentem  
 Ulcisci patriam, et sceleratas sumere poenas,
- 575 Scilicet haec Spartam incolumis patriasque Mycenae  
 Adspiciet, partoque ibit regina triumpho?  
 Conjugiumque, domumque, patres, natosque videbit,  
 Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris?  
 Occiderit ferro Priamus? Troja arserit igni?
- 580 Dardanum toties sudarit sanguine litus?  
 Non ita. Namque etsi nullum memorabile nomen  
 Feminea in poena est, nec habet victoria laudem:  
 Exstinxisse nefas tamen, et sumsisse merentis  
 Laudabor poenas; animumque explesse juvabit
- 585 Ultricis flammae, et cineres satiasset meorum.  
 Talia jactabam, ac furiata mente ferebar:  
 Quum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam  
 Obtulit, et pura per noctem in luce refulsit  
 Alma parens, confessa deam, qualisque videri
- 590 Caelicolis et quanta solet; dextraque prehensum  
 Continuit, roseoque haec insuper addidit ore:  
 Nate, quis indomitas tantas dolor excitat iras?  
 Quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit?  
 Non prius adspicies, ubi fessum aetate parentem
- 595 Liqueris Anchisen? superet conjuxne Creusa,  
 Ascaniusque puer? quos omnes undique Graeae  
 Circum errant acies; et, ni mea cura resistat,  
 Jam flammae tulerint, inimicus et hauserit ensis.

Non tibi Tyndaridis facies inuisa Lacaenae, 600  
 Culpatusve Paris; divom inclementia, divom.  
 Has evertit opes; sternitque a culmine Trojam.

Adspice; namque omnem, quae nunc obducta tuenti  
 Mortalis hebetat visus tibi et humida circum  
 Caligat, nubem eripiam: tu ne qua parentis 605  
 Jussa time, neu praeceptis parere recusa.

Hic, ubi disjectas moles avolsaque saxis  
 Saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum,  
 Neptunus muros magnoque emota tridenti  
 Fundamenta quatit, totamque ab sedibus urbem 610  
 Eruit. Hic Juno Scaeas saevissima portas  
 Prima tenet, sociumque furens a navibus agmen  
 Ferro accincta vocat.

Jam summas arcis Tritonia, respice, Pallas  
 Insedit, nimbo effulgens et Gorgone saeva. 615  
 Ipse pater Danais animos viresque secundas

Sufficit, ipse deos in Dardana suscitatur arma.  
 Eripe, nate, fugam, finemque impone labori.  
 Nusquam abero, et tutum patrio te limine sistam.  
 Dixerat, et spissis noctis se condidit umbris. 620

Adparent dirae facies, inimicaque Trojae  
 Numina magna deum.

Tum vero omne mihi visum considerare in ignis  
 Ilium, et ex imo verti Neptunia Troja.

Ac veluti summis antiquam in montibus ornum 625  
 Quum vero accisam crebrisque bipennibus instant  
 Eruere agricolae certatim; illa usque minatur,  
 Et tremefacta comam concusso vertice nutat;  
 Volneribus donec paulatim evicta, supremum  
 Congemuit, traxitque jugis avulsa ruinam. 630  
 Descendo, ac ducente deo flammam inter et hostis  
 Expedior: dant tela locum, flammaeque recedunt.

Atque ubi jam patriae perventum ad limina sedis  
 Antiquasque domos: genitor, quem tollere in altos,  
 Optabam primum montis, primumque petebam, 635

Abnegat excisa vitam producere Troja,  
 Exsiliiumque pati. Vos o, quibus integer aevi  
 Sanguis, ait, solidaeque suo stant robore vires  
 Vos, agitate fugam.

Me si caelicolae voluissent ducere vitam, 640  
 Has mihi servassent sedes. Satis una superque  
 Vidimus excidia, et captae superavimus urbi.  
 Sic o, sic positum adfati discedite corpus.

- Ipse manu mortem inveniam; miserebitur hostis,  
 Exuviasque petet: facilis jactura sepulcri.
- 645 Jam pridem invisus divis et inutilis, annos  
 Demoror, et quo me divom pater atque hominum rex  
 Fulminis adflavit ventis et contigit igni.  
 Talia perstabat memorans, fixusque manebat.  
 Nos contra effusi lacrimis, conjuxque Creusa
- 650 Ascaniusque, omnisque domus, nec vertere secum  
 Cuncta pater, fatoque urgenti incumbere vellet,  
 Abnegat, inceptoque et sedibus haeret in isdem.  
 Rursus in arma feror, mortemque miserrimus opto.  
 Nam quod consilium aut quae jam fortuna dabatur?
- 655 Mene efferre pedem: genitor, te posse relicto  
 Sperasti? tantumque nefas patrio excidit ore?  
 Si nihil ex tanta superis placet urbe relinqui,  
 Et sedet hoc animo, perituraeque addere Trojae  
 Teque tuosque juvat; patet isti Janua letho:
- 660 Jamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,  
 Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras,  
 Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignis  
 Eripis; ut mediis hostem in penetralibus, utque  
 Ascanium, patremque meum, juxtaque Creusam,
- 665 Alterum in alterius mactatos sanguine cernam?  
 Arma viri, ferte arma, vocat lux ultima victos:  
 Reddite me Danais, sinite instaurata revisam  
 Proelia; numquam omnes hodie moriemur inulti,  
 Hinc ferro accingor rursus clipeoque sinistram
- 670 Insertabam aptans, meque extra tecta ferebam.  
 Ecce autem complexa pedes in limine conjux  
 Haerebat, parvumque patri tendebat Iulum;  
 Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum;  
 Sin aliquam expertus sumtis spem ponis in armis,
- 675 Hanc primum tutare domum. Cui parvus Iulus,  
 Cui pater, et conjux quondam tua dicta relinquer?  
 Talia vociferans, gemitu tectum omne replebat;  
 Quom subitum dictuque oritur mirabile monstrum.  
 Namque, manus inter moestorumque ora parentum,
- 680 Ecce levis summo de vertice visus Iuli  
 Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli  
 Lambere flamma comas, et circum tempora pasci.  
 Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem  
 Excutere, et sanctos restinguere fontibus ignis.
- 685 At pater Anchises oculos ad sidera laetus  
 Extulit, et caelo palmas cum voce tetendit:

Jupiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,  
 Adspice nos; hoc tantum; et, si pietate meremur,  
 Da deinde auxilium, pater; atque haec omina firma.

Vix ea fatus erat senior: subitoque fragore 690

Intonuit laevum, et de caelo lapsa per umbras

Stella facem ducens multa cum luce cacurrit.

Illam, summa super labentem culmina tecti,

Cernimus Idaea claram se condere silva,

Signantemque vias; tum longo limite sulcus 695

Dat lucem, et late circum loca sulfure fumant.

Hic vero victus genitor se tollit ad auras,

Adfaturque deos, et sanctum sidus adorat.

Jam jam nulla mora est: sequor, et, qua ducitis, adsum.

Di patrii servate domum, servate nepotem: 700

Vestrum hoc augurium, vestroque in numine Troja est.

Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuso.

Dixerat ille; et jam per moenia clarior ignis

Auditur, propiusque aestus incendia volvunt.

Ergo age, care pater, cervici imponere nostrae; 705

Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit:

Quo res cumque cadent, unum et commune periculum,

Una salus ambobus erit. Mihi parvus Iulus

Sit comes; et longe servet vestigia conjux.

Vos, famuli, quae dicam, animis advertite vestris. 710

Est urbe egressis tumulus templumque vetustum

Desertae Cereris, juxtaque antiqua cupressus,

Religione patrum multos servata per annos:

Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.

Tu, genitor, cape sacra manu, Patriosque Penates: 715

Me, bello e tanto digressum et caede recenti,

Adtrectare nefas, donec me flumine vivo

Abluero.

Haec fatus, latos humeros subjectaque colla

Veste super fulvique insternor pelle leonis, 720

Succedoque oneri; dextrae se parvus Iulus

Implicuit, sequiturque patrem non passibus aequis;

Pone subit conjux. Ferimur per opaca locorum;

Et me, quem dudum non ulla injecta movebant

Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graji 725

Nunc omnes terrent aerae, sonus excitat omnis

Suspensum, et pariter comitique onerique timentem.

Jamque propinquabam portis; omnemque videbar

Evasisse vicem; subito quum creber ad auris

Visus adesse pedum sonitus; genitorque per umbram 730

- Prospiciens : Nate, exclamat, fuge, nate, propinquant :  
 Ardentis clipeos atque aera micantia cerno.  
 Hic mihi nescio quod trepido male numen amicūm  
 Confusam eripuit mentem. Namque avia cursu  
 735 Dum sequor, et nota excedo regione viarum,  
 Heu! misero conjux fatone erepta Creusa  
 Substitit, erravitne via, seu lassa resedit,  
 Incertum; nec post oculis est reddita nostris.  
 Nec prius amissam respexi, animumve reflexi,  
 740 Quam tumulum antiquae Cereris sedemque sacratam  
 Venimus. Hic demum collectis omnibus una  
 Defuit; et comites, natumque virumque fefellit.  
 Quem non incusavi amens hominumque deorumque ?  
 Aut quid in eversa vidi crudelius urbe!  
 745 Ascanium, Anchisenque patrem, Teucrosque Penates  
 Commendo sociis, et curva valle recondo :  
 Ipse urbem repeto, et cingor fulgentibus armis.  
 Stat casus renovare omnis, omnemque reverti  
 Per Trojam, et rursus caput objectare periclis.  
 750 Principio muros obscuraque lumina portae,  
 Qua gressum extuleram, repeto; vestigia retro  
 Observata sequor per noctem, et lumine lustro.  
 Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.  
 Inde domum, si forte pedem, si forte tulisset,  
 755 Me refero: irruerant Danai, et tectum omne tenebant.  
 Illicet ignis edax summa ad fastigia vento  
 Volvitur: exsuperant flammae; furit aestus ad auras.  
 Procedo, et Priami sedes arceaque reviso.  
 Et jam porticibus vacuis Junonis asylo  
 760 Custodes lecti Phoenix et dirus Ulyxes  
 Praedam adservabant: huc undique Troia gaza  
 Incensis erepta adytis, mensaeque deorum,  
 Crateresque auro solidi, captivaeque vestis  
 Congeritur: pueri et pavidae longo ordine matres  
 765 Stant circum.  
 Ausus quin etiam voces jactare per umbram,  
 Implevi clamore vias, moestusque Creusam  
 Nequidquam ingeminans iterumque iterumque vocavi.  
 Quaerenti, et tectis urbis sine fine furenti,  
 Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusae  
 770 Visa mihi ante oculos, et nota major imago.  
 Obstupui, steteruntque comae, et vox faucibus haesit.  
 Tum sic adfari, et curas hic demere dictis:  
 Quid tantum insano juvat indulgere dolori,

O dulcis conjux? non haec sine numine diuom Eveniunt: ne te hinc comitem absportare Creusam Fas, aut ille sinit superi regnator Olympi.	775
Longa tibi exsilia, et vastum maris aequor arandum: Et terram Hesperiam venies: ubi Lydius, arva	780
Inter opima virum, leni fluit agmine Tybris. Illic res laete, regnumque, et regia conjux Parta tibi; lacrimas dilectae pelle Creusae. Non ego Myrmidonum sedes Dolopumve superbas Adspiciam, aut Grajis servitum matribus ibo,	785
Dardanis, et divae Veneris nurus: Sed me magna deum genetrix his detinet oris. Jamque vale, et nati serva communis amorem. Haec ubi dicta dedit, lacrimantem, et multa volentem Dicere, deseruit, tenuisque recessit in auras.	790
Ter conatus ibi collo dare brachia circum; Ter frustra compressa manus effugit imago, Par levibus ventis, volucrique simillima sonno. Sic demum socios consumpta nocte reviso.	
Atque hic ingentem comitem adfluxisse novorum Invenio admirans numerum, matresque, virosque, Collectam exsilio pubem, miserabile vulgus. Undique convenere, animis opibusque parati In quascumque velim pelago deducere terras. Jamque jugis summae surgebat Lucifer Idae,	795
Ducebatque diem; Danaique obsessa tenebant Limina portarum; nec spes opis ulla dabatur, Cessi, et sublato montem genitore petivi.	800

## P. Virgilio Maronis Aeneidos.

## Lib. IX.

## A r g u m e n t u m.

*Absente Aenea, et auxiliis in Tuscia conquirendis occupato, Turnus a Junone per Iridem admonitus, ne tantum rei bene gerendae occasionem amitteret, quam proxime ad hostes admovet copias. Qui quum suis se continerent moenibus, neque loco aequo facerent dimicandi potestatem; classem eorum, ut omnem fugae spem illis intercluderet, exurere conantur. Erat hujus classis materia ex Idocae Matris luco caesa: quapropter Jupiter, matris precibus adductus, naves omnes incendio eripuit, et in totidem nymphas marinas convertit. Post haec, imminente jam nocte, Tur-*

nus adversus hostium eruptiones ad oppidi portam excubias disponit; quibus Messapum præficit. Interim consultantibus Trojanorum ducibus, quemnam potissimum ad Aeneam mitterent, qui cum de suorum periculo faceret certior: ultro eam provinciam suscipiunt Nisus et Euryalus, par amicorum conjunctissimum: qui quum urbe emissi hostium excubias vino somnoque invenissent obrutas: Rhamnetem cum magno Rutulorum numero trucidant, eorumque se spoliis exornant. Verum quum instante jam luce se recipere conantur a Volscentis equitibus conspecti, ad silvas confugiunt. Ibi Euryalus, armorum pondere viaeque errore impeditus, in hostes incidit, et a Volscente frustra deprecante Niso, confoditur. Nisus quoque, caeso Volscente et Euryali nece strenue vindicata, multis vuneribus confossus, supra amici corpus concidit. Capita, hastis adfixa, in castra deferuntur: ubi a Trojanis moenibus agnita ingentem in urbe luctum excitant. Interim Turnus totis viribus hostes oppugnat: magna utrimque strages editur. Ibi Ascanius Numanum, insolentius jactantem, sagittæ ictu interficit. Pandarus et Bitias successu elati, portam recludunt, hostesque subeuntes ingenti caede propellunt. Ejus rei nuntio accepto, Turnus per portam patentem irrumpit in oppidum, Troianosque in fugam convertit: tandem, hostium multitudine circumventus, paulatim cedit ad eam oppidi partem, quæ adluitur fluvio; et, ut erat armatus, flumen tranans, incolumis ad suos revertitur.

- Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,  
 Irim de caelo misit Saturnia Juno  
 Audacem ad Turnum. Luco tum forte parentis  
 Pylumni Turnus sacrata valle sedebat.
- 5 Ad quem sic roseo Thaumantias ore loquuta est:  
 Turne, quod optanti diuom promittere nemo  
 Auderet, volvenda dies en attulit ultro!  
 Aeneas, urbe et sociis et classe relicta,  
 Sceptra palatini sedemque, petit Evandri.
- 10 Nec satis: extremas Corythi penetravit ad urbes,  
 Lydorumque manum, collectos armat agrestis.  
 Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus.  
 Rumpe moras omnis; et turbata arripe castra.  
 Dixit, et in caelum paribus se sustulit alis;
- 15 Ingentemque fuga secuit, sub nubibus arcum.  
 Adgnovit juvenis, duplicesque ad sidera palmas  
 Sustulit, et tali fugientem est voce sequutus:  
 Iri, decus caeli, quis te mihi nubibus actam

Detulit in terras? unde haec tam clara repente  
 Tempestas? medium video discedere caelum. 20  
 Palantisque polo stellas. Sequor omina tanta,  
 Quisquis in arma vocas. Et sic effatus, ad undam  
 Processit, summoque hausit de gurgite lymphas,  
 Multa deos orans; oneravitque aethera vods.  
 Jamque omnis campis exercitus ibat apertis, 25  
 Dives equum, dives picta vestis et auri,  
 Messapus primas acies, postrema coercent  
 Tyrrhidæ juvenes, medio dux agmine Turnus  
 (Vertitur arma tenens, et toto vertice supra est :)  
 Ceu septem surgens sedatis amnibus altus 30  
 Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus,  
 Quom refluit campis, et jam se condidit alveo.  
 Hic subitam nigro glomerari pulvere nubem  
 Prospiciant Teucris, ac tenebras insurgere campis.  
 Primus ab advorsa conclamat mole Caicus : 35  
 Quis globus, o cives, caligine volvitur atra!  
 Herte citi ferrum, date tela, et scandite muros,  
 Hostis adest, eia. Ingenti clamore per omnis  
 Conduunt se Teucris portas, et moenia complent.  
 Namque ita discedens praeceperat optumus armis 40  
 Aeneas: si qua interea fortuna fuisset,  
 Neu struere auderent aciem, neu credere campo :  
 Castra modo et tutos servarent aggere muros.  
 Ergo, etsi conferre manum pudor iraque monstrat,  
 Objiciunt portas tamen et praecepta facescunt, 45  
 Armatique cavis expectant turribus hostem.  
 Turnus, ut ante volans tardum praecesserat agmen,  
 Viginti lectis equitum comitatus, et urbi  
 Improvisus adest, maculis quem Thracius albis  
 Portat equus, cristaque tegit galea aurea rubra. 50  
 Ecquis erit mecum, juvenes? qui primus in hostem — ?  
 En, ait: et jaculum adtorquens emittit in auras,  
 Principium pugnae, et campo sese arduus infert.  
 Clamore excipiunt socii, fremituque sequuntur  
 Horrisono; Teucrum mirantur inertia corda; 55  
 Non aequo dare se campo, non obvia ferre  
 Arma viros, sed castra fovere. Huc turbidus atque huc  
 Lustrat equo muros, aditumque per avia quaerit.  
 Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili,  
 Quom fremit ad caulas, ventos perpessus et imbris, 60  
 Nocte super media; tuti sub matribus agnis  
 Balatum exercent: ille, asper et improbus ira,

- Saevit in absentis; collecta fatigat edendi  
 Ex longo rabies, et siccae sanguine fauces.  
 65 Haud aliter Rutulo, muros et castra tuenti,  
 Ignescunt irae; duris dolor ossibus ardet;  
 Qua tentet ratione aditus, et qua via clausos  
 Excutiat Teucros vallo, atque effundat in aequor.  
 70 Classem, quae lateri castrorum adjuncta latebat,  
 Aggeribus septam circum et fluvialibus undis,  
 Invadit; sociosque incendia poscit ovantis;  
 Atque manum pinu flagranti fervidus implet.  
 Tum vero incumbunt: urget praesentia Turni;  
 Atque omnis facibus pubes adcingitur atris.  
 75 Diripuere focos: piceum fert fumida lumen  
 Taeda; et commixtam Volcanus ad astra favillam.  
 Quis deus, o musae, tam saeva incendia Teucris  
 Avertit? tantos ratibus quis depulit ignis?  
 Dicite. Prisca fides facta, sed fama perennis.  
 80 *invocatio*  
 Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida  
 Aeneas classem, et pelagi petere alta parabat:  
 Ipsa deum fertur genetrix Berecynthia magnum  
 Vocibus his adfata Jovem: Da, nate, petenti.  
 Quod tua cara parens domito te poscit Olympo.  
 85 Pinea silva mihi, multos dilecta per annos.  
 Lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant,  
 Nigranti picea trabibusque obscurus acernis;  
 Has ego Dardanio juveni, quom classis egeret,  
 Laeta dedi; nunc sollicitam timor anxius arguet.  
 90 Solve metus, atque hoc precibus sine posse parentem,  
 Ne cursu quassatae ullo, neu turbine venti  
 Vincantur: prosit nostris in montibus ortas.  
 Filius huic contra, torquet qui sidera mundi:  
 O genetrix, quo fata vocas? aut quid petis istis?  
 95 Mortaline manu factae immortale carinae  
 Fas habeant? certusque incerta pericula lustret  
 Aeneas? Cui tanta deo permissa potestas?  
 Imo, ubi defunctae finem portusque tenebunt  
 Ausonios, olim quaecumque evaserit undis,  
 100 Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva,  
 Mortalem eripiam formam, magnique jubebo  
 Aequoris esse deas: qualis Nereia Doto  
 Et Galatea secant spumantem pectore pontum.  
 Dixerat: idque ratum Stygii per flumina fratris;  
 105 Per pice torrentis atraque voragine ripas,  
 Adnuit, et totum nutu tremefecit Olympum.

Ergo aderat promissa dies, et tempora Parcae  
 Debita compleant; quom Turni injuria matrem  
 Admonuit ratibus sacris depellere taedas.  
 Hic primum nova lux oculis obfulsit, et ingens 110  
 Visus ab aurora caelum transcurrere nimbus,  
 Idaeique chori; tum vox horrenda per auras  
 Excidit, et Troum Rutulorumque agmina complet:  
 Ne trepidate meas, Teucris, defendere navis,  
 Neve armate manus; maria ante exurere Turno, 115  
 Quam sacras dabitur pinus. Vos, ite solutae,  
 Ite, deae pelagi; genetrix jubet. Et sua quaeque  
 Continuo puppes abrumpunt vincula ripis,  
 Delphinumque modo demersis aequora rostris  
 Ima petunt. Hinc virgineae (mirabile monstrum) 120  
 Quot prius aeratae steterant ad litora prorae,  
 Reddunt se totidem facies, pontoque feruntur.  
 Obstupere animis Rutuli; conterritus ipse  
 Turbatus Messapus equis; cunctatur et amnis  
 Rauca sonans, revocatque pedem Tiberinus ab alto. 125  
 At non audaci cessit fiducia Turno;  
 Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro:  
 Trojanos haec monstra petunt; his Jupiter ipse  
 Auxilium solitum eripuit: non tela, nec ignis  
 Exspectant Rutulos. Ergo maria in via Teucris; 130  
 Nec spes ulla fugae: rerum pars altera adempta est;  
 Terra autem in nostris manibus; tot millia, gentes  
 Arma ferunt Italiae. Nil me fatalia terrent,  
 Si qua Phryges prae se jactant responsa deorum.  
 Sat fatis Venerique datum, tetigere quod arva 135  
 Fertilis Ausoniae Troes: sunt et mea contra  
 Fata mihi, ferro sceleratam exscindere gentem,  
 Conjuge praerepta. Nec solos tangit Atridas  
 Iste dolor, solisque licet capere arma Mycenis.  
 Sed periisse semel satis est. Peccare fuisset 140  
 Ante satis, penitus modo non genus omne perosos  
 Famineum. Quibus haec medii fiducia valli,  
 Fossarumque morae, lethi discrimina parva,  
 Dant animos: at non viderunt moenia Trojae,  
 Neptuni fabricata manu, considerare in ignis? 145  
 Sed vos, o lecti, ferro quis scindere vallum  
 Adparat, et mecum invadit trepidantia castra?  
 Non armis mihi Volcani, non mille carinis  
 Est opus in Teucros. Addant se protenus omnes  
 Etrusci socios. Tenebras et inertia furta 150

- Palladii, caesis summae custodibus arcis,  
 Ne timeant; nec equi caeca condemur in alvo;  
 Luce, palam, certum est igni circumdare muros.  
 Haud sibi cum Danais rem faxo et pube Pelasga  
 155 Hesse putent, decumum quos distulit Hector in annum.  
 Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei,  
 Quod superest, laeti bene gestis corpora rebus  
 Procurate, viri; et pugnam sperate parati.  
 Interea vigilum excubiis obsidere portas  
 160 Cura datur Mesappo, et moenia cingere flammis.  
 Bis septem, Rutulo muros qui milite servent,  
 Delecti; ast illos centeni quemque sequuntur  
 Purpurei cristis iuvenes auroque corusci.  
 Discurrunt, variantque vices, fusique per herbam  
 165 Indulgent vino, et vertunt crateras aënos.  
 Collucent ignes; noctem custodia ducit  
 Insomnem ludo.  
 Haec super e vallo prospectant Troës, et armis  
 Alta tenent; nec non trepidi formidine portas  
 170 Explorant, pontisque et propugnacula jungunt;  
 Tela gerunt. Instant Mnestheus acerque Serestus,  
 Quos pater Aeneas, si quando adversa vocarent,  
 Rectores juvenum et rerum dedit esse magistros.  
 Omnis per muros legio, sortita periculum,  
 175 Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum est.  
 Nisus erat portae custos, acerrimus armis,  
 Hyrtacides; comitem Aeneae quem miserat Ida  
 Venatrix, jaculo celerem levibusque sagittis;  
 Et juxta comes Euryalus, quo pulchrior alter  
 180 Non fuit Aeneadam, Trojana neque induit arma;  
 Ora puer prima signans intonsa juventa.  
 His amor unus erat, pariterque in bella ruebant;  
 Tum quoque communi portam statione tenebant.  
 Nisus ait: Dine hunc ardorem mentibus addunt,  
 185 Euryale? an sua cuique deus fit dira cupido?  
 Aut pugnam, aut aliquid jam dudum invadere magnum,  
 Mens agitat mihi; nec placida contenta quiete est.  
 Cernis, quae Rutulos habeat fiducia rerum.  
 Lumina rara micant; somno vinoque sepulti  
 190 Procubuere; silent late loca. Percipe porro,  
 Quid dubitem et quae nunc animo sententia surgat.  
 Aeneam acciri omnes, populusque patresque,  
 Exposcunt; mittique viros, qui certa reportent.  
 Si tibi, quae posco, promittunt; nam mihi faci

Fama sat est; tumulo videor reperire sub illo 195  
 Posse viam ad muros et moenia Pallantea.  
 Obstupuit magno laudum percussus amore  
 Euryalus; simul his ardentem adfatur amicum;  
 Mene igitur socium summis adjungere rebus,  
 Nise, fugis? solum te in tanta pericula mittam? 200  
 Non ita me genitor, bellis adsuetus, Opheltes  
 Argolicum terrorem inter Trojaeque labores  
 Sublatum erudiit; nec tecum talia gessi,  
 Magnanimum Aenean et fata extrema sequutus.  
 Est hic, est animus lucis contemtor, et istum 205  
 Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.  
 Nisus ad haec: Equidem de te nil tale verebar;  
 Nec fas; non. Ita me referat tibi magnus orantem  
 Jupiter, aut quicumque oculis haec adspicit aequis.  
 Sed, si quis (quae multa vides discrimine tali), 210  
 Si quis in adversum rapiat casusve deusve,  
 Te superesse velim; tua vita dignior aetas.  
 Sit, qui me raptum pugna, pretiove redemptum,  
 Mandet humo solita; aut, si qua id fortuna vetabit,  
 Absenti ferat inferias, decoretque sepulcro. 215  
 Neu matri miseræ tanti sim causa doloris;  
 Quae te sola, puer, multis e matribus ausa,  
 Persequitur, magni nec moenia curat Acestae.  
 Ille autem: Causas nequidquam nectis inanis,  
 Nec mea jam mutata loco sententia cedit. 220  
 Acceleremus, ait: vigiles simul excitat. Illi  
 Succedunt, servantque vices; statione relicta  
 Ipse comes Niso graditur, regemque requirunt.  
 Cetera per terras omnis animalia somno  
 Laxabant curas, et corda oblita laborum: 225  
 Ductores Teucrum primi, delecta juvenus,  
 Consilium summis regni de rebus habebant,  
 Quid facerent, quisve Aeneae jam nuntius esset.  
 Stant longis adnixa hastis et scuta tenentes,  
 Castrorum et campi medio. Tum Nisus et una 230  
 Euryalus confestim alacres admittier orant;  
 Rem magnam, pretiumque, morae fore. Primus Iulus  
 Accipit trepidus, ac Nisum dicere jussit.  
 Tum sic Hyrtacides: Audite o mentibus aequis,  
 Aeneadae, neve haec nostris spectentur ab annis, 235  
 Quae ferimus. Rutuli somno vinoque soluti  
 Procubuere: locum insidiis conspeximus ipsi,  
 Qui patet in bivio portae, quae proxima ponto,

- Interrupti ignes, aterque ad sidera fumus  
 240 Erigitur; si fortuna permittitis uti,  
 Quaesitum Aenean ad moenia Pallantea  
 Mox hic cum spoliis, ingenti caede peracta,  
 Adfore cernetis. Nec nos via fallit euntis;  
 Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem  
 245 Venatu adsiduo, et totum cognovimus amnem.  
 Hic annis gravis atque animi maturus Aletes:  
 Di patrii, quorum semper sub numine Troja est,  
 Non tamen omnino Teucros delere paratis,  
 Quom talis animos juvenum et tam certa tulistis  
 250 Pectora. Sic memorans, humeros dextrasque tenebat  
 Amborum, et voltum lacrimis atque ora rigabat;  
 Quae vobis, quae digna, vjri, pro laudibus istis  
 Praemia posse rear solvi? Pulcherrima primum  
 Di moresque dabunt vestri: tum cetera reddet  
 255 Actutum pius Aeneas, atque integer aevi  
 Ascanius, meriti tanti non immemor umquam.  
 Imo ego vos, cui sola salus genitore reducto,  
 Excipit Ascanius, per magnos, Nise, Penates,  
 Assaracique Larem, et canae penetralia Vestae,  
 260 Obtestor; quaecumque mihi Fortuna fidesque est,  
 In vestris pono gremiis: revocate parentem;  
 Reddite conspectum; nihil illo triste recepto.  
 Bina dabo argento perfecto atque aspera signis  
 Pocula, devicta genitor, quae cepit Arisba;  
 265 Et tripodas geminos, auri duo, magna talenta;  
 Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.  
 Si vero capere Italiam sceptrisque potiri  
 Contigerit victori, et praedae ducere sortem;  
 Vidisti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis  
 270 Aureus; ipsum illum, clipeum cristasque rubentis,  
 Excipiam sorti, jam nunc tua praemia, Nise.  
 Praeterea bis sex genitor lectissima matrum  
 Corpora, captivosque dabit, suaque omnibus arma;  
 Insuper his, campi quod rex habet ipse Latinus,  
 275 Te, vero, mea quem spatiis propioribus aetas  
 Insequitur; venerande puer, jam pectore toto  
 Accipio, et comitem casus complector in omnis.  
 Nulla meis sine te quaeretur gloria rebus;  
 Seu pacem seu bella geram; tibi maxima rerum  
 280 Verbo rumque fides. Contra quem talia fatur  
 Euryalus; Me nulla dies tam fortibus ausis  
 Dissimilem arguerit; tantum! fortuna secunda

Aut adversa cadat. Sed te super omnia dona  
 Unum oro: genetrix Priami de gente vetusta  
 Est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus 285  
 Mecum excedentem, non moenia regis Acestae.  
 Hanc ego nunc ignaram hujus quodcumque pericli est,  
 Inque salutatam linquo; nox, et tua testis  
 Dextera, quod nequeam lacrimas perferre parentis,  
 At tu, oro, solare inopem, et succurre relictæ. 290  
 Hanc sine me spem ferre tui; audentior ibo  
 In casus omnis. Percussa mente dederunt  
 Dardanidæ lacrimas; ante omnis pulcher Iulus;  
 Atque animum patriæ strinxit pietatis imago,  
 Tum sic effatur; 295  
 Spondeo digna tuis ingentibus omnia coeptis.  
 Namque erit ista mihi genetrix, nomenque Creusæ  
 Solùm defuerit; nec partum gratia talem  
 Parva manet. Casus factum quicumque sequuntur:  
 Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat; 300  
 Quæ tibi polliceor reduci, rebusque secundis,  
 Hæc eadem matrique tuæ generique manebunt.  
 Sic ait illacrimans: humero simul exiit ense  
 Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon  
 Gnosius, atque habilem vagina aptarat eburna. 305  
 Dat Niso Mnestheus pellem horrentisque leonis  
 Exuvias; galeam fidus permutat Aletes.  
 Protenus armati incedunt; quos omnis euntis  
 Primorum manus ad portas juvenumque senumque  
 Prosequitur votis: nec non et pulcher Iulus, 310  
 Ante annos animumque gerens curamque virilem,  
 Multa patri portanda dabat mandata; sed auræ  
 Omnia discerpunt, et nubibus irrita donant.  
 Egressi superant fossas, noctisque per umbram  
 Castra inimica petunt, multis tamen ante futuri 315  
 Exitio. Passim somno vinoque per herbam  
 Corpora fusa vident, adrectos litore currus,  
 Inter lora rotasque viros, simul arma jacere,  
 Vina simul. Prior Hyrtacides sic ore loquutus:  
 Euryale, audendum dextra: nunc ipsa vocat res, 320  
 Hac iter est: tu ne qua manus se ad tollere nobis  
 A tergo possit, custodi, et consule longe.  
 Hæc ego vasta dabo, et lato te limite ducam.  
 Sic memorat, vocemque premit: simul ense superbum  
 Rhamnetem adgreditur, qui forte tapetibus altis 325  
 Exstructus toto proflabat pectore somnum,

- Rex idem, et regi Turno gratissimus augur;  
 Sed non augurio potuit depellere pestem.  
 Tres juxta famulos temere inter tela jacentis
- 330 Armigerumque Remi premit, aurigamque sub ipsis  
 Nactus equis, ferroque secat pendentia colla.  
 Tum caput ipsi aufert domino, truncumque relinquit  
 Sanguine singultantem; atro tepefacta cruore  
 Terra torique madent. Nec non Lamyumque, Lam-  
 mumque,
- 335 Et juvenem Sarranum, illa qui plurima nocte  
 Luserat, insignis facie, multoque jacebat  
 Membra deo victus, felix, si protenus illum  
 Aequasset nocti ludum, in lucemque tulisset!  
 Impastus ceu plena leo per ovilia turbans;
- 340 Suadet enim vesana fames; manditque trahitque  
 Molle pecus, mutumque metu; fremit ore cruento.  
 Nec minor Euryali caedes: incensus et ipse  
 Perfurit, ac multam in medio sine nomine plebem  
 Fadumque, Herbesumque subit, Rhoetumque, Ab-  
 arimque
- 345 Ignaros; Rhoetum vigilantem et cuncta videntem,  
 Sed magnum metuens se post cratera tegebat:  
 Pectore in adverso totum cui comminus ense  
 Condidit adsurgenti, et multa morte recepit.  
 Purpuream vomit ille animam, et cum sanguine mixta
- 350 Vina refert moriens: hic furto fervidus instat.  
 Jamque ad Messapi socios tendebat, ubi ignem  
 Deficere extremum, et religatos rite videbat  
 Carpere gramen equos; breviter quom talia Nisus  
 Sensit enim nimia caede atque cupidine ferri,
- 355 Absistamus, ait; nam lux inimica propinquat.  
 Poenarum exhaustum satis est; via facta per hostis.  
 Multa virum solido argento perfecta relinquunt.  
 Armaque, craterasque simul, pulchrosque tapetas.  
 Euryalus phaleras Rhamnetis et aurea bullis
- 360 Cingula, Tiburti Remulo ditissimus olim  
 Quae mittit dona, hospitio quom jungeret absens  
 Caedicus, ille suo moriens dat habere nepoti;  
 Post mortem bello Rutuli pugnaque potiti;  
 Haec rapit, atque humeris nequidquam fortibus aptat,
- 365 Tum galeam Messapi habilem cristisque decoram  
 Induit. Excedunt castris, et tuta capessunt.  
 Interea praemissi equites ex urbe Latina,  
 Cetera dum legio campis instructa moratur,

Ibant, et Turno regis responsa ferebant,  
 Tercentum, scutati omnes, Volscente magistro. 370  
 Jamque propinquabant castris, murosque subibant,  
 Quom̄ procul hōs laevo flectentis limite cernunt;  
 Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra  
 Prodidit immemorem, radiisque adversa refulsit.  
 Haud temere est visum. Conclamat ab agmine Volsens: 375  
 State, viri; quae causa viae? quive estis in armis?  
 Quove tenetis iter? Nihil illi tendere contra;  
 Sed celerare fugam in silvas, et fidere nocti.  
 Objiciunt equites sese ad divortia nota  
 Hinc atque hinc, omnemque abitum custode coronant. 380  
 Silva fuit, late dumis atque ilice nigra  
 Horrida, quam densi complerant undique sentes;  
 Rara per occultos lucebat semita callis.  
 Euryalum tenebrae ramorum onerosaque praeda  
 Impediunt, fallitque timor regione viarum. 385  
 Nisus abit: jamque imprudens evaserat hostis,  
 Atque lacus, qui post Albae de nomine dicti  
 Albani; tum rex stabula alta Latinus habebat.  
 Ut stetit et frustra absentem respexit amicum:  
 Euryale, infelix qua te regione reliqui? 390  
 Quave sequar? Rursus perplexum iter omne revolvens  
 Fallacis silvae, simul et vestigia retro  
 Observata legit, dumisque silentibus errat.  
 Audit equos, audit strepitus et signa sequentum.  
 Nec longum in medio tempus, quum clamor ad auris 395  
 Peryenit, ac videt Euryalum, quem jam manus omnis,  
 Fraude loci et noctis, subito turbante tumultu,  
 Oppressum rapit et conantem plurima frustra.  
 Quid faciat? qua vi juvenem, quibus audeat armis  
 Eripere? an sese medios moriturus in ensis 400  
 Inferat, et pulchram properet per volnera mortem?  
 Ocius adducto torquens hastile lacerto,  
 Suspiciens altam Lunam, sic voce precatur:  
 Tu, dea, tu praesens nostro succurre labori,  
 Astrorum decus, et nemorum Latonia custos; 405  
 Si qua tuis umquam pro me pater Hyrtacus aris  
 Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi;  
 Suspensive tholo, aut sacra ad fastigia fixi;  
 Hunc sine me turbare globum, et rege tela per auras.  
 Dixerat; et toto connixus corpore ferrum 410  
 Conjicit: hasta volans noctis diverberat umbras,  
 Et venit aversi in tergum Sulmonis, ibique

- Frangitur, ac fisso transit praecordia ligno.  
 Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
- 415 Frigidus, et longis singulibus ilia pulsat.  
 Diversi circumspiciunt. Hoc acrior idem  
 Ecce aliud summa telum librabat ab aure;  
 Dum trepidant, iit hasta Tago per tempus utrumque  
 Stridens, trajectoque haesit tepefacta cerebro.
- 420 Saevit atrox Volscens, nec teli conspicit usquam  
 Auctorem, nec quo se ardens immittere possit.  
 Tu, tamen interea calido mihi sanguine poenas  
 Persolves amborum, inquit: simul ense recluso  
 Ibat in Euryalum. Tum vero exterritus, amens,
- 425 Conclamat Nisus; nec se celare tenebris  
 Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem:  
 Me, me, adsum, qui feci, in me confertite ferrum,  
 O Rutuli; mea fraus omnis; nihil iste nec ausus,  
 Nec potuit; caelum hoc et conscia sidera testor.
- 430 Tantum infelicem nimium dilexit amicum.  
 Talia dicta dabat; sed viribus ensis adactus  
 Transadigit costas, et candida pectora rumpit.  
 Volvitur Euryalus letho, pulchrosque per artus  
 It cruor, inque humeros cervix collapsa recumbit:
- 435 Purpureus veluti quum flos succisus aratro  
 Languescit moriens; lassove papavera collo  
 Demisere caput, pluvia quum forte gravantur.  
 At Nisus ruit in medios, solumque per omnis  
 Volscentem petit, in solo Volscente moratur.
- 440 Quem circumglomerati hostes, hinc comminus atque hinc,  
 Proturbant: instat non secius, ac rotat ensem  
 Fulmineum; donec Rutuli clamantis in ore  
 Condidit adverso, et moriens animam abstulit hosti.  
 Tum super exanimum sese projecit amicum
- 445 Confossus, placidaque ibi demum morte quievit.  
 Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,  
 Nulla dies unquam memori vos eximet aevo;  
 Dum domus Aeneae capitolii immobile saxum  
 Adcolet, imperiumque pater romanus habebit.
- 450 Victores praeda Rutuli spoliisque potiti,  
 Volscentem exanimum flentes in castra ferebant.  
 Nec minor in castris luctus, Rhamneta reperto  
 Exsanguis, et primis una tot caede peremtis  
 Sarranoque Numaque. Ingens concursus ad ipsa
- 455 Corpora, seminecesque viros, tepidaque recentem  
 Caede locum, et plenos spumanti sanguine rivos.

Adgnosunt spolia inter se, galeamque nitentem  
Messapi, et multo phaleras sudore receptas.

Et jam prima novo spargebat lumine terras  
Tithoni croceum linquens Aurora cubile; 460  
Jam sole infuso, jam rebus luce relectis.

Turnus in arma viros, armis circumdatus ipse,  
Suscitatur, aeratasque acies in proelia cogit,  
Quisque suos, variisque acuunt rumoribus iras.  
Quin ipsa adirectis (visu miserabile!) in hastis 465  
Praefigunt capita, et multo clamore sequuntur,  
Euryali et Nisi.

Aeneadae duri murorum in parte sinistra  
Opposuerunt aciem, nam dextra cingitur amni,  
Ingentisque tenent fossas, et turribus altis 470  
Stant moesti: simul ora virum praefixa movebant,  
Nota nimis miseris, atroque fluentia tabo.

Interea pavidam volitans pennata per urbem  
Nuntia fama ruit, matrisque adlabitur auris  
Euryali. At subito miserae calor ossa reliquit; 475  
Excussi manibus radii, revolutaque pensa.

Evolat infelix, et femineo ululatu,  
Scissa comam, muros amens atque agmina cursu  
Prima petit: non illa virum, non illa pericli  
Telorumque memor; caelum dehinc questibus implet: 480

Hunc ego te Euryale, adspicio? tunc illa senectae  
Sera meae requies, potuisti linq̄uere solam,  
Crudelis? nec te, sub tanta pericula missum,  
Adfari extremum miserae data copia matri?

Heu! terra ignota, canibus data praeda latinis 485  
Alitibusque, jaçes! nec te tua funera mater  
Produxit, pressive oculos, aut vulnera lavi,  
Veste tegens, tibi quam noctes festina diesque  
Urgebam, et tela curas solabar anilis!

Quo sequar, aut quae nunc artus, avolsaque membra, 490  
Et funus lacerum tellus habet? Hoc mihi de te,  
Nate, refers? hoc sum terraque marique sequuta?

Figite me, si qua est pietas; in me omnia tela  
Conjicite, o Rutuli; me primam absumite ferro,  
Aut tu, magne pater Divom, miserere tuoque 495  
Invisum hoc detruðe caput sub tartara telo,  
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.

Hoc fletu concussi animi, moestusque per omnis  
It gemitus: torpent infractae ad proelia vires,  
Illam incendentes luctus Idaeus et Actor, 500

Ilionei, monitu et multum lacrimantis Iuli,  
Corripiunt, interque manus sub tecta reponunt.

- At tuba terribilem sonitum procul aere canoro  
Increpuit: sequitur clamor, caelumque remugit.
- 505 Accelerant acta pariter testudine Volsi,  
Et fossas implere parant, ac vellere vallum.  
Quaerunt pars aditum, et scalis ascendere muros,  
Qua rara est acies, interlucetque corona
- 510 Non tam spissa viris. Telorum effundere contra  
Omne genus Teucris, ac duris detrudere contis,  
Adsueti longo muros defendere bello.  
Saxa quoque infestoolvebant pondere, si qua  
Possent tectam aciem perrumpere; quom tamen omnia  
Ferre juvat subter densa testudine casus.
- 515 Nec jam sufficiunt. Nam qua globus imminet ingens,  
Immanem Teucris molemvolvuntque ruuntque;  
Quae stravit Rutulos late, armorumque resolvit  
Tegmina: nec curant caeco contendere Marte  
Amplius audaces Rutuli, sed pellere vallo
- 520 Missilibus certant.  
Parte alia horrendus visu quassabat Etruscum  
Pinum, et fumiferos infert Mezentius ignis;  
At Messapus, equum domitor, Neptunia proles,  
Rescindit vallum, et scalas in moenia poscit.
- 525 Vos, o Calliope, precor, adspirate canenti;  
Quas ibi tunc ferro strages, quae funera Turnus  
Ediderit, quem quisque virum demiserit Orco:  
Et mecum ingentis oras evolvite belli.  
Et meministis enim, divae, et memorare potestis.
- 530 Turris erat vasto suspectu et pontibus altis,  
Opportuna loco; summis quam viribus omnes  
Expugnare Itali, summaque evertere opum vi  
Certabant: Troes contra defendere saxis,  
Perque cavas densi tela intorquere fenestras.
- 535 Princeps ardentem conjecit lampada Turnus,  
Et flammam adfixit lateri: quae plurima vento  
Corripuit tabulas, et postibus haesit adesis.  
Turbati trepidare intus, frustra malorum  
Velle fugam. Dum se glomerant, retroque residunt
- 540 In partem, quae peste caret: tum pondere turris  
Procubuit subito, et caelum tonat omne fragore.  
Semineces ad terram, immani mole sequuta,  
Confixique suis telis, et pectora duro  
Transfossi ligno, veniunt. Vix unus Helenor,

Et Lycus elapsi; quorum primaevus Helenor, 545  
 Maeonio regi quem serva Licymnia furtim  
 S. stulerat, vetitisque ad Trojam miserat armis,  
 Ense levis nudo, parmaeque inglorius alba.  
 Isque ubi se Turni media inter millia vidit,  
 Hinc acies atque hinc acies adstare latinas; 550  
 Ut fera, quae, densa venantum septa corona,  
 Contra tela furit, seseque haud nescia morti  
 Injicit, et saltu supra venabula fertur:  
 Haud aliter juvenis medios moriturus in hostis  
 Irruit, et qua tela videt densissima, tendit. 555  
 At pedibus longe melior Lycus, inter et hostis,  
 Inter et arma, fuga muros tenet, altaque certat  
 Prendere tecta manu, sociumque adtingere dextras.  
 Quem Turnus, pariter cursu teloque sequutus,  
 Increpat his victor: Nostrasne evadere, demens, 560  
 Sperasti te posse manus? simul adripit ipsum  
 Perdentem, et magna muri cum parte revellit:  
 Qualis ubi aut leporem, aut candenti corpore cycnum  
 Sustulit alta petens pedibus Jovis armiger uncis;  
 Quaesitum aut matri multis balatibus agnum 565  
 Martius a stabulis rapuit lupus. Undique clamor  
 Tollitur: invadunt, et fossas aggere complent;  
 Ardentes taedas alii ad fastigia jactant.  
 Ilioneus saxo atque ingenti fragmine montis  
 Lucetium, portae subeuntem ignisque ferentem; 570  
 Emathiona Liger, Corynaeum sternit Asylas;  
 Hic jaculo bonus, hic longe fallente sagitta;  
 Ortigium Caeneus, victorem Caenea Turnus,  
 Turnus Itym, Cloniumque, Dioxippum, Promolumque,  
 Et Sagarim, et summis stantem pro turribus Idan: 575  
 Privernum Capys. Hunc primo levis hasta Temillae  
 Strinxerat; ille manum, projecto tegmine, demens  
 Ad vulnus tulit; ergo alis adlapsa sagitta,  
 Et laevo adfixa est lateri manus, abditaque intus  
 Spiramenta animae lethali vulnere rumpit. 580  
 Stabat in egregiis Arcentis filius armis;  
 Pictus acu chlamydem, et ferrugine clarus Hibera,  
 Insignis facie, genitor quem miserat Arcens,  
 Eductum Martis luco, Symaethia circum  
 Flumina: pinguis ubi et placabilis ara Palici. 585  
 Stridentem fundam, positis Mezentius hastis,  
 Ipse ter adducta circum caput egit habena;  
 Et media adversi liquefacto tempora plumbo

- Diffidit; ac multa porrectum extendit arena.  
 590 Tum primum bello celerem intendis sagittam  
 Dicitur, ante feras solitus terrere fugaces,  
 Ascanius, fortemque manu fudisse Numanum;  
 Cui Remulo cognomen erat; Turnique minorem  
 Germanam nuper thalamo sociatus habebat.  
 595 Is primam ante aciem digna atque indigna relatu  
 Vociferans, tumidusque novo praecordia regno  
 Ibat, et ingentem sese clamore ferebat:  
 Non pudet obsidione iterum valloque teneri,  
 Bis capti Phryges, et Marti praetendere muros?  
 600 En qui nostra sibi bello connubia poscunt!  
 Quis deus Italiam, quae vos dementia adegit?  
 Non hic Atridae, nec fandi fictor Ulyxes.  
 Durum ab stirpe genus, natos ad flumina primum  
 Deferimus, saevoque gelu duramus et undis:  
 605 Venatu invigilant pueri, silvasque fatigant:  
 Flectere ludus equos, et spicula tendere cornu.  
 At patiens operum parvoque adsueta Juventus  
 Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.  
 Omne aevum ferro teritur, versaque juvencum  
 610 Terga fatigamus hasta; nec tarda senectus  
 Debilitat vires animi, mutatque vigorem.  
 Canitiem galea premimus; semperque recentis  
 Comportare juvat praedas, et vivere raptis.  
 Vobis picta croco et fulgenti murice vestis;  
 615 Desidiaae cordi; juvat indulgere choreis;  
 Et tunicae manicas et habent redimicula mitrae.  
 O vere Phrygiae, neque enim Phryges, ite per alta  
 Dindyma, ubi adsuetis biforem dat tibia cantum.  
 Tympana vos buxusque vocant Berecynthia Matris  
 620 Idaeae; sinite arma viris, et cedite ferro.  
 Talia jactantem dictis ac dira canentem  
 Non tulit Ascanius; nervoque obversus equino  
 Intendit telum, diversaue brachia ducens  
 Constitit, ante Jovem supplex per vota precatus;  
 625 Jupiter omnipotens, audacibus adnue coeptis:  
 Ipse tibi ad tua templa feram solennia dona,  
 Et statuam ante aras aurata fronte juvencum  
 Candentem, pariterque caput cum matre ferentem;  
 Jam cornu petat, et pedibus qui spargat arenam,  
 630 Audiit, et caeli genitor de parte serena  
 Intonuit laevum; sonat una fatifer arcus.  
 Effugit horrendum stridens adducta sagitta,

Perque caput Remuli venit, et cava tempora ferro  
 Trajicit. I, verbis virtutem illude superbis;  
 Bis capti Phryges hæc Rutulis responsa remittunt. 635  
 Hoc tantum Ascanius. Teuceri clamore sequuntur,  
 Laetitiaque fremunt, animosque ad sidera tollunt.  
 Aethera tum forte plaga crinitus Apollo  
 Desuper Ausonias acies urbemque videbat,  
 Nube sedens atque his victorem adfatur Iulum: 640  
 Macte nova virtute, puer: sic itur ad astra,  
 Dis genite, et geniture deos. Jure omnia bella  
 Gente sub Assaraci fato ventura resident;  
 Nec te Troja capit. Simul, hæc effatus, ab alto  
 Aethere se mittit, spirantes dimovet auras, 645  
 Ascaniumque petit: formam tum vertitur oris  
 Antiquum in Buten. Hic Dardanio Anchisæ  
 Armiger ante frait, fidusque ad limina custos,  
 Tum comitem Ascanio pater addidit. Ibat Apollo  
 Omnia longaevò similis, vocemque coloremque, 650  
 Et crinis albos et saeva sonoribus arma;  
 Atque his ardentem dictis adfatur Iulum:  
 Sit satis, Aeneada, telis impune Numanum  
 Opetiisse tuis; primam hanc tibi magnus Apollo  
 Concedit laudem, et paribus non invidet armis. 655  
 Cetera parce, puer, bello. Sic orsus Apollo  
 Mortalis medio adspectus sermone reliquit,  
 Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.  
 Adgnovere deum proceres divinaque tela  
 Dardanidae, pharetramque fuga sensere sonantem. 660  
 Ergo avidum pugnae dictis ac numine Phoebi  
 Ascanium prohibent; ipsi in certamina rursus  
 Succedunt, animasque in aperta pericula mittunt.  
 It clamor totis per propugnacula muris:  
 Intendunt acres arcus, amentaue torquent. 665  
 Sternitur omne solum telis: tum scuta cavaeque  
 Dant sonitum flictu galeae; pugna aspera surgit:  
 Quantus ab occasu veniens pluvialibus Haedis  
 Verberat imber humum; quam multa grandine nimbi  
 In vada praecipitant, quom Jupiter horridus austris 670  
 Torquet aquosam hiemem, et caelo cava nubila rumpit.  
 Pandarus et Bitias, Idaeo Alcanore creti,  
 Quos Jovis eduxit luco silvestris Iaera,  
 Abjetibus juvenes patriis et montibus aequos,  
 Portam, quae ducis imperio commissa, recludunt 675  
 Freti armis, ultroque invitant moenibus hostem.

- Ipsi intus dextra ac laeva pro turribus adstant,  
 Armati ferro; et cristis capita alta corusci:  
 Quales aëriæ liquentia flumina circum,  
 680 Sive Padi ripis, Athesim, seu propter amoenum,  
 Consurgunt geminae quercus, intonsaque caelo  
 Adtollunt capita, et sublimi vertice nutant.  
 Irrumpunt, aditus Rutuli ut videre patentes  
 Continuo Quercens, et pulcher Aquicolus armis,  
 685 Et praeceps animi Tmarus et Mavortius Haemon,  
 Agminibus totis aut versi terga dedere,  
 Aut ipso portae posuere in limine vitam.  
 Tum magis increscunt animis discordibus irae;  
 Et jam collecti Troës glomerantur eodem,  
 690 Et conferre manum et procurrere longius audent.  
 Ductori Turno diversa in parte furenti,  
 Turbantique viros, perfertur nuntius, hostem  
 Fervere caede nova, et portas praebere patentis.  
 Deserit inceptum, atque immani concitus ira  
 695 Dardaniam ruit ad portam fratresque superbos,  
 Et primum Antiphatem, is enim se primus agebat,  
 Thebana de matre nothum Sarpedonis alti,  
 Conjecto sternit jaculo: volat Itala cornus.  
 Aëra per tenerum; stomachoque infixâ sub altum  
 700 Pectus abit; reddit specus atri volneris undam  
 Spumantem, et fixo ferrum in pulmone tepescit.  
 Tum Meropem atque Erymanta manu, tum sternit  
 Aphidnum;  
 Tum Bitian ardentem oculis, animisque frementem;  
 Non jaculo: neque enim jaculo vitam ille dedisset;  
 705 Sed magnum stridens contorta falarica venit,  
 Fulminis acta modo, quam nec duo taurea terga,  
 Nec duplici squama lorica fidelis et auro  
 Sustinuit; collapsa ruunt immania membra.  
 Dat tellus gemitum, et clipeum super intonat ingens.  
 710 Qualis in Euboïco Bajarum litore quondam  
 Saxea pila cadit, magnis quam molibus ante  
 Constructam ponto jaciunt; sic illa ruinam  
 Prona trahit, penitusque vadis illisa recumbit;  
 Miscent se maria, et nigrae adtolluntur arenae.  
 715 Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile  
 Inarime Jovis imperiis imposta Typhoeo.  
 Hic Mars armipotens animum viresque Latinis  
 Addidit, et stimulos acres sub pectore vertit;  
 Immisitque fugam Teucris atrumque Timorem.

Undique conveniunt, quoniam data copia pugnae 720  
 Bellatorque animos deus incidit.  
 Pandarus, ut fuso germanum corpore cernit,  
 Et quo sit fortuna loco, qui casus agat res,  
 Portam vi multa converso cardine torquet,  
 Obnixus latis humeris multosque suorum 725  
 Moenibus exclusos duro in certamine linquit;  
 Ast alios secum includit recipitque ruentis.  
 Demens! qui Rutulum in medio non agmine regem  
 Viderit irrupentem, ultroque incluserit urbi;  
 Immanem veluti pecora inter inertia tigrim. 730  
 Continuo nova lux oculis effulsit, et arma  
 Horrendum sonuere; tremunt in vertice cristae  
 Sanguineae clipeoque micantia fulmina mittit.  
 Adgnoscent faciem invisam atque immania membra  
 Turbati subito Aeneadae. Tum Pandarus ingens 735  
 Emicat, et mortis fraternae fervidus ira  
 Effatur: Non haec dotalis regia Amatae,  
 Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.  
 Castra inimica vides: nulla hinc exire potestas.  
 Olli subridens sedato pectore Turnus: 740  
 Incipe, si qua animo virtus, et consere dextram:  
 Hic etiam inventum Priamo narrabis Achillem.  
 Dixerat. Ille rudem nodis et cortice crudo  
 Intorquet summis adnixus viribus hastam.  
 Excepere aurae volnus; Saturnia Juno 745  
 Detorsit veniens; portaeque infigitur hasta.  
 At non hoc telum, mea quod vi dextera versat,  
 Effugies; neque enim is teli nec volneris auctor.  
 Sic ait, et sublatum alte consurgit in ense,  
 Et mediam ferro gemina inter tempora frontem 750  
 Dividit, impubesque immani volnere malas.  
 Fit sonus; ingenti concussa est pondere tellus;  
 Collapsos artus atque arma cruenta cerebro  
 Sternit humi moriens, atque illi partibus aequis  
 Huc caput atque illuc humero ex utroque pendit. 755  
 Diffugiunt versi trepida formidine Troës;  
 Et, si continuo victorem ea cura subisset,  
 Rumpere claustra manu sociosque immittere portis:  
 Ultimus ille dies bello gentique fuisset.  
 Sed furor ardentem caedisque insana cupido 760  
 Egit in adversos.  
 Principio Phalarim et succiso poplite Gygen  
 Excipit: hinc raptas fugientibus ingerit hastas

- In tergo: Juno vires animūque ministrat,  
 765 Addit Halym comitem, et confixa Phegea parma;  
 Ignaros deinde in muris, Martemque cientes  
 Alcandrumque, Haliumque, Noëmonaque, Prytanimque,  
 Lyncea tendentem contra sociosque vocantem,  
 Vibranti gladio connixus ab aggere dexter  
 770 Occupat; huic uno dejectum cominus ictu  
 Cum galea longe-jacuit caput. Inde ferarum  
 Vastatorem Amycum, quo non felicior alter  
 Ungere tela manu, ferrumque armare veneno;  
 Et Clytium Aeoliden, et amicum Crethea musis;  
 775 Crethea musarum comitem, cui carmina semper  
 Et citharae cordi, numerosque intendere nervis;  
 Semper equos atque arma virūm pugnasque canebat.  
 Tandem ductores audita caede suorum,  
 780 Conveniunt Teucrī, Mnestheus acerque Serestus;  
 Palantisque vident socios, hostemque receptum.  
 Et Mnestheus: Quo deinde fugam, quo tenditis? inquit:  
 Quos alios muros, quae jam ultra moenia habetis?  
 Unus homo, et vestris, o cives, undique septus  
 785 Aggeribus, tantas strages impune per urbem  
 Ediderit? juvenum primos tot miserit Orcō?  
 Non infelicis patriae, veterumque deorum,  
 Et magni Aeneae segnes miseretque pudetque?  
 Talibus accensi firmantur, et agmine denso  
 790 Consistunt. Turnus paulatim excedere pugna,  
 Et fluvium petere, ac partem, quae cingitur amni.  
 Acrius hoc Teuceri clamore incumbere magno,  
 Et glomerare manum: ceu saevum turba leonem  
 Quom telis premit infensis: at territus ille,  
 795 Asper, acerba tuens, retro redit, et neque terga  
 Ira dare aut virtus patitur; nec tendere contra,  
 Ille quidem hoc cupiens, potis est per tela virosque:  
 Haud aliter retro dubius vestigia Turnus  
 Improperata refert, et mens exaestuat ira.  
 800 Quin etiam bis tum medios invaserat hostis;  
 Bis confusa fuga per muros agmina vertit.  
 Sed manus e castris propere coit omnis in unum:  
 Nec contra vires audet Saturnia Juno  
 Sufficere, aëriam caelo nam Jupiter Irim  
 805 Demisit, germanae haud mollia jussa ferentem,  
 Ni Turnus cedat Teucrorum moenibus altis.  
 Ergo nec clipeo juvenis subsistere, tantum  
 Nec dextra valet: injectis sic undique telis

Obruitur. Strepit adsiduo cava tempora circum.  
 Tinnitu galea, et saxis solida aera fatiscunt;  
 Discussaeque jubae capiti; nec sufficit umbo  
 Ictibus: ingeminant hastis et Troës et ipse 810  
 Fulmineus Mnestheus. Tum toto corpore sudor  
 Liquitur, et piceum (nec respirare potestas).  
 Flumen agit; fessos quatit acer anhelitus artus.  
 Tum demum praeceps saltu sese omnibus armis  
 In fluvium dedit. Ille suo cum gurgite flavo 815  
 Accepit venientem, ac mollibus extulit undis;  
 Et laetum sociis abluta caede remisit.

## B R E V I S N O T I T I A

de

vita et scriptis auctorum;

quorum fragmenta continentur

Selectorum Latinae Orationis Exemplarium

Volumine II.

*Paullinus Chellucci*, natus Lucae in Etruria anno 1682, nomen familiae Clericorum Regularium Scholarum Piarum dedit 1699, et transacto studiorum tirocinio 1705 rhetoricae magister in prima ordinis sui domo S. Pantaleonis de Urbe constitutus, post haec vero studiorum praefectus apud Urbinates dictus est. Quum hic ingenium egregie probasset suum, Romam evocatus, Collegio Nazareno, non solum docendis disciplinis mathematicis operam insignem praestitit, sed et duodecim omnino annos praefuit illi. Eloquentiae fontes in Archigymnasio Sapientiae Romanae aperuit jam inde ab anno 1713; et quam digna ratione hanc administra-

*Select. Exempl. Vol. II.* C c

rit provinciam, orationes, inter alia ipsius opera loquuntur. Nec virtuti ejus defuere praemia. Benedictus enim XIV, et eruditissimus ipse et eruditorum fautor, merita ex aequo aestimare solitus, Cheluccium, dato Brevi Apostolico, Generalem Ordinis Scholarum Piarum Praepositum salutare jussit. Scripsit Cheluccius, praeter supra laudatas *Orationes viginti*, etiam *institutiones mathematicas, aliaque plura*.

*M. Tullius Cicero*, ordinis equestris, quum ad rempublicam animum adpulit, primo quaestor, dein praetor urbanus, tandem consul creatus, conjurationem Catilinariam oppressit, et *Pater Patriae* dici meruit. In bello civili stetit a partibus Pompeji; quo victo, cum Caesare in gratiam rediit. Tandem jubentē M. Antonio, qui cum Octaviano et Lepido rempublicam triumviri invasérant, interfectus est a Popilio anno 43. ante Christum natum. Scripsit *Orationes plurimas*, quarum 59 ad nos pervenerunt; praeter oratoria scripta reliquit plurima etiam *Rhetorica*, seu ad oratoriam formantia mentes; uti et *Libros Philosophicos*, nec non *Epistolas ad Atticum et ad Diversos*.

*Curtius*, de quo usque adeo nihil certi habemus, ut nonnulli, quamquam perperam, eum ex auctorum veterum numero expungendum censeant, vixit verisimilius circa medium seculi primi. Scripsit de Alexandri Magni rebus gestis, quas decem libris enarrat stylo ornatiore et cultiore. Initium historiae, et loca alia, quae temporum injuria perierunt, Bruno, Freinsheimius et Cellarius supplere conati sunt.

*Q. Horatius Flaccus*, Venusinus, patre, ut ipse tradit, libertino, et auctionum coactore, ut vere creditum est, salsamentario, quum illi quidam in altercatione exprobrasset: *Quoties ego vidi patrem tuum cubito emungentem?* Bello Philippensi, excitus a M. Bruto imperatore, tribunus militum meruit; victisque partibus venia impetrata, scriptum quaestorium comparavit. Ac primo Maecenati, deinde Augusto insinuatus, non mediocrem locum in amborum amicitia tenuit. Maecenas quantopere eum dilexerit, satis demonstratur illo epigrammate, ubi inquit:

*Ni te visceribus meis, Horati,  
Plus jam diligo, Titium sodalem  
Mimo tu videas strigasiorem.*

sed multo magis extremis, tali ad Augustum élogio: *Horatii Flacci, ut mei, memor esto.* Augustus ei epistolarum officium obtulit. Hoc ad Maecenatem scripto significat: *Ante ipse scribendis epistolis amicorum sufficibam: nunc occupatissimus et infirmus, Horatium nostrum a te cupio abducere. Veniet ergo ab ista parasitica mensa ad hanc regiam, et nos in scribendis epistolis iuvabit.* Ac ne recusanti quidem aut succensuit quidquam, aut amicitiam suam ingerere desiit. Extant epistolae huius amicitiae argumenta. Sic namque Horatio scribit Augustus: *Sume tibi aliquid juris apud me, tamquam si convictor mihi fueris; recte enim et non temere feceris; quoniam id usus mihi tecum esse volui, si per valetudinem tuam fieri possit.* Et rursus: *Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio quoque nostro audire. Nam incidit, ut illo coram fieret a me tui mentio. Neque si tu superbus amicitiam nostram spreveris, ideo nos quoque ἀνυποσησθαυ ὕμνοι (vicissim nos efferimus superbe).* Praeterea saepe homuncionem lepidissimum appellat; unaque et altera liberalitate locupletavit. Scripta quidem ejus usque adeo probavit, mansuraque perpetuo, ut ei non modo carmen seculare componendum injuxerit, sed et Vindeliciam victoriam Tiberii Drusique privignorum; eumque coegerit propter hoc tribus carminum libris, ex longo intervallo, quartum addere; post sermones quoque lectos, nullam sui mentionem habitam ita sit quaestus: *Irasci me tibi scito, quod non in plerisque ejusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris, ne apud posteros tibi infame sit, quod videaris nobis esse familiaris?* expressitque elogium, cujus initium est: *Quum tot suslineas et tanta negotia solus cet.* Horatius habitu corporis brevis fuit, atque obesus; qualis a se ipso et in satyris describitur, et ab Augusto hac epistola: *Protulit ad me Dionysius libellum tuum, quem ego, ne adusem te, quantumviscumque est, boni consulo. Vereri autem mihi videris, ne majores libelli tui sint, quam ipse es; sed si tibi statura deest, corpus non deest. Itaque licebit in sextariolo scribas: quum circuitus voluminis tui sit ὀγκωδέστατος (tumidissimus, latissimus) sicut est ventriculi tui.* Vixit plurimum in secessu ruris sui Sabini aut Tiburtini. Natus est sexto idus Decembres, Lucio Cotta et Lucio Torquato consulibus. Decessit quinto

calendas Decembres, Cajo Marcio Censorino, et Cajo Asinio Gallo consulibus, post nonum et quinquagesimum annum, herede Augusto palam nuncupato; quum urgente vi valetudinis non sufficeret ad obsignandas testamenti tabulas. Humatus et conditus est extremis Esquiliis, juxta Maecenatis tumulum. Scripsit Horatius romanae fidicen lyrae *Odarum libros quatuor et Epodon unum; Satyrarum libros duos, duosque Epistolarum*. Circumferebantur haud multo post Horatii mortem etiam *elegi* sub ejus titulo, et *epistola* prosa oratione, quasi commendans se Maecenati. Sed utraque jam tum visa sunt eruditibus falsa; nam *elegi* vulgares fuere, *epistola* etiam obscura: quo vitio minime tenebatur Horatius.

*Justinus* quis fuerit et quando vixerit, non satis compertum est, etsi dubium non sit, quin ante imperatores christianos scripserit, ipse a Christi sacris alienus. Qui Justinum nostrum cum Justino martyre confundunt, turpissime errant; quum hic, qui epitomen scripsit, in iis, quae lib. VI et XXX de Mose, Josepho et Israëlitis tradit, plane adversetur sacrae scripturae; ex quibus liquet, Justinum fuisse hominem gentilem, inter quos ab Orosio aperte numeratur. Addi potest, beatum Justinum martyrem nihil latine scripsisse; praeterea Eusebium, Hieronymum et Photium historiam hanc epitomen inter martyris illius scripta nusquam reponere. Nec tamen ea ignota fuit B. Hieronymo, qui illius meminit in *prooemio in Daniele*; quod Augustinus quoque facit *de civitate Dei L. IV. c. 6.* et Orosius L. I. c. 8 et 10, qui et Justinum ad Theodosii imperatoris tempora, argumentis nescio quibus moti, rejiciendum putant. Alucinantur et il, qui Justinum libros suos imperatori Antonino Pio inscripsisse affirmant. Verisimile non est, Justinum emendandi causa opus suum ad imperatorem mittere voluisse, quod in praefatione innuit: si eam non potius ad virum aliquem doctum illius aetatis sibi que amicum, quam ad Caesarem direxit. Non magis certum est, quod quidam volunt, Justinum fuisse Trogi discipulum, aut, secundum alios, filium. Scripsit Justinus *Historiarum Philippicarum et totius mundi originum et terrae situs ex Trogo Pompejo excerptorum libros LXIV*, a Nino usque ad Caesarem Augustum, sub quo Trogus Pompe-

jus, patria Gallus, philosophus et historicus disertissimus floruit, totiusque orbis, sed graecas potissimum historias latino sermone 44 voluminibus composuit, et a praecipuo argumento, regni nempe macedonici historia, quam a libro septimo ad quadragesimum primum exsequitur, *Historias Philippicas*, Theopompi exemplo inscripsit. Harum se, ait Justinus, per otium, quum in urbe versaretur, dignissima quaeque cognitione excerpisse, et omissis his, quae nec cognoscendi voluptate jucunda, nec exemplo necessaria iudicaret, breve veluti florum corpusculum fecisse. Subjiciuntur Justino in plerisque editionibus *prologi sive periochae Historiarum Philippicarum Trogi Pompeji*, ejusmodi fere, qualia historiarum Livii argumenta sub Flori nomine habemus. Illa, ab ipso forte profecta Trogo, certe non a Justino elaborata, ostendunt, Justinum in epitome sua omisisse non pauca, in his ea, quae de terrarum situ scripserat Trogus. Trogi Pompeji historiae injuria temporum periire.

*Titus Livius*, Patavii natus; vixit Augusti seculo. Romanorum historiae scriptorum princeps, scripsit *historiam populi Romani*: ab Aeneae adventu in Italiam, usque ad annum U. C. 744. res a populo Romano gestas, complexus libris 140, aut, ut alii volunt, libris 142, quorum, non nisi priores decem, et libri a vicessimo primo usque ad quadragesimum quintum, nobis supersunt. Freinsheimius e compendio historiae Livii dedit supplementa 95, quae in editionibus majoribus plerumque inveniuntur.

*Marcus Antonius Muretus* natus anno aerae vulgaris 1526 in Gallia Aquitanica, in pago, cui Mureto nomen, quem familia Mureti possedit antiquitus, nomenque inde accepit. Ut primum imbutus est Muretus literis, quibus informari ad humanitatem aetas puerilis solet: Lemovici in patria sua; deinde Aginni eas docere coepit adolescentulus. Quum Aginni ejus doctrina atque ingenium omnium fama celebraretur: profectus est Lutetiam; ubi adhuc peradolescens ita docuit, ut ejus audiendi causa ex tota urbe concursus fieret, Docuit et in aliis Galliae urbibus: tum Tolosae juris civilis docendi primum quidem facultatem, deinde etiam potestatem accepit. Annum agens duodetricesimum venit Venetias; paulo post concessit Patavium. Anno aetatis circiter quarto et tricesimo Aristotelis

Ethicen et jus civile Romae docuit. Ad annum vero aetatis undesexagesimum, Gregorii XIII. auctoritate permotus, in Platonis, Senecae, Horatii, Taciti, Ciceronis, aliorumque explicatione reliquos annos consumpsit. Scripsit *Orationes a se habitas Venetiis et Romae quinquaginta duus; Poëmata tam graeca quam latina; Epistolarum item ad familiares volumen; Eruditas de jure civili disputationes in quatuor libri primi Pandectarum titulos; Commentarios varios et scholia in Terentium, Horatium, Catullum, Tibullum et Propertium; in Ciceronis Catilinaris; Castigationes in Philippicas cet.*

*P. Ovidius Naso* anno U. C. 711. C. Vibio Pansa et A. Hirto consulibus, natus est Sulmone in Pelignis e gente splendida ordinis equestris. Institutus Romae iis literis, quibus puerilis aetas imbuere solet, cum toga virili sumisit latum clavum, quem filiis ab Augusto expetebant illustres equites. Pater enim reipublicae honoribus destinaverat Ovidium nostrum, studioseque eum deterruit a studio poëtico, cujus tam divitem sortitus erat venam adolescens, ut sponte sua carmen numeros veniret ad aptos; *quidquid enim tentaret dicere, versus erat.* Nihilominus tamen, patre sic volente, etiam eloquentiae dedit operam, et declamando in rhetorum scholis vocem formavit. Tum Athenas studiorum causa se contulit; mox Asiae Siciliaeque urbes nobiliores cognovit. Sic institutus et praeparatus, aetatis anno vicesimo *triumviratus* munere functus est, quod mandabatur adolescentibus, in spem senatus latum clavum gerentibus. Judicabant vero *triumviri* isti, *capitales* dicti, de capite tenuissimae conditionis hominum, carcerisque habuerant custodiam. Postea inter *decemviros*, quorum erat, praeesse judiciis centumviralibus, electus est. Quum peractis his honoribus nihil superesset, nisi, ut in senatum adlegeretur: Ovidius, otii illecebris ductus, spem senatus sponte abiecit, positoque lato clavo rursus angustum sumisit; privatusque Romae musis vixit usque ad annum aetatis quinquagesimum secundum, quo in exsilium missus, seu potius relegatus est ab Augusto. Relegatio, quae lenior erat exsilii poena, non fiebat ex senatus decreto, neque jus civitatis et fortunas adimebat. Quae istius relegationis fuerit causa, non liquet; Ovidio et

historicis eam tacentibus. Ovidius, Roma relegatus, per mare Adriaticum, Jonium et Aegaeum vectus, venit in Thraciam, et inde pedibus profectus est *Tomos*, hodie *Tomiswar*, quae urbs sita erat ad sinum Ponti Euxini, haud procul ab Istri ostiis. Tomitis, peregrini poëtae ingenii nobilitatem pluris facientibus quam Romani Imperatoris proscriptionem, fuit carissimus; a quibus multis magnisque beneficiis ornatus, et, quum carmen de Caesaris laudibus sermone Getico, qui Tomitarum erat patrius, composuisset, lauro poëtica est coronatus. Mortuus est anno aetatis sexagesimo, U. C. 770. exsilii octavo, sepultusque ante Tomorum portam loco celeberrimo; exstructo eidem etiam publice monumento magnifico. Epitaphium ipse sibi composuit.

*Hic ego qui jaceo tenerorum lusor amorum*

*Ingenio perii Naso poëta meo.*

*At tibi, qui transis, ne sit grave, quisquis amasti,*

*Dicere: Nasonis molliter ossa cubent.*

Opera Ovidii sunt: *Metamorphoseon* LL. XV.; quod opus jam finitum quidem, sed nondum ultima lima perpolitum, ante discessum suum cremavit. Quum vero ejusdem exempla jam plura essent distracta, passus est, ut publici juris fieret. Etiam *Fastorum* libros abruptit illa Ovidii relegatio; alii vero contendunt, libros sex posteriores absolutos quidem a poëta, sed temporum injuria esse interceptos. Scripsit praeterea Ovidius complura opera versibus elegiacis, uti sunt, *Heroides*; *Libri Tristium*; *Epistolae ex Ponto*; cet.

M. Accius Plautus patria Sarsinas fuit ex Umbria, quod ipse de se insinuat in fabula *Mostellaria*, et alii veteres tradunt. Constat eum Romae vixisse. Ingenio perurbano fuit et maxime festivo, quod quum alia multa, tum comoedia ipsius, jucunditatis ac leporum plenae, indicant. Relata sunt ab A. Gellio complura in noctibus Atticis de eruditione et fabulis Plautinis, et M. Varonis auctoritate, qui Plautum, quum omnem pecuniam in ornamentis scenicis erogasset, ad summam paupertatem redactum fuisse, ait; eaque ratione Romam rediisse, operamque pistori locasse ad victum comparandum, his molis, quas trusatiles vocant, circumagendis. Et quum aliquamdiu in pistrino

versaretur, ibidem fabulas aliquot composuisse dicitur. M. Varro in libro *de Plautinis Comoediis* verba haec posuit, ut a Gallio est observatum: Feruntur sub Plauti nomine Comoediae circiter C. et XXX. Sed Laelius, homo eruditissimus XXV. dumtaxat illius esse censuit. Neque dubium est, quin Comediae etiam istae, quae non a Plauto scriptae sunt, veterum poetarum fuerint, ut M. Accii, C. Plautii, a quo dictae sunt fabulae Plautianae, non Plautinae. Ceterum quum XXV. a veteribus connumerentur M. Plauti Comoediae, sciendum est, praeter illas XX., quae a nostris grammaticis consensu omnium pro Plautinis habentur, tres a Gellio nominari, sc. *Boethiam, Nervulariam, Fretum.*

In fabulis suis sequutus est auctores Graecos, maxime Demophilum, Philemonem, et Epicharmum Siculum. Tantum scribendi elegantia et salibus visus est praestitisse, ut Epius Stolo adfirmare non dubitaverit: *Musas ipsas, si latine loqui voluissent, Plautino sermone fuisse loquuturas*; quod a Fabio Quintiliano refertur. Quocirca A. Gellius, censor omnium scriptorum optimus, eundem Plautum adpellat parentem ac principem in omni latina elegantia.

Obiisse traditur paucis annis post Quintum Ennium, Olympiade CXLV. Quantum jacturae factum sit in ejus obitu, testatur ipse Plautus his versibus de se compositis.

*Postquam est mortem aptus Plautus, Comoedia luget,  
Scena est deserta. Hinc ludus, risusque jocusque,  
Et numeri innumeri simul omnes collacrumarunt.*

*Sextus Aurelius Propertius* ex Mevania, oppido in Umbria, oriundus fuit. Sunt, qui scribant, ejus patrem equestri dignitate ornatum, ac triumvirali potestate fuisse, tum inter eos connumeratum, qui L. Antonium sequuti, Perusia capta, Octavii Caesaris jussu ad aram divi Julii perducti, ibidem occisi fuerunt. Illud omnino constat, Aurelium hunc Propertium, bonis magna ex parte amissis, Romam se recepisse: quum patrem suum in tenera adhuc aetate amisisset. In urbe, quum ingenii comitate tum elegantia carminum, brevi nominis celebritatem adeptus est. Maecenati et Corn. Gallo fuit acceptissimus,

quod uterque poëtae studiis et doctrinae pro similitudine professionis faverent. Ovidium quoque, Tibullum et Bassum inter principes amicos coluit. Libros quatuor elegiarum composuit, Callimachum praecipue Cyrenaeum, Mimnermum et Philetam, poëtas graecos, in carmine sequutus, quorum manibus comitem se profitetur. Nam ut illi apud graecos omnium consensu fuere principes in elegia, ita Propertius apud latinos eorum imitatione primas quorundam iudicio consequutus videtur. Fabius autem Quinctilianus, censor in literis acerrimus, quum Tibullum maxime commendarit, non deesse tamen inquit, qui malint Propertium, quum sit Ovidius lascivior, Gallus in elegia durior. Ovidius certe saepe de ipso Propertio agens, blandum, tenerum ac dulcem adpellat, multumque illius carmini semper concessit, et recitanti carmina auditor adfuit. De obitu ejus parum compertum. Quidam scripserunt illum annos alterum et XL. natum obiisse.

*Cajus Crispus Sallustius*, natus Amiternis in Sabinis anno U. C. 669. L. Cornelio Cinna III. et Cn. Papiro Carbone consulibus. A teneris annis excultam eloquentiam et operam diligentem literis a Sallustio datam, satis ostendunt ejus scripta; neque enim ita scribunt, qui serius sese ad literarum studia contulerunt. Vix tamen videtur more aliorum causas agitasse, ut gratiam ac famam sibi actionibus forensibus compararet. Quum ad capessendos reipublicae honores contenderet: quaesturam est consequutus. Aliosne honores ambiverit, an ad vitam privatam, iis missis, redierit, non satis liquet. Ab hoc certe tempore honores nullos gessit usque ad tribunatum plebis, quem adeptus est anno U. C. 702. Anno U. C. 704. L. Aemilio Paulo et C. Claudio Marcello consulibus, Appius Claudius Pulcher censor, non repugnante collega L. Calpurnio Pisone, omnes libertinos, ut docet Dio libro 40, multos etiam nobilium, atque inter eos Crispum Sallustium Senatu ejecit. Belli civilis tempore in Galliam ad Caesarem se contulit; a quo armis oppressa republica, anno sequente U. C. 705, C. Claudio Marcello et L. Cornelio Lentulo consulibus in senatum est reductus; quaestura iterum accepta, ut honestius in ordinem amplissimum reciperetur.

Antequam Caesar contra Scipionem, Pompejī socerum, in Africam iret, anno U. C. 707. Sallustium fecit praetorem, eumque, quum sub brumam trajiceret in Africam, secum duxit; quem paucis diebus, postquam adpulisset, quum annonae penuria premeretur, ad Cercinam insulam, quam tum adversarii tenebant, ire jussit; quod ibi magnam esse frumenti copiam audierat. Sallustius, magno frumenti numero invento, naves onerarias, quarum ibi satis magna copia fuerat, complevit, atque ad Caesarem in castra misit. Quid aliud in eo bello gesserit Sallustius, nemo prodidit; sed fidelem atque strenuam navasse Caesari operam, ex praemio intelligitur. Confecto enim bello Africano, Caesar eum in Numidia recepta, verbo quidem provinciae administrandae causa, re ipsa autem expilandae, pro praetore reliquit. Multis divitiis auctus, Romam reversus, hortos pretiosissimos, qui *Sallustiani* ab ejus nomine dicti sunt, villam Tiburtinam, pluresque possessiones alias sibi comparavit. Qua ratione postea traduxerit Sallustius vitam, veteribus tacentibus, nobis non liquet. Fato functus est aetatis anno 70, quadriennio ante bellum Actiacum, U. C. 717, Sexto Pompejo et Sexto Cornificio coss. Vir sane memoria dignissimus, si historias ejus spectes; quae, si nimium styli antiquioris studium excipias, locum inter historicos romanos principem, etiam judicio veterum, qui non tantum brevitate et efficaciam singularem dictionis, sed etiam veritatis studium laudant, Sallustio pepererunt. Scripsit Sallustius: 1. *Conjuratorem Catilinariam*, cujus testis fuerat; 2. *Bellum Jugurthinum*, quod coeperat, antequam nasceretur; 3. *Historiam rerum in republica romana per duodecim annos gestarum*, usque ad extremam Sullae dictaturam. 4. *Bellum Civile Sertorianum*, quod coeperat sub finem vitae Sullae, et quod Sallustio puero gestum est. Opus postremum periit, si fragmenta quaedam excipias, quae tamen sat ampla ad nos pervenerunt, ut ex iis intelligere possimus, non minus adcurate, ac cetera, scriptum fuisse.

*Lucius Annaeus Seneca*, natus Cordubae in Hispania, patre M. Annaeo Seneca, quem *rhethoris* seu *declamatoris* nomine a filio fere distinguunt. Pater,

Augusti temporibus, Romam migravit cum Lucio nostro adhuc tenello. Ibi optimum in optimis artibus adolevit ingenium. Eloquentiam a patre edoctus, philosophiae animam adjecit, in primis stoicae. A philosophia ad rempublicam accessit tractandam; ac quaesturam primo, post aliquot annos etiam praeturam gessit; consulatu etiam functus nonnullis putatur. At perpetuus ille ejus honos, Neronis praeceptorem moderatoremque fuisse, principis, quamdiu hujus consilijs se dedit, optimi. Tandem a Nerone mori jussus, nullo pavoris signo edito; quin mo flentes amicos ad animi firmitatem revocans, in ipsis sapientiae praeceptis vocem simul et spiritum extremum reddidit. Celeberrimum ejus opus sunt 124 *Epistolae ad Lucilium*, doctrinae et praeceptorum philosophicorum refertissimae. Scripsit et alia opera philosophica: *De Ira*, ad Novatum libros tres; *De Consolatione*, ad Helviam matrem, librum unum; *De Consolatione* ad Polybium, librum ἀκρίβειος; *De Providentia*, librum unum; *De Tranquillitate Animi*, ad Serenum, librum unum; *De Constantia Sapientis*, sive quod in sapientem non cadit injuria; *De Brevitate vitae* ad Paulinum, librum unum; *De Vita Beata* ad Gallionem fratrem, librum unum; *De Otio et Secessu Sapientis*, libri partem; *De Beneficijs* ad Aebutium Liberalem, libros septem; *Ad Lucilium Naturalium Quaestionum* libros septem; *Ludum de Morte Claudii Caesaris*. — Senecam nostrum etiam poetam fuisse, testimonio aliorum scimus. Decem enim *Trogoediae*, quae vulgo eidem adscribuntur, verisimilius plurium aliorum opus sunt.

*Albius Tibullus* Romae, ut videtur, natus, Hirtio et Pansa coss., qui annus etiam Ovidij natalibus fuit insignis, parentes habuit ex ordine equestri bello et pace satis illustres. Tibullus autem, quum ingenio esset facili et egregia forma, nobiliores etiam civitatis sibi conciliavit: in quorum numero fuit Messala Corvinus, qui mira diligentia et assiduis officiis Tibullum fovit. Horatium quoque Flaccum et Macrum poetam, qui libros de herbis conscripsit, familiariter dilexit. Tibullus in carmine ad Mesalam copiose ostendit, parum sibi licere in otio versari, quod ipsa

fortuna iniquitas nimium illi obfuisset, et quum illi satis floruisſent opes, temporum conditione factum, ut ad paupertatem redigeretur. Scripsit libros quatuor elegiarum, sive tenerrimorum amorum, in quibus facile probatur, quam elegans et candidum sit ejus carmen, ut in ejusmodi caloribus describendis Latinos omnes, tum adfectibus exprimendis, tum suavitate ingenii, superſaſſe videatur. Quod ipsum et Fabius Quintilianus ad Marcellum Victorium refert, quum Tibullum poetam et in primis elegantem et tersum existimavit. Obiit autem, quum adhuc junior esset, neque sine maximo Ovidii moerore, quod longo carmine hic testatus est, in quo ostenditur, quanta literarum jactura Tibullus occiderit; eoque gravius omnes ejus interitum tulerunt, quo immaturior visus est. In ejus vero funere et parens et soror pietatis officium praesiterunt. Vulgatum est illud de elegantiâ carminum Tibulli:

*Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,  
Discentur numeri, culte Tibulle, tui.*

P. Virgilius Maro, natus in pago, qui Andes dicitur, propter Mantuam; vixit ab anno U. C. 684. usque 734. Quum Augustus Mantuanorum et Cremonensium, qui partibus adversis faverant, agros, jam rerum potitus, veteranis distribui jussisset: Virgillii pater bonis exutus est. Virgilius autem Pollionis, Transpadanam provinciam tum cum exercitu regentis, amicitiam consequutus, ornatusque commendatiis ad Maecenatem literis, cum Marone patre Romam projectus, ibique Maecenatis suffragio adjunctus, recuperavit agellos. A Maecenate, aequo tanti ingenii aestimatore, commendatus Augusto, una cum Horatio Imperatoris aequae ac Maecenatis non gratia tantum, sed etiam amicitia gavisus est. In poetâ bucolica, didactica et epica romanorum poetarum princeps, scripsit: 1. *Eclogas decem*, Theocritum, uti et Moschum, Bionemque felicissime ita imitatus, ut ea, quae ab aliis depromserat, privati juris sui faceret; 2. *Libros quatuor Georgicon*, praeceptorum suavitateque refertissimos; 3. *Aeneidos LL. XII.*, quam quod ultima manus ei defuit, morti proximus conje-

cisset in ignem, nisi praeclarissimum hoc opus a Tucca et Vario, amicis Virgilii, auctoritate Caësarıs Augusti, flammæ fuisset ereptum. Adscribuntur Virgilio et alia minora quaedam opera poetica, sed dubia; quae sub nomine *Catalectorum Virgilianorum* vulgo veniunt. Cadaver Virgilii propter Neapolim sepultum est, addito epitaphio:

*Mantua me genuit: Calabri rapuere: tenet nunc  
Parthenope. Cecini pascua, rura, duces.*

I n d e x  
selectorum latinae orationis exemplarium.

Vol. II.

I.	Elegiae	pag.	8
II.	Carmina lyrica	—	29
III.	Orationes.		
	<i>A. Progymnasmata</i>	— — — — —	79
	<i>B. Orationes minores</i>	— — — — —	84
	<i>C. Orationes majores</i>	— — — — —	123
	<i>a. M. T. Ciceronis: in Catilinam</i>	— — — — —	124
		— — — — —	135
		— — — — —	146
		— — — — —	156
	ad Quirites post reditum	— — — — —	167
	pro M. Marcello	— — — — —	177
	pro Archia Poëta	— — — — —	180
	pro Lege Manilia	— — — — —	197
	<i>b) M. Ant. Mureti: de praestantia literarum</i>	— — — — —	220
	humaniorum	— — — — —	220
	de morali philosophiae laudibus	— — — — —	227
	<i>c. Paulini Cheluccii: de felicitate viri literati</i>	— — — — —	235
	de laudibus Leonis X.	— — — — —	245
IV.	Dramatica.		
	<i>A. Tragoedia.</i>		
	Lucii Annaei Senecae: Troades	— — — — —	254
	<i>B. Comoedia.</i>		
	M. Accii Plauti: Capteivei	— — — — —	294
	<i>C. Publii Terentii, Afri. Adolph.</i>	— — — — —	330
V.	Epica.		
	<i>P. Virgili Maronis Aeneidos liber II.</i>	— — — — —	362
	— — — — — <i>liber IX.</i>	— — — — —	381
	Brevis notitia literaria de vita et scriptis auctorum, quorum fragmenta hoc Vol. II. continentur.	— — — — —	401

